ALEXANDRI APHRO-
diſienſis in Ariſtotelis elenchos
EXPLANATIO,

A IOANNE BAPTISTA RASARIO, NOVA-
rienſi, Medico in latinam linguam conuerſa, & cum uetuſtisſi-
mis codicibus diligenter collata, atque emendata.

Cum Priuilegio ad annos X.



Venetiis, Ludouicus Auancius excuden-
dum curabat, 1557.

IOANNES BAPTISTA RASARIVS MATTHAEO DONATO, ALOISII F. S. P. D.

CVM ijs bonis, quæ mortalium generi deorum conceſſu, atque munere data ſunt, nullum optabilius, nullumque præſtantius unquam ſit habitum, quam philoſophia: non poſſum non magnopere ſententiam tuam Donate commendare, qui poſtquam poetis, atque oratoribus ſummo ſtudio operam antehac dederis, non contentus ea, quæ in te elucebat, humaniorum literarum cognitione, animum ad libros Ariſtotelis adiunxeris. Videbas enim ad rerum omnium cognitionem uiam tibi hac ratione quodammodo commonſtrari, & aditum ad uitæ humanæ, atq; ciuilis præcepta patefieri. itaque exiſtimaſti, ea tibi percipienda eſſe in primis, quæ ad artem iudicandi, & inueniendi pertinent: ut hoc quaſi inſtrumento adiutus facilius ad naturæ cognitionem, & rerum diuinarum contemplationem certa uia peruenires: ut demum in luce huius maximæ reip. ſumma cum laude uerſareris. quam ob rem ardenti quodam ſtudio concitatus tantos in diſſerendi facultate progreſſus feciſti: ut iamiam ad librũ perueneris elenchorum: cuius ſententiam rite ut aſſequaris, græcorum interpretum explicationem non ſecus, quam in cæteris feciſti, tibi adhibendam eſſe iandiu perſpexiſti: ſed audiebas commentarios, qui græce in elenchos ſcripti ſunt, pleriſque locis eſſe deprauatos ſic, ut nullus perſæpe ſenſus eliciatur: cupiebas autem mirum in modum, ut quoniam ego, cum in hoc ſtudium incumberem, eos latinos feceram, & cum manu ſcriptis codicibus contuleram, quæ meo ſtudio, ac labore eſſem conſecutus, non paterer latere diutius: ſed quoniam plerique eſſent græcarum literarum ignari, qui tamen excellenti ingenio diſciplinis ſe dedant, ad eorum utilitatem meam interpretationem ederem. ego uero quanquam mihi olim hanc confeceram, nec de ea in apertum proferenda cogitarem, tamen tibi hoc negare nullo pacto potui. tantum enim abeſt, ut ulla ex parte impediri a me ſtudium, ac cupiditatem tuam uelim, ut etiam eius rei cauſa omnis mihi ſuauiſsimus ſit futurus labor. ad quam rem non ſolum tuus in me amor, quem mihi ſemper oſtendiſti, me impellit, ſed etiam ſumma uirtus patris tui, uiri clariſsimi: cuius auctoritas tantum apud me ualet, quantum ſemper in hac florentiſsima rep. optimi eius mores, uitæ innocentia, ac plurimarum & maximarum rerum uſus ualuerunt: quibus rebus adiuuantibus ad ampliſsimos quoſque gradus ſæpenumero euectus eſt: quibus omnibus ita eſt perpetuo functus, ut totius reip. beneuolentiam ſingularem ſibi comparauerit, & incredibilem de uirtutibus ſuis admirationem concitauerit: qui quidem cum in hac optima rep. beatus eſt, tum uero te filio mirum in modum lætatur. itaq; da operam, ut ſummam ſpem parentis tui, & item omnium ciuium, quam de te iam puero habuerunt, continuo uirtute ſuperes. quod quidem facile conſe-

queris, ſi eam uiam, quam ingreſſus es, inſtiteris, & uirtutem, quæ eſt in ſe perfecta, & ad ſummum perducta natura, cæteris rebus omnibus antepoſueris. & cum te ad ciuilem ſocietatem natum ſenſeris, ad gubernacula huius maximæ reip. accedas: in quibus non ſolum ſubtili diſputatione, in qua nunc uerſaris, tibi utendum erit, ſed etiam fuſa latius perpetua oratione, qua regas populos, qua ſtabilias leges, qua caſtiges improbos, qua denique tuearis bonos: quas res omnes parit, atque educat ſapientia. apparebunt igitur in tuo nomine explanationes in Ariſtotelis elenchos a me in latinam linguam conuerſæ, & cum uetuſtis codicibus, qua fieri potuit diligentia, collatæ, & pleriſque locis reſtitutæ: ut una cum eis maneat hoc meæ ſingularis in te beneuolentiæ, & ſummæ erga patrem tuum obſeruantiæ monimentum. Vale. Venetijs, Pridie Calen. Sext. M D L V I I.

ALEXANDRI APHRODISIENSIS IN Librum Elenchorum Ariſtotelis explanatio,

IOANNE BAPTISTA RASARIO Nouarienſi interprete.

DE Reprehenſionibus autem ſophiſticis, iiſq; quæ reprehenſiones apparent, cum paralogiſmi ſint, non reprehenſiones; ſumpto ſecundum naturam a primis initio, dicemus.

CVM Ariſtoteles de ſyllogiſmo demonſtratiuo, deq; dialectico diſſeruerit; hoc loco ad ſophiſticas etiam reprehenſiones declarandas aggreditur. quas quidem nos docet, non ut eis perinde ac demonſtratiuo, dialecticoq; ſyllogiſmo utamur, (Demonſtratiuus enim ac dialecticus ſyllogiſmus ſcientiam gignunt: at fallaces captiunculæ, & ſophiſticæ reprehenſiones tantum abeſt ut ſcientiam gignant, ut etiam moleſtæ quædam rationes, & impedimenta ſcientiarum ſint: quemadmodum ipſe quoque alibi moleſtas ſophiſtarum rationes appellauit) ſed magis id adeo omnino fecit, ut nos doceat, quibus rationibus ſophiſtæ multitudinem, quiq; methodum ſyllogiſmorum conficiendorum non callent, decipere conentur. ita nobis huiuſmodi tradit, non ut eas in diſputationibus adhibeamus; ſed ut caueamus, ne ii, qui eas proponunt, in errorem nos inducant. cognitis enim rationibus, quibus ſophiſtæ utuntur, ut fallacias ſuas in medium adducant, non modo non decipiemur ab eis, ſed etiam adhibita fallaciarum, quas propoſuerunt, explicatione, & perſpecta earum coniunctione, eos ipſos in fraudem impellemus. nam ut qui genus nodi habet exploratum, quemadmodum ipſe alibi memorauit, is, quod uinctum eſt, enodabit, & expediet; ita qui ſcit, quomodo confectæ & coniunctæ ſint ſophiſtarum captiunculæ, eas explicabit, atque diſſoluet. Ac tractationem quidem, quæ de demonſtratione eſt, eſſe finem totius Logices, nos iam & in libris, in quibus de ſyllogiſmo ſimpliciter, & in iis, in quibus demonſtrationis conficiendæ rationem Ariſtoteles docet, ſatis diximus. Nunc uero quoniam toti illi quæſtioni eſt a nobis in illis libris abunde ſatis factum, conſequens eſt, ut aliquid de ſophiſticis reprehenſionibus, quidq; huic tractationi propoſitum ſit, & quid cauſæ fuerit, cur extremum locum ſit ſortita, & quare Elenchi ſophiſtici inſcribatur, dicendum eſſe uideatur: cum, ut in aliis ſæpe dixi, ubi libri inſcriptio per ſe ipſa clara non eſt, eam illuſtrare debeamus. Atque Ariſtoteli quidem, ut nonnullis placet, hoc loco propoſitum eſt, nobis uiam ac rationem tradere, qua ſophiſtæ fallacias componebant, & differendi rationis ignaros circunueniebant. ea ratio continetur tredecim generibus captionum, quæ deinceps ab Ariſtotele quaſi communes quidam loci, ex quibus fallaciæ ſumi poſſunt, explicabuntur. atque ii, qui id agi hoc libro uoluerunt, ob eam cauſam aiunt librum inſcriptum eſſe Fallaces Reprehenſiones, quaſi in eo doceamur, quo nam modo ſophiſtæ reprehenderent, & fallacias facerent, & non quonam pacto nos contra ſophiſtas dicere ualeamus. Quidam uero non eſſe hoc libri argumentum ſunt arbitrati, ſed potius uelle Ariſtotelem docere, quomodo nos diſcere poſſimus, ut reprehendamus, & reſiſtamus eis, qui nos fallere conabuntur: & ob eam ipſam rem non de ſyllogiſmis ſophiſticis quidem, ſed ſophiſticæ reprehenſiones, librum inſcripſiſſe: quaſi uia & ratione nobis commonſtrata, cuius uſu ſophiſtas ipſos poſſimus reprehendere. Nam cum oſtenſum ſit, eſſe tria genera ſyllogiſmorum categoricorũ, explicatis diligenter duobus probabili uidelicet, & demonſtratiuo in iis libris, quos de huiuſmodi ſyllogiſmorum generibus potiſſimum compoſuit: reſtat tertium genus, quod hoc opere perſequitur. id quod nobis exponit, quaſi ſalutare remedium, cuius auxilio moleſtas ſophiſtarum rationes declinare poſſimus. Differit autem de ſophiſtico ſyllogiſmo, potius tradens fallacium argumentationum reprehenſiones, quas ueritatis ſtudio commotus cupit explicare: per quam quidem ueritatem & falſæ atque infirmæ argumentationes deprehenduntur, & captio eorum quæ probabilia uidentur, cognoſcitur. Quemadmodum enim medici non ſolum ſalutaria diſcunt, ſed etiam peſtifera ſcire ſtudent, non ut eis quidem utantur, ſed ut ea, utpote quæ noxia, & mortifera ſint, declinent: ita etiam ii, qui in ueris exercitati ſunt, & in probabilibus ſunt uerſati, omnino par eſt, quænam probilia eſſe uideantur, intelligant. neque uero hoc erat Ariſtoteli in primis & præcipue propoſitum, ut de reprehenſionibus fallacibus diſſereret, neque eius ipſius cauſa, ſed alterius, de hoc genere uerba facit, ut ſcilicet ſophiſtas reprehenderemus: ſiquidem genus hoc ratiocinationis non uera quærentium, ſed ludentium eſt. qua uero ratione docti & ſapientes uiri ſtudioſe operam dare ludo queant, in Euthydemo ſcriptum reliquit Plato.

in eo enim dialogo eſt cum Critone loquens Socrates, qui artem ſophiſtarum eſſe admirabilem pronunciat, ſophiſtasq; omnia nullo artificio ſcientes uocat, fingitq; ſe uelle eam uiam, & rationem diſputandi perdiſcere. deinde Euthydemum, ut cum Clinia Axiochi filio diſputet, adhortatur. qui ſtatim ſumpto initio eum uerbo homonymo in oratione adhibito interrogauit, & in repugnantiam adoleſcentem compulit hoc modo: Quinam inquit, ſunt ó Clinia, qui μανθάνουσι. (nam μανθάνειν diſcere, & docere ſignificat) adoleſcentulus uerò, cum ei ardua uideretur interrogatio, rubere cœpit: poſtea ad Socratem ſeſe conuertit. hunc intuitus Socrates, ei addidit animum, ac iuſſit, quicquid uellet, reſpondere. ita Clinia ſapientes μανθάνειν reſpondit. tum Euthydemus, nunquidnam ó Clinia doctores noſti? noui inquit. quorum inquit, ii doctores ſunt? eorum qui μανθάνουσι, id eſt diſcunt, inquit Clinia. tum Euthydemus, erant ne illi ſapientes cum ea, quæ diſcenda erant, ignorarent? tum ille, non ſane. μανθάνουσιν igitur inquit Euthydemus ii, qui ignorant. deinde uiciſſim contra ratiocinationatus eſt, atque eos qui ſciunt, μανθάνειν concluſit. Atq; huiuſmodi quidem argumentationum & is dialogus, cuius modo mentionem feci, atque ille, qui Protagoras inſcribitur, eſt plenus. ſed unde egreſſa eſt, referat ſe oratio. Ariſtoteli pro ut primum ante dixi, propoſitum eſt, dicere quomodo ſophiſtæ eas, quæ reprehenſiones uidentur, componerent, quomodoq; reprehendere uiderentur eos, qui eorum artis erant ignari. & deinceps explicare, quinam generales loci captionum fallacium ſint: & quot quærant ii, qui fallacibus captiunculis pugnant, & contendunt inter ſe; & quot genera fallaciarum, & quot modis unumquodque genus ſpeciem reprehendendi efficiat. quibus expoſitis accommodatas earum rationum diſſolutiones adiunxit. diſſoluere enim non poteſt is, qui nodum ignorat: hoc autem patefacto reprehendere poterimus. Omnino enim cognitio quomodo illi fallaces captiunculas componerent, explicationum copiam ſuppeditat: quandoquidem qui uinculum cognoſcit, is etiam, ut in libro de prima philoſophia commemorat, quonam modo illud explicandum ſit, habet exploratum, licet ei nemo ſuggerat. De ordine multi dubitant. alii enim dicunt, quemadmodum dialectica facultas præponenda eſt demonſtratiuæ, ita etiam ſophiſticam eſſe anteponendam. Aiunt enim oportere prius aliquid temporis ponere in iis, quæ ad perſuadendum ualent, deinde ad neceſſaria, atque uera animum adiungere, quæ cum dicunt, non recte dicere uidentur. Si enim humana natura iuncta materiæ plerunque fallitur, & phantaſiam ſequens decipitur, & quæ non ſunt, perinde ac ſint, concipit: certe non omnino eſt primum applicanda iis, quæ ad perſuadendum ualent, quæq; probabilia uidentur: cum præſertim futurum ſit, ut cum iis imbuta fuerit, eorumq; cognitione prædita, non facile ab eis auocari poſſit, & abſtrahi, ita ut ueritatem aſſequatur, & ſuſcipiat, cum illa & uera, & quæ per ſe credi debeant, exiſtimet. quæ enim uis antecepta rei cuiuſdam informatio animo inſederit, ea fere deponi ſtatim non poteſt. Itemq; anteponi ſcientiæ demonſtratiuæ debent ea, quæ ad demonſtrationem ualent: ſophiſtice uero ad demonſtratiuã ſcientiam inutilis omnino eſt. Præterea ſi falſum ueri comparatione arguitur, profecto rationi conſentaneum omnino eſt, ut uera in primis diſcamus: deinde in ueriſimilibus, atque adeo falſis uerſemur. quibus quidem fit rebus, ut ante hæc liber de demonſtratione merito ſit collocandus. In illo enim diſcentes ſyllogiſmum qui proprie ſyllogiſmus eſt, ex neceſſariis, medio uacantibus, notioribus, ac prioribus concluſione confici, eum qui non ita aliquid concludit, omni impedimento procul reiecto quam facillime cognoſcimus. ſi enim didicerimus, quomodo uerum efficiatur, etiam quid citra uerum factum ſit, agnoſcere facile poterimus. quam ob rem cum fieri nequeat, ut á demonſtratione ad has fallaces reprehenſiones nullo interiecto medio progrediamur, effectum eſt, ut philoſophus ea, quæ inter has intermedia ſunt, quæ partim uera, partim falſa ſunt, quæ dialectica nominantur, tradiderit. ſed quid huic libro propoſitum ſit, deq; ordine, & inſcriptione ſatis dictum eſt nobis. nunc uero ad philoſophi uerba declaranda aggrediamur.

De reprehenſionibus autem ſophiſticis inquit, iiſq; quæ reprehenſiones apparent.] Plato quidem in eo dialogo, qui Euthydemus inſcribitur, & item Ariſtoteles in ipſo proœmio dialectices litigioſum ſyllogiſmum, & ſophiſticum eſſe eundem ſcribunt: & hos ſyllogiſmos interdum in materia peccare, in forma uerò ultium non habere, & ſyllogiſmos etiam nominari dicunt: interdum uitioſos eſſe, quod formam ratiocinationis non habeant, materiam ueram habeant: eoſq; non ſyllogiſmos quidẽ, ſed apparentes ſyllogiſmos uocari cenſent. id quod nunc clarũ faciã. cum quis aliquid cõcludit in coniugatione ſyllogiſtica, idq; concludit ex propoſitionibus in materia ſumptis, litigioſum, atque ſophiſticũ ſyllogiſmum facit hoc modo: omnis uirilis habet uirilitatẽ: ueſtis uirilis eſt: ueſtis igitur habet uirilitatem, quæ quidem ratiocinatio & contentioſa & ſophiſtica eſt nullam aliam ob cauſam, quam quod tãquam probabile ſumptum eſt, omnem uirilem habere uirilitatem: ſiquidem in coniugatione ratiocinatiua in prima figura ex duabus aientibus propoſitionibus altera maiore uniuerſali, altera particulari facta eſt. Præterea cum quis aliquid ex ueris propoſitionibus concludat, ſed id ſyllogiſtice non faciat, neq; proprium figuræ ſeruet, ſyllogiſmum is quidem faciet, ſed qui apparens appelletur: cuiuſmodi ſunt argumentationes eæ, quæ in coniugatione non ratiocinatiua proponuntur: ueluti ſiquis concludat, omnem hominem eſſe equum ex eo, quod omnem hominem eſſe animal, & omnem equum eſſe animal ſumit. non enim ratiocinatiua eſt hæc ſyllogiſmi compoſitio, licet ex ueris propoſitionibus con-

ſtet

ſtet. cauſa eſt, quia ſunt duæ affirmationes in ſecunda figura. cuius generis exempla quamplurima nos in explanationibus, quæ a nobis in artem diſſerendi ſcriptæ ſunt, adhibuimus. Alii uero hanc eſſe differentiam litigioſi,& ſopiſtici ſyllogiſmi uoluerunt, ut litigioſus ſit is, qui in forma ratiocinatiua uitioſus eſt, ſophiſticus uero, cuius in materia ſit uitium, forma uero ratiocinatiua recta ſit. ſed eorum ſententiam refellit Ariſtoteles. cum enim paulo poſt demonſtratiuam argumentationem a dialectica, & dialecticam a ſophiſtica diſtinguit, ait dialecticum ſyllogiſmum eſſe, qui rei communia ſpectat: qui uero hoc facere uidetur, eſſe ſophiſticum & litigioſum. ita cum litigioſus ſyllogiſmus idem ſit atque ſophiſtica reprehenſio, cum dixiſſet, De reprehenſionibus ſophiſticis, addidit, iisq; quæ reprehenſiones apparent, cum paralogiſmi ſint, non reprehenſiones. id quod fecit idem ſignificans. eſt enim hoc omnibus ſophiſticis reprehenſionibus commune, ut eſſe uideantur, quarum diuiſionem deinceps facit huiuſmodi. harum enim fallacium reprehenſionum aliæ ratiocinationes ſunt, quæ idem ualent, atque litigioſi ſyllogiſmi, qui ex iis, quæ probabilia uidentur, ſed non ſunt, conficiuntur: aliæ uidentur eſſe ratiocinationes, quæ eædem ſunt, ac argumentationes litigioſæ, quæ uel ex probabilibus, uel ex iis, quæ uidentur probabilia, effici uidentur: quæ non ſyllogiſmi, ſed litigioſi ſyllogiſmi nominantur. Ac ſyllogiſmi quidem ſophiſtici ſunt, quorum forma recte habet illa quidem, ſed propoſitiones aut falſæ ambæ ſunt, aut earum altera: apparentes autem ſunt, quorum figura recta eſt, propoſitiones partim ueræ, partim falſæ. omnino eæ quæ reprehenſiones uidentur, aut concludunt, aut nihil concludunt. licet enim figura ſit recta, & uera, tamen non ueræ reprehenſiones ſunt, ſed uidentur. Reprehenſionis genera ſunt tredecim, ſex in uerbis ſpectantur, ſeptem in intelligentia, quæ Ariſtoteles appellat extra uerba. quæ quidem tredecim genera bis exponit. primum declarat quomodo fallant ſophiſtæ, ſecundo loco earum reprehenſionum diſſolutiones, & explicationes docet. ita iure hæc tractatio inſcripta eſt ſophiſticæ reprehenſiones: quæ quidem inſcriptio dupliciter intelligitur, ſophiſtas reprehendere, & ſophiſtas reprehendi, uel addidit.

Iisq;, quæ reprehenſiones apparent: ut ex priore declararetur poſterius. ita uerborum hic erit ſenſus, ut ante dixi, ut non de ueris reprehenſionibus, ſed de iis quæ uerarum ſimulacra ſunt, quæ ſophiſticæ reprehenſiones ſunt, uelit diſſerere. Iam quid ſophiſma, hoc eſt, fallax captiuncula ſit, quid uera reprehenſio, quid ea, quæ eſt ueræ ſimulatio, quid parexelenchus, id eſt illegitima reprehenſio, & quid captio, quæ παραλογισμὸς nominatur, neceſſario dicendum eſt. fallax autem captiuncula eſt, quemadmodum ipſe in Topicis dixit, idem quod ſyllogiſmus litigioſus. ut, An licet ſilens aliquid dicere? non, reſpondit is qui poſcit quæſtionem. quid? cum lapidem, aut lignum dicis, nonne ſilens dicis? ita hoc loco ex ambiguitate fallax captiuncula effecta eſt. Vera reprehenſio, quæ Elenchus dicitur, eſt repugnantia eiuſdem & unius non nominis, ſed rei; & nominis non ſynonimi, ſed eiuſdem: quæ quidem ex iis, quæ data ſunt efficitur neceſſario, non adiuncto eo, quod initio dictum eſt, quod eadem parte, & in eadem re, eodemq; modo, & in eodem tempore dicatur. nam ſiquis nos roget, An canis ſit animal? nos eſſe reſpondeamus, isq; qui rogat, dicat canem, qui æſtus facit, non eſſe animal non reprehendet: quia non ad eandem rem dirigit reprehenſionem. Cumq; ſæpenumero fallaciæ ex uerbis ſynonymis naſcantur, ueluti cum quis rogabit, An animal ambulat, is qui reſpondet, dicat, etiam: tum ſophiſtes concludat etiam aliquod animal quieſcere, propterea addidit Ariſtoteles, Nominis non ſynonymi. item adiunxit, Non adiecto eo, quod initio dictum eſt. Quid autem ſit petere id, quod initio propoſitum eſt, ſecundo uolumine priorum analyticorum explicauit. Debet quoque reprehenſio & ex eadem parte, & in eadem re eſſe. ſi enim rogatum non ſit neque ſynonymum, neque homonymum, neque ſumatur id quod initio dictum eſt, alia autem & alia parte, aliquid quidem ei conuenire uel non conuenire dicemus, ſed minime fiet reprehenſio. ut hoc exemplo res clara fiet: An æthiops niger eſt? etiam. & tamen non habet nigros dentes: ita idem niger, & non niger eſt; uerum non in eadem parte facta reprehenſio eſt. Itemq; ſi in eadem re non ſit, non erit uera reprehenſio: ut ſi quis dicat, decem eſſe dupla, & non eſſe dupla, cum non in eadem re, ſed alia, atq; alia dicantur. Præterea dixit, Eodem modo, quod ſignificat, actu, uel potentia: ut An is, qui dormit, aſpectum habet? etiam, inquit. quod aſpectum habet, uidet ne? etiam. igitur qui dormit, uidet. etenim hæc oratio non reprehendit eum, qui dicit dormientem non uidere, propterea quod qui dicit eum, qui aſpectum habet, uidere, ſignificat, hunc quidem habere aſpectum, ſed tum non uidere, poſſe tamen, & prius etiam uidiſſe. Appoſuit etiam, Eo in eodem tempore. ut An homines boni ſunt? homines tamen ſeculi ferrei boni non fuerunt. huiuſmodi autem non eſt uera reprehenſio, quia non in eodem tempore concludit. Cum igitur quis non huiuſmodi uera reprehenſione redarguit eum, qui contra diſputat, ſed uel in homonymia, uel in aliquo fallaciarnm genere, tum non uere, ſed fallaciter, & ſophiſtarum more reprehendit. quod ſane genus reprehendendi Ariſtoteles non reprehenſionem, ſed apparentem reprehenſionem, & illegitimam, quaſi ſub uera & propria reprehenſione non contineatur, appellat: qua de Ariſtoteles non multo poſt dicet. Paralogiſmus autem eſt fallacia quæ uel in materia, uel in forma ratiocinationis ſpectatur: quemadmodum Ariſtotelem fere paralogiſmum nominare ratiocinationem, quæ in forma uitioſa ſit, animaduertimus.

De reprehenſionibus ſophiſticis, iisq; quæ reprehenſiones apparent.] Nonnulli eorum, qui hoc volumen exponunt, aiunt, ut nos etiam ante diximus, ex æquo dictum fuiſſe, De reprehenſionibus ſophiſticis, & iis, quæ reprehenſiones apparent, quod omnes ſophiſticæ reprehenſiones non proprie reprehenſiones ſint, ſed eſſe uideantur. & tamen ſophiſtica reprehenſio, & quæ reprehenſio eſſe uidetur, quodammodo differunt inter ſe. ſophiſtica enim reprehenſio dicitur ea, cuius materia non eſt uera, quæq; efficitur ex iis, quæ uidentur probabilia, eiusq; forma recta eſt. ea uerò, quæ uidetur eſſe reprehenſio, & paralogiſmus eſt, dicitur cuius figura ratiocinatiua non eſt, cum materia quomodocunque ſe habeat: præſertim cum dixerim paralogiſmum apud Ariſtotelem proprie intelligi ratiocinationem, cuius forma uitioſa ſit.

Sumpto ſecundum naturam à primis initio dicemus.] Sæpenumero diximus ſyllogiſmum ſimpliciter eſſe genus demonſtratiui, dialectici, ac ſophiſtici ſyllogiſmi. quam ob rem cum genera ordine naturæ priora ſint ſuis formis, dicet nunc ſummatim de ſyllogiſmo, & quid ſit; & quinam ſyllogiſmi eſſe uideantur, non ſint tamen, quiq; re uera ſint, exponet. ex quo fit, ut dicat, nos ſequentes naturæ ordinem à primis initium ſumere debere. ita enim ſtatuendum eſt, ut à prioribus ordine naturæ initium ſumatur, quæ communia ſunt, & late patent, inter quæ ſyllogiſmus eſt: cuius mox dicet eſſe genera quatuor. Vel igitur intelligendum eſt hoc modo, de primis ordine naturæ: vel prima ſecundum naturã, appellat propria huiuſce facultatis & tractationis principia, & ueluti elementa: ſiquidem alia aliorum principia ſunt, & nõ eadẽ omnibus rebus conueniunt. nam ut in geometria, natura prima ſunt puncta, lineæ, circuli, & enunciationes, de quibus prius geometræ loquuntur, deinde ſingulas res declarant: ita etiam hic ipſe faciet. Prima enim in hac ſophiſtica ratione ſunt diuiſio, quam adhibet, & declaratio, qua docet eſſe genus quoddam huius ſophiſticæ tractationis, & quem finem ſibi proponant ſophiſtæ, quod eorum conſilium ſit, & quam ob rem cogitent, & quærant huius generis argumentationes, vt uidelicet ſapientes eſſe videantur, vt lucrentur, vt diuitias parent. Eſt enim ſophiſtice quædam ratio quærendi opes ſimulatione ſapientiæ; & ob eam cauſam ſtudent rem agere demonſtrationibus non ueris illis quidem, ſed quæ eſſe uideantur. Sophiſtice autem à dialectica differt, quod ea ad gloriam tantum, ſophiſtice uerò ad quæſtum refertur.

ATQVE illud quidem perſpicuum eſt, alias eſſe ratiocinationes, quæ ueræ dicantur, alias, quæ illarum ſimilitudinem imitentur, quod quidem ut in ceteris rebus, ſic in ſermonibus propter ſimilitudinem ſolet contingere. Vt enim in alijs hominibus uera corporis conſtitutio ineſt, in alijs eius imago, quod ſe ipſi ita comunt & comparant, & alij pulchri ſunt propter formam, alij uidentur, quia ſe compſerunt, ſic in rebus inanimis contingit, quarum partim argentum ſunt re uera, partim aurum, alia non ſunt quidem, iudicio tamen ſenſus uidentur, qualia ſunt lithargirina & ſtannea quæ argentea, & felle infecta, quæ aurea uidentur. eadem eſt ratiocinationis, & reprehenſionis ratio, quarum alia eſt, alia non, ſed propter imperitiam uidetur. imperitis enim idem uſu uenit, quod ijs, qui res procul proſpiciunt.

Dictum à nobis eſt, nonnullorum ſententiam fuiſſe, ſophiſticam reprehenſionem eſſe diuerſam ab ea, quæ apparet quidem eſſe reprehenſio, ſed paralogiſmus eſt: & ita hæc, de quibus nunc agitur, eo dicta eſſe, quod ſophiſticæ reprehenſiones ſint & nominentur ratiocinationes: apparentes autem reprehenſiones, & paralogiſmi cum non ſint ratiocinationes, eſſe tamen uideantur. uerum non ita eſt: ſed generatim dicit, alias ratiocinationes eſſe, quæ de quadam re diſſerant, & recte concludant: alias quæ uideantur concludere, ſed eas non habere rectam ratiocinationis coniunctionem, quæ non ſunt ſimpliciter ratiocinationes nominandæ, ſed apparentes ratiocinationes. Nunc uerò cum ei propoſitum ſit, de ſophiſticis reprehenſionibus, quæ etiam apparentes ſunt, diſſerere; in primis breui commemorat diuiſionem ratiocinationis litigioſæ, quæ habetur primo Topicorum libro. Sophiſticarum enim ratiocinationum (idem enim ualet ut ſi dicerem litigioſarum) aliæ ſunt, quæ ex probabilibus, & iis, quæ probabilia uidentur, ut ibidem dixit, efficiuntur: aliæ uidentur illæ quidem ratiocinationes, ſed non ſunt. quod confirmat iis, quæ ſequuntur.

Quod quidem inquit, ut in ceteris rebus, ſic in ſermonibus, hoc eſt in ſyllogiſmis propter ſimilitudinem ſolet contingere: quam ſane rem non ſolum animalibus, quæ rationem habent, ſed etiam rebus anima uacantibus confirmat. ſunt autem accommodata exempla. Vt enim inquit, quidam ſunt, quorum corpora ſunt bene conſtituta, & firmiter affecta, cuiuſmodi ſunt athletæ, & pentathli; quidam uerò ita ſe comunt, ut corpore bene conſtituto eſſe uideantur, & quibuſdam artificioſis rebus ita

A

poliuntur,

polinntur, & ueſtimentis quibuſdam craſsis corpus tegunt, ut firmæ corporis affectionis ſpeciem imitentur, quemadmodum tribus in uictimis ad ſacrificia perducendis faciebant;quæ cum ſtuderent, ut altera alteram in feſtis,& quinquennali celebritate ſuperaret, cum hoſtias ad aras perducerent, uictimas ipſas inflabant, ut ita turgidæ pingues eſſe uiderentur, cum tamen pingues non eſſent, quemadmodum & Athenæus in libro, qui eſt de conuiuio ſophiſtarum,& Proclus in opere,in quo dies feſtos recēſuit, meminerunt : id inquam faciunt qui corpore male affecto ſunt, qui cum alioqui habeant corpus ſqualore ſordidum, & oculos liuore decoloratos,neque uera pulchritudine ſint inſigniti,ſe ipſos comunt, & fuco perpoliunt, & operam dant, ut homines decipiant, idq; quod non ſunt, eſſe uideantur : quam ob rem omnes, quicunque neque exercitatione ualentes ſunt, neque re uera ſunt magno corpore,& egregia forma, ſed quibuſdam rationibus, & artificioſis rebus molliuntur,& comuntur , tumentes & inflati dicuntur; & efficitur, ut ii quibus infirma corporis affectio ineſt , eos qui corpore bene conſtituto ſunt, imitentur: ii uero qui ſqualore ſordidi ſunt, cum ſpecioſi, & colorati non ſint,eſſe tamen uideantur: ita quoque in rebus inanimatis uſu venit; quarum aliæ argentum & aurum ſunt re uera; aliæ ſenſuum iudicio uidentur . Fallitur enim iudicium propter paruam ſimilitudinem quandam coloris. ut in melle perſpici poteſt . mel enim ſenſus iudicio & flauum eſt,& guſtatu dulce. quod ſi quid aliud eiuſdem coloris ſenſui ſe offerat, ſtatim illud eſſe mel ſenſus ſuſpicabitur, eo quod ambo in eodem conueniant; ut ipſe in libris de anima ſcriptum reliquit . Quo igitur modo error in corporum affectionibus,ac rebus inanimis ſæpe committitur, eodem etiam in reprehenſionibus , ac ratiocinationibus ſolet contingere: quarum partim ſunt ueræ ratiocinationes, & reprehenſiones,aliæ non ſunt, ratiocinationis tamen ſpeciem præ ſe ferunt, cum ii qui audiunt,rectam ratiocinandi uiam,& rationem ignorant: & uerarum ratiocinationum ac reprehenſionum proprietates neſciunt . quod quidam ait euenire propter inſcitiam eorum, qui audiunt. quam rem cum in libro de demonſtratione clam innueret,dixit, ſi quis cum geometriæ imperitis de geometricis rebus diſſerat, recte ne, an ſecus quid dicat,ab illis nihil intelligi. Deinceps uero id confirmat,& cauſam affert,quam ob rem imperiti ea, quæ non ſunt , eſſe ſuſpicentur.

Imperitis enim inquit,idem uſu uenit,quod iis qui res procul proſpiciunt. quæ uerba duobus modis explicantur . vel enim intelligi poſſunt,perinde ac ſi dicat,imperitos in iis rebus,quarum ignari ſunt,ita uideri eas cognoſcere,& diſcernere, ut faciunt ii, qui longe remoti ſunt ab earum rerum natura , & qui ne omnino quidem ſciunt,quid ſit id,de quo agitur: qui cum ita ſint, tantum abeſt , ut res illas cognoſcant,vt etiam ab earum cognitione ſint remotiſſimi. atque ita quidem ea uerba poſſunt intelligi . vel maxime ut ii, qui aliquem procul proſpiciunt,ſæpe falluntur cum propter paruam ſimilitudinem,tum propter interuallum interiectum, & aſpectus debilitatem. ex eius intentione , & remiſſione eum , qui Socrates non eſt,Socratem eſſe putant:& quæ ſelle infecta ſunt,propter coloris ſimilitudinem, aurea: & lithargirina & ſtannea,argentea eſſe putant: ita ii qui ratiocinandi uiam ignorant,propter nonnullam ſimilitudinem, exiſtimant eſſe reprehenſiones atque ratiocinationes eas,quæ non ſunt . id quod eis ex ignoratione contingit .

SYLLOGISMVS enim eſt ex nonnullis,quibus poſitis, aliquid aliud præter ea, quæ poſita ſunt,ex his ipſis neceſſario efficitur . Reprehenſio autem eſt ſyllogiſmus cum oratione contraria concluſionis . aliæ autem id non efficiunt , & tamen multis de cauſis efficere uidentur : quarum illa apertiſſima eſt, & uulgatiſſima,quæ ex uerbis oritur. nam quoniam non licet nobis unà ferre nobiſcum res , de quibus per ſe diſputemus, utimurq; pro rebus uerbis, quaſi quibuſdam notis; quod in uerbis uſu uenit, idem in rebus uſu uenire exiſtimamus: quemadmodum in calculis contingit ijs, qui rationem ſubducunt . quanquam hoc ſimile non eſt; propterea quod uerborum certus eſt numerus,multitudinisq; ſermonum, rerum infinitus. ita eadem oratio,unumq; uerbum multa ſignificat neceſſario . Vt igitur illic à peritis falluntur ij, qui rationes ſubducere neſciunt ; ſic in diſputationibus ij, qui uerborum uim ignorant , facile & cum ipſi diſputant,& cum alios diſputantes audiunt,falluntur.atque ob hanc quidem cauſam, aliasq; permultas,quas exponemus,& ſyllogiſmus, & reprehenſio apparens eſt, non eſt tamen .

Syllogiſmus inquit, eſt, qui ex nonnullis , quibus poſuis , hoc eſt conceſſis , & non per hypotheſin ſumptis efficitur . quid uerò ſyllogiſmus,quidque reprehenſio ſit, in primo, & item in ſecundo priorũ

analyticorum libro dictum eſt,atq; in primo quidem, ſyllogiſmum eſſe orationem,in qua poſit is quibuſdam aliquid aliud præter ea,quæ poſita ſunt, eo quod hæc ſint, concluditur neceſſario, & reliqua. quam ob rem autem unaquæq; differentia adiuncta ſit,ſatis abunde ibi diximus. In ſecundo uero priorum libro dictum eſt, reprehenſionem eſſe ſyllogiſmum cum oratione contraria concluſionis. neque enim ſine ſyllogiſmo fieri poteſt reprehenſio. non tamen ideo idem eſt quod ſyllogiſmus, ſiquidem ſyllogiſmus manat latius: quandoquidē ſi reprehenſio ſit, ſyllogiſmus etiam erit omnino: ſyllogiſmus ſi ſit, non erit etiam reprehenſio. itemque ſyllogiſmus ſine repugnantia fieri poteſt ex duabus propoſitionibus affirmatiuis, reprehenſio ex duabus affirmatiuis effici nullo modo poteſt. in reprehenſione enim neceſſe eſt,ut altera propoſitio affirmatiua ſit, negans altera. cum enim reprehenſio aſſumat repugnantiam eius concluſionis,quæ initio fuerat inducta, ſyllogiſmus cum oratione contraria concluſionis nominatur, hoc eſt ſyllogiſmus, qui aſſumpſit concluſionem, quæ repugnat alicui ueræ propoſitioni propoſitæ, uel per ſyllogiſmum ſumptæ, uel ex conceſſione alicuius ueræ,& per ſe fidem facienti: ueluti ſi quis dicat hominem eſſe animal, idq; hoc ſyllogiſmo oſtendat,Homo eſt rationis particeps,rationis particeps eſt animal, & concluſio per ſe clara eſt: certe is uerum concluſerit. Quod ſi quis occurras concluſioni, eum ſanè refellemus. quod ut faciamus,id quod repugnanter oppoſitum eſt ueræ concluſioni, uel quod eſt contrarium,quod ille ſupponit, & alteram quoque propoſitionem conceſſam ſumemus, & illum plane ſibi repugnare oſtendemus. Inſit enim animal nulli homini, animal omni rationis participi: rationis particeps nulli homini. inerat enim etiam omni. ecce quomodo aſſumentes contrarium ueræ concluſionis, propoſitionemq; conceſſam euertentes abſurdi aliquid concluſimus. idem fiet, ſi id, quod concluſioni repugnanter oppoſitum eſt, aſſumamus. argumentandum autem eſt in ſecunda figura per medium eius,quod expetendum eſt, malum non eſſe in bonis: quare ſit propoſitum malum non eſſe in bonis,quod uel per ſe & ſimpliciter ponatur perinde ac perſpicuum ſit, uel tanquam ſyllogiſmo probatum: ut cum ſumat quis nullum malum eſſe expetendum,omne bonum eſſe expetendum, is etiam in ſecunda figura nullum malum eſſe in bonis probauerit. ſin autem quiſpiam inſtet non ita eſſe,& concluſionem eſſe falſam dicat,certe is dabit concluſioni cōtrarium,aliquod bonum eſſe malum, quod in tertia figura reprehendetur ita nobis ratiocinantibus: malum alicui bono ex hypotheſi conuenit; expetendum alicui malo conueniet: ſed nulli conueniebat. Ita fit, ut reprehenſio ſit, quæ contrarium uel repugnanter oppoſitum concluſioni, & concluſionem aliquam ueram ſumit: & ita oſtendit abſurdi aliquid eſſe concluſum. ac huiuſmodi quidem ſyllogiſmus, & reprehenſio, quiq; ratiocinatur, ac reprehendit, hac ratione ſyllogiſmum facit, & reprehendit: at ſophiſtæ non reprehendunt illi quidem, ſed uidentur reprehendere,

Multis inquit de cauſis. Appellat hoc loco cauſas, tredecim modos, quibus ſophiſtæ circumueniunt eos, qui contra diſputant: quorum modorum dicit unum eſſe opportuniſſimum, ac multis communē, ac propterea uulgatiſſimum, hoc eſt in omnium ore uerſari, (eo enim continenter, & fere ſemper ſophiſtæ utuntur,) & aptiſſimum, quia facilis eſt; qui ex uerbis naſcitur;qualis eſt is,qui uel ex homonymia, uel ex ambiguitate,uel fortaſſis ex utraque ducitur. &,quam ob rem hic fiat, nobis explicat. nam cum diſputamus, ſi poſſemus res ipſas in medium adducere, & ob oculos ponere,quemadmodum ſi de cane eo, qui æſtus facit,differentes,ipſum in medium afferremus, deq; eo poſſemus argumentationes facere, certe nunquam falleremur; cum de iis,quæ in ſenſum cadunt, quæq; perſpicua ſunt, diſſereremus. uerum cum hoc fieri nullo pacto poſſit,& res ipſæ in diſputationibus non adhibeantur,ſed pro rebus utamur earum notis,& uerba ſunt rerum notæ(nomina enim atq; uerba,quæ uoce proferuntur, & per ſe prolata nomina itidem ſunt, per animi notitiam res ipſas declarant) quod in uerbis uſu uenit, transferimus ad ea, quæ à uerbis ſignificantur. quorum enim unum & idem nomen eſt, eorum etiam & naturam, & ſubſtantiam eandem eſſe exiſtimamus, propterea quod nomen idem eſt. quocirca is, qui ita interrogat, An lapis eſt maſculinus? An Callias eſt maſculinus? lapis igitur eſt Callias. item, An Plato eſt mas? Nonne fluuius eſt mas? Plato igitur eſt fluuius. quo quidem loco fallacia efficitur, quia uerba ſunt homonyma, uel ambigua. putamus enim quod in nominibus uſu uenit, idem in rebus euenire. cur uero ita fallere ſophiſta conetur, explicat. cum enim natura nobis non ſuppeditauerit ita magnam copiam uerborum,quæ rei cuique congruant,eo fit fallacia hæc,atque captio. ſi enim magna uerborum copia inſtructi eſſemus, profecto huiuſmodi fallaciæ nihil loci relinqueretur, nunc uerò cum natura noſtra tanta inopia preſſa ſit, resq; & multæ & diuerſæ,& infinitæ ſint; neque natura, ſed nos cuique rei proprium nomen impoſuerimus,& multæ ac diuerſæ unum & idem nomen ſortitæ ſint, ſequitur, ſi res illæ ſingulæ proprio nomine ſignatæ eſſent, nòs non deceptum iri: ſed cum diſputaremus, res ſub ſenſum adduceremus,atque ita interminata fieret diſputatio. cum uero natura propter egeſtatem unicuique rei nomen non accommodarit, ſed multis idem impoſuerit, propterea fallaciæ relictus eſt locus. quam ob rem, quæ de nominibus conceſſa ſunt, eadem etiam putamus accidere in rebus,quæ à nominibus ſignificantur,perinde ac ſi illæ unius naturæ ſint; quia uno nomine appellantur. & quia nomen eſt unum, res quoque à nomine ſignificatas,quæ & differentes,& diuerſæ ſunt,unas putamus natura. quod fieri nequit. neque enim ſi Baſiliſcus unum nomen ſit, iam res quoque ab eo ſi-

gnificata

gnificata erit una: quandoquidem eſt Baſiliſcus multis notus, & alius cognitus ſolum doctis uiris, is qui ad cor leonis cœleſtis ſitus eſt. Fallere igitur & falli quamminima communione & ſimilitudine, ſophiſtarum eſt munus. quibus quidem ſophiſtis ait uſu uenire, ut quod fiat in uerbis, id etiam in rebus fieri autument. exemplum autem adhibet eorum, qui in calculis rationes ſubducunt. quæ enim in digitis inueniunt in calculis ratiocinantes, ea ad res transferunt, & ſe totidem habere dicunt, & eos eſſe quos digitis menſi erant. uerum hoc ſimile non eſt: ſed in numero quidem, quæ in eis uſu ueniunt, uere ad res numeratas transferri poſſunt. nam ſi numerus ſeptenarius in parem & imparem diſtribuatur, etiam neceſſe eſt ſeptem homines, qui quidem ſunt res numeratæ, in parem & imparem numerum diuidi. at in uerbis id non uerum eſt. neque enim ſi Dion ſit biſyllabum; & biſyllabum, quadriſyllabum: etiam Dion, qui eſt res, quatuor ſyllabarum ſit, neceſſe eſt. Quæ cum dixerit, & docuerit quomodo decipiamus, hoc eſt per ignorantiam, atque imperitiam, & magis etiam propter homonymiam, cum ſophiſtæ fallaciam, quæ in uerbis eſt, ad res traducunt, quemadmodum ratiocinatores numeros in res numeratas commutant, docet nunc id diuerſum, & non ſimile eſſe, cum ait:

Quanquam inquit, hoc ſimile non eſt.] In numeris enim & numerabilibus, ambo infinita ſunt, & comprehendi nullo modo poſſunt & perſpicuum eſt, quemadmodum alterum ſe habet, etiam alterum habiturum. at in nominibus & rebus non ita ſe res habet: ſiquidem nominum, & ſermonum multitudinis definitus eſt numerus. nam quoniam orationes ex nominibus componuntur, (nunc enim nomina quoque ipſa uerba appellentur) nomina ex ſyllabis, ſyllabæ ex elementis, elemẽta autem uocis, quæ ſcribi poteſt, finita ſunt, cum ſint quatuor & uiginti, efficitur, ut quod ex finitis ſit cõſtitutum, ipſum quoque ſit finitum, ut ipſe in ſexto de phyſica acroaſi libro oſtendit. atque ita finita ſunt nomina. quomodo uero numerus & res in infinitate ſint, & quomodo non eſt eadem ratio eorum quæ in numeris uſu ueniunt, cauſam poteſtate quadam adducit hoc modo. quoniam numerus & res infinitam acceſſionem poſſunt accipere, idcirco non uſu uenit, ut diuerſæ res numerabiles, quatenus numerabiles ſunt, uno & eodem nomine declarentur: ut ſeptenarius & ſenarius numerus quinario, at res cum infinitæ ſint numero, uerba autem finita ſint, neceſſe eſt una oratione, unoq; nomine plura ſignificari, hoc cum ita ſit, ſi in una ſignificatione concedat is, qui reſpondet, ad aliam uero transferat is, qui interrogat, certe repreheſio fieri uidebitur. vtitur autem exemplo numerorum, & calculorum, ut doceat ſophiſtas ad res uerba transferre, & imperitos in errorem inducere. quemadmodum enim in calculis ii qui rationem neſciunt ſubducere, ſed plebei & ignari ſunt, & à ſe ipſis, & ab aliis, qui in calculis & in numeris ualent, decipiuntur, quod numeros ad res numeratas transferant, ita quoque ait uſu uenire in orationibus ex nominibus factis. qui enim ignorant uim nominum atque uerborum, cum uitioſe argumententur, falluntur & cum ipſi diſputant, & cum alios diſputantes audiunt: quia pauciora ſunt rebus nomina. itemq; res quandoque aliæ, atque aliæ ſunt, nomina eadem ſunt. non tamen ob hanc ſolum cauſam dicit homonymias, ſed quia propter hanc cauſam ex neceſſitate ſunt homonymiæ, etiam ſi ob alias quaſdam cauſas homonymiæ ſint. An homonymia neceſſario propter hanc cauſam eſt: omnino autem, qui aliquod nomen ponit, is utetur ea uoce, quæ de alio dicta ſit: homonymia tamen, quæ ex hoc, uel hoc ſit, non eſt neceſſaria, cum fieri nequeat, ut homonymia ſit in alio quodam, quod non ſit huiuſmodi. Nomina autem eſſe finita, perſpicuum eſt ex eo, quod elementa ex quibus coniunctis fiunt nomina, ſunt finita. finitorum enim eſt finita coniunctio, & etiam ex eo, quod non omnis literarum coniunctio aut ſyllabas, aut uerba faciat: ſiquidem coniunctiones & compoſitiones literarum, quæ cum uocalibus fiunt, id ſolum poſſunt efficere.

Atque ob hanc quidem inquit, cauſam. ex hac uidelicet cauſa, quæ ex nominibus proficiſcitur, quæ ex homonymia exiſtit, & aliis duodecim modis, quos exponet, in ſyllogiſmis & elenchis uerum & apparens inuenitur. quorum alterum ſcientiam, alterum uero fallaciam efficit.

QVONIAM uero quidam malunt uideri ſapientes, quàm eſſe & non uideri (Eſt enim ſophiſtice ſimulatio ſapientiæ, non uera ſapientia, & ſophiſta is, qui ſimulatione ſapientiæ, non uera ſapientia quæſtum facit) perſpicuum eſt, neceſſe eſſe, ut huiuſmodi homines fateantur, malle ſe uideri ſapientis fungi officio, quam fungi, nec uideri.

Cum dixerit ex ea cauſa, atque aliis multis effici ſophiſticam fallaciam, deinceps explanat, quamobrem eius ſtudio duci homines cœperint. ait enim nonnullos reperiri, qui cum uideri, quam eſſe ſapientes malunt, propterea quod id ipſum prompte abſque ullo negocio, & ſudore conſequuntur: longe pluris faciunt, ſeſe uideri ſapientis fungi officio, quam uere fungi: neque ſolum hiſce noſtris temporibus inueniuntur qui dent operam, ut uideantur potius eſſe ſapientes, quàm ut ſint, ſed etiam priſcis illis temporibus id unum ſophiſtæ ſtuduerunt. Sophiſtice enim eſt ſimulatio ſapientiæ, non uera ſapientia: & ſophiſtes eſt is, qui ſimulatione & ſpecie ſapientiæ, non uera ſapientia quæſtum facit. id quod

Hippias, Protagoras, Gorgias & Prodicus ſatis declarant: quorum hominum ſapientiam, quanta fuerit, & opes, quas ea arte repererunt, ſi quis ſcire aueat, legat is Platonis dialogos, qui hiſce nominibus ſunt inſcripti. Ac ſapientisſimus quidem Socrates cum in Platonis Gorgia Poli hominis audacisſimi iactantiam, & Calliclis inſcitiam ſcientifica ratione reprehenderet, & infirmis rationibus fultam eſſe ſophiſticen probaret, ait ſophiſticen eſſe ſolum opinionem ſapientiæ, non ueram ſapientiam: & ſophiſtam ſibi ſolum arrogare nomen ſapientis, re uera tamen & inſipientem eſſe, & numorum cauſa facientem omnia: hoc eſt ſophiſtam eſſe eum, qui ſcire ſe ſimulat, & ea ſapientiæ ſimulatione quæſtum facit. ſophiſticen autem eſſe ſimulationem ſapientiæ, & non ueram ſapientiam hinc ſciri poteſt, quod tota in opinione conſiſtit. quæ uero in opinione conſiſtunt, non ſunt uera, atque propria. opinio enim eſt ſimulacrum exiſtentiæ, non eſt uera exiſtentia. ergo ex duplicatione maioris termini, opinio non eſt uera, atque propria. quam ob rem & ſophiſtice eſt ſimulatio ſapientiæ, & ſophiſtes is, qui ſapientiæ, quam non habet, ſpeciem præ ſe fert: & eius officium non eſt uerum ſapientis officium, ſed eſſe ſolum uidetur. cumq; ſophiſtæ ſimulatione ſapientiæ lucrarentur, ſequitur omnino maluiſſe eos uideri ſe fungi ſapientis officio, quam fungi. at qui uere ſapiens eſt, fungi ſapientis officio, quam uideri fungi mauult: id quod exemplo Socratis perſpici poteſt, qui ubique ſe nihil ſcire, neque ſapienter quicquam agere profitetur: cum alioqui omnia ſumma ſcientia & diceret & faceret. ſophiſtæ autem aliam omnino rationem ſequuntur: affirmant enim ſe ſcire omnia, ac Protagoras quidem, neque ante inquit, neque hodie ullus à me noui quicquam percunctatus eſt, quaſi diceret ea omnes à ſe quærere, quorum eſſet cognitionem conſequutus.

EST autem perfecte ſapientis officium, ijs in rebus, quas cognitas habeat, non fallere, alteriusq; captiones indicare poſſe. quorum hoc in eo poſitum eſt, ut defendere; alterum in eo, ut refutare poſſit id, de quo diſputetur. quocirca qui ſophiſtæ eſſe uolunt, neceſſe eſt genus harum diſputationum exquirere. eſt enim in promptu. quandoquidem hac ipſa facultate fiet, ut ſapientes uideantur. id quod ipſi uolunt. illud igitur perſpicuum eſt, tale genus eſſe diſputationum, eamq; uim, & facultatem expetere eos, quos ſophiſtas uocamus.

Declarauit quænam ſit ſapientia ſophiſtarum, quam ſapientiæ ſimulacrum eſſe dixit. itemq; quod eorum ſit officium, malle uideri, quam uere fungi ſapientis officio. nunc uero quod ſit uere ſapientis officium explicat. ac ne quis diceret, quomodo & qua nam ratione à ſophiſtis non decipiemur, cum recte interrogare, & reſpondere ſciamus? declarat, quid facere debeat is, qui ſcite interrogat, quique reſpondet. atque eius qui interrogat, officium eſſe ait, interrogando non fallere. & docere eum, qui reſpondet, fallere & decipere, ſiquidem uitioſe, & falſo reſpondeat. reſpondentis uero officium eſſe, explicare fallaciam, ſi quid fallit is, qui interrogat atque indicare alterius captiones, quod eſt reſpondentis officiũ, idq; in eo poſitum eſt, ut rem in diſputationibus tueatur. cum enim cognoſcat, an res multis modis dicatur, an uno modo, non ſe falli ſinet, ab eo, qui proponet aliquid eorum, quæ multis modis dicuntur. Non fallere autem in ſumendo aliquid, interrogantis eſt: quandoquidem qui ſcit recte interrogare, nunquam eiuſmodi propoſitionem rogabit, ex qua effici poſſit, ut contraria fateri cogatur. qui enim recte interrogat, quia ſcit recte interrogare, facit ut non eius cauſa contraria accidere uideantur, ſed culpa eius, qui reſpondet. Eſt autem perfecte ſapientis (ut breui dicam) officium, hoc eſt officia recte interrogantis, recteq; reſpondentis hæc ſunt: Interrogantis, adhibere propoſitiones proprias, & minime ambiguas: reſpondentis, poſſe mentientem redarguere eum, qui interrogat. ac poteſtas quidem decipientem reprehendendi proficiſcitur ex cognitione eorum, quæ multis modis dicuntur, quæq; ambigua ſunt, & cæterorum, quorum ope fallere, & decipere conatur is, qui interrogat. quare quod ait eſſe perfecte ſapientis officium, uel ita poteſt intelligi, uel hoc etiam modo: poſtea quam me interrogare uis, ſi me non uis circumuenire, interroga recte, & uere: quod eſt ſcite interrogantis officium: & da operam ut mentientem eo pacto, quo diximus, reprehendas: quod eſt officium eius, qui reſpondet ſcite, & erudite. igitur id uel primo, uel ſecundo modo accipiendum eſt, quandoquidem utroque modo uidetur conuenire. Duo enim dixit, & quo modo interrogandum, & quo modo reſpondendum ſit. quæ cum dixerit, nobis in memoriam redigit ea, quæ docuit. hoc enim eſſe genus argumentationum, quod ſophiſtæ ſequuntur, docuit in iis, in quibus homonymiam expoſuit. & ſimul etiam affert cauſam, quam ob rem ſophiſtæ hanc ſermonum facultatem expetant, quod uidelicet facilis, & in promptu ſit: & quia hæc ratio contendendi facit, ut quis ſapiens uideatur, qua ratione ſophiſtæ id quod ſtudent, aſſequuntur; quibus quidem rebus Ariſtoteles quodammodo indicat, neceſſe eſſe eum, qui reuera, & per ſcientiam philoſophus eſt, hoc argumentationum genus, cui ſophiſtæ ſtudent,

cogno-

cognoſcere: quomodo enim reprehendi poteſt id, quod ignoratur? at illud quidem poteſt, quod cognitum eſt. Si enim inſcitia, atque ignoratio harum argumentationum eſt imaginationis cauſa, certe patet, eas tum denique reprehēdi poſſe, cum ſit earum habita cognitio. Quæ cum dixerit, ſequitur, ut quid huic libro propoſitum ſit, declaret. eſt enim dicturus de fallacibus ſophiſtarum reprehenſionibus, quomodo fiant, & ex quibus conſtent.

SEQVITVR; ut quot genera ſint orationum ſophiſticarum, quotque ex partibus numero hæc facultas conſtet, & quæ ſint huius inſtituti partes, & de alijs, quæ ad hanc artem pertinent, diſſeramus.

Nunc aggreditur ad docendum ſophiſticas reprehenſiones, & primum inquirit, quot ſint genera ſophiſticarum argumentationum, & ex quot partibus conſtet facultas hæc ſophiſtarum. quod autem ipſe ait,

Quotq; ex partibus numero hæc facultas conſtet, & quot ſint huius inſtituti partes: uel pro æqualibus poſuit; uel quod ait, quod ſint huius inſtituti partes, dixit pro eo, quod eſt, & quæ ſint genera argumentationum & ex quot partibus conſtent. Vel dixit, quot ſint partes huius inſtituti, quaſi dicat, quot ſint genera captioſarum argumentationum; quæ ſunt duo, quorum unum in uerbis, alterum in rebus uerſatur. & quod ait, Ex quot, ſignificat, quot ſunt partes ſingulorum generum; ac partes generum, ipſas generūm ſubdiuiſiones appellat. Poſſet etiam quod ait, Et quot ſint noſtri inſtituti partes, pro eo intelligi, quaſi dicat, quot exquirant & inueſtigent ſophiſtæ, cum præſertim non ſolum ut reprehendant, ſed etiam alia nonnulla, ut poſt dicetur, inueſtigare uideantur. Sophiſtica autem dici poteſt uel quia neque ars, neque ſcientia ſit; quandoquidem & ars & ſcientia utraque in ueris uerſatur: ſiquidem ars eſt habitus efficiens cum uera ratione: ſcientia eſt habitus quo id quod ſemper eodem modo ſe habet, demonſtratur. Vel ſophiſticam artem dixit, communiter & generatim, quaſi eam facultatem appellet: quam etiam artem uocat, nomen artis late & communiter uſurpans.

SVNT igitur earum diſputationum, quæ ſunt in diſſerendo genera quatuor. aliæ enim ad docendum, aliæ ad diſſerendum ualent. partim tentandi, partim ſtudio certandi inſtituuntur. Ad docendum autem ualent eæ, quæ ex proprijs initijs artium omnium non ex reſpondentis ſententia concluduntur. Debet enim is fidem adhibere, qui diſcit. Sermones autem ad diſſerendum ualent ij, qui ex probabilibus repugnantiam concludunt. Tentandi autem gratia ſuſcipiuntur ij, qui ex ijs concludunt, quæ probat is qui reſpondet, quæque tenere debet neceſſario is, qui ſcientiam ſibi arrogat: quo de genere alio loco diximus. Certandi autem ſtudio adhibentur, qui ex ijs, quæ probabilia uidentur, nec ſunt, aliquid concludunt, aut concludere uidentur. ac de ijs qui ad docendum, demonſtrandumq; comparantur, in Analyticis: de ijs, qui ad diſſerendum, ac tentandum, in ſuperioribus: de ijs qui certandi & contendendi ſtudio fiunt, nunc dicendum eſt.

In primis communiter proponit, & enumerat omnia genera ſyllogiſmorum. deinde ſumit illud genus, quod hoc ſermone inueſtigat: deq; eo deinceps dicet. Exiſtit autem hoc loco dubitatio, quonam pacto cum dixerit genera argumentationum, quæ in diſſerendo ſunt, eſſe quatuor, primo in medium adduxerit ſermones, qui ad docendum ualent, qui demonſtratiui ſunt. neque enim demonſtratiuæ argumentationes ex probabilibus conſtant, neque ex iis, quæ probantur omnibus, neque ex iis quæ plurimis, neque ex iis quæ ſapientibus, neque ex iis, quæ omnibus ſapientibus probantur. aut ex iis quæ plurimis & iis quidam in philoſophia clariſſimis. neque enim de quacunque re propoſita ratiocinantur, quoniam ex iis ratiocinari non pertinet ad demonſtratiuum, aut demonſtratiuam rationem, ſed ad dialecticam. an uerbum διαλέγεσθαι, hoc eſt diſſerere, capiendum eſt pro συλλογίζεσθαι, hoc eſt ſyllogiſmum facere? is enim qui demonſtrat, non diſſerit, ſed ſyllogiſmum facit. ut fit in geometria, atque aliis multis. Iam uero cum poſuerit quatuor genera, breuiter eorum differentiam docet. Sermones inquit ad docendum ualent ii, qui ex propriis cuiuſque artis principiis, non ex reſpondentis ſententia concluduntur. demonſtratiui ſunt ſyllogiſmi, quales uerbi gratia, in numero per quantitatem disiunctam concluduntur: & geometrici, qui in quantitate coniuncta efficiuntur, & uno uerbo, qui ex propria ſcientia, proprioq; ſu-

biecto habent principia.ac demonſtratiuus eſt,qui ita, atque ex huiuſmodi,non reſpondentis opinione, atque arbitrio concluditur.cuius rei cauſa eſt,quod is,qui diſcit,fidem adhibet. quod fit , cum is qui docet,ex propriis cuiuſque rei initiis accommodatas & ueras argumentationes ducit. nemo enim ſecunda diſcet,qui prima non crediderit.Ad diſſerendum autem ualent ii, qui ex probabilibus repugnantiam concludunt.ſemper enim dialecticus quæſtionis repugnantiam conatur concludere:cumq; exercitationis cauſa ſit comparatus,in utranque partem ex probabilibus contraria concludit.Tertium genus ait eſſe ratiocinationem experiendi gratia comparatam ; quæ ipſa quoque dialectica eſt , & dialecticæ pars. hæc tamen ab illa differt, quod hæc non eſt ex iis , quæ ſunt omnino probabilia , ſed ex iis , quæ etiam probantur ei,qui reſpondet in ea præſertim re,cuius ſibi ille ſcientiam arrogat. hoc enim inter ſyllogiſmum dialecticum & rationem tentandi,ut diximus,intereſt;cum tamen ipſa quoque dialectica ſit,quod dialectica ex omnino probabilibus concluditur,quæ quidem probantur aut omnibus,aut plurimis,aut certe ſapientibus.experiendi autem & tentandi ratio efficitur & ex omnino probabilibus,& ex iis,quæ probantur iis omnibus,qui ſibi eam artem arrogant,ex qua experientia ſit; quæ ipſa quoque probabilia ſunt,licet non omnino ſed in ea arte probentur . quæ enim in falſis geometriæ deſcriptionibus ſumuntur,non ex iis,quæ omnibus probantur,ſed ex iis,quæ neceſſario ſcire debent geometræ , concluduntur.Atque in quibuſdam quidem libris hoc uerbum , Neceſſario , ſcriptum eſt ἀναγκαῖον , ut quidpiam deſit,ut ſit extrinſecus intelligendum, quorum ſcientiam habere neceſſe eſt eum,qui ſe ſcire profitetur.Itemq; in quibuſdam exemplaribus non quatuor genera argumentationum, ſed tria tantum ſcripta ſunt:propterea quod de eo,quod tentandi ſtudio adhibetur , uideatur deinceps facere mentionem, quaſi pars ſit dialectici generis.Hæc autem ratiocinatio,quæ tentandi gratia ſuſcipitur,ſæpe apud Platonem cum in omnibus fere eius dialogis,tum maxime in Euthyphrone reperitur.huius etiam primo Topicorum libro meminit,cum quam ad rem utilis dialectica ſit,declarat.id quod nunc innuit,cum ait,

Quo de genere alio loco diximus.] Certandi autem ſtudio adhiberi eas ratiocinationes dicit , quæ ex iis,quæ probabilia uidentur,nec ſunt,aliquid cōcludunt; quales ſunt quarum forma recta eſt;& item eas,quæ ratiocinationum ſpeciem præſeferunt,quarum uitium eſt in forma. quæq; certandi,& quæ contendendi ſtudio adhibentur,eædem ſunt.ac de iis quidem inquit,quæ ad docendum, demonſtrãdumq; comparantur,in poſterioribus analyticis diſſeruimus:de iis uero,quæ ad diſſerendum,& tentandum ualent,in topicis,de iis quæ certandi,& contendendi ſtudio fiunt,nunc dicendum eſt.

SED primum intelligendum eſt , quot conijciant ij , qui in argumentationibus certant,atque contendunt.ſunt autem numero quinque,reprehenſio,falſum, admirabile,ſolœciſmus,& quintum facere,ut nugetur is,qui contra diſputet : quod in eo poſitum eſt,ut ſæpe idem iterare cogatur.aut quod non eſt quidem,ſed ſpeciem quandam præ ſe fert illorum omnium. illi enim maxime uideri uolunt coarguere , deinde falſum aliquid oſtendere,poſtea ad aliquid quod eſt contra opinionem omnium adigere , tum ad ſolœciſmum compellere,id eſt,ut barbare loquatur ex diſputatione is , qui contra diſputat: poſtremo,idem ſæpe dicere.

Dixit diſſerendum eſſe,quot ſint genera ratiocinationum.& quot ſint cuiuſque generis partes , & de iis quæ ad hanc artem pertinet:nunc incipit præſtare quod pollicitus eſt.ac primum exponit quot inueſtigent ii,qui certandi ſtudio diſputãt,hoc eſt,ſophiſtæ:& ait quinque ab illis exquiri , reprehenſionem, falſum,admirabile,ſolœciſmum,& facere,ut is, qui contra diſputat , nugetur . quid autem unumquodque horum ſit,poſtea percipiemus.nunc autem quid ſit,facere ut nugetur is qui contra diſputat, ipſe declarat,cum addit,

Quod in eo poſitum eſt , ut ſæpe idem iterare cogatur.] Quia autem ſophiſtæ non uere dicunt id, quod pronunciant,cum non ex probabilibus,ſed ex iis,quæ uidentur probabilia,argumentantur ; propterea dixit,coniiciant . ſed quid unumquodque horum ſit , tunc exponemus , cum ipſe de eis diſſeret. quod autem ait,

Aut quod non eſt quidem, ſed ſpeciem præ ſe ſert illorum omnium. eſt huiuſmodi . enumeratis iis, quæ ſophiſtæ coniiciunt,ait , omnia ea, quæ a ſophiſtis inueſtigantur , non eſſe re uera , ſed apparere.ait enim,unumquodque eorum non eſt re uera, ſed uidetur eſſe: quia ſophiſtæ non uere docent eum , qui contra diſputat,falſa loqui, ſed uidentur oſtendere:neque uere docent,barbare loqui eum , qui barbare loqui uideatur.interrogando enim hoc pacto,an quod dicis eſſe,hoc eſt: dicis eſſe Socratem , igitur Socratem eſt,non eſt uerus ſolœciſmus,ſed uidetur eſſe.hæc autem uerba,

Aut quod non eſt quidem,ſed ſpeciem quandam præ ſe fert illorum omnium,poſſunt etiam intelli-

gi.

gi,tãquam dixerit,illud uerbum Aut,pro An, ut ſit ſolutio dubitationis quæ uidetur eſſe,quomodo ſophiſtæ reprehendant,licet autem falſum,reprehenſionem,& huiuſmodi coniectent,tamen ea omnia apparent,& nõ ſunt.neque enim reprehenſio eſt uera reprehẽſio, neque ſolœciſmus eſt uerus ſolœciſmus, neque etiam cætera talia ſunt, qualia uidentur.eſt enim uera reprehenſio,quæ cum orationem concluſioni contrariam & unam ex propoſitionibus ſumit, aliquid euertit eorum,quæ ſunt propoſita . at qui dicit, licet ne σιγῶντα loqui?non.quid?cum ligna & lapides dicis?licet igitur σιγῶντα loqui.non reprehendit, quia ambiguum eſt τὸ σιγᾶν,hoc eſt ſilere. iam uero quod ait,

Aut quod non eſt quidem,ſed ſpeciem quandam præ ſe fert illorum omnium, ita intelligi debere,ut nos diximus,ipſe iis uerbis,quæ adiunxit,clarum fecit.

Illi enim,inquit,maxime uideri uolunt coarguere,& reliqua. Dicet aliquis illa uerba ita etiam exponi poſſe,cum ſophiſta reprehendere conatur,id quod non eſt, non eſt tale,quale eſt id , quod re uera eſt, & quod apparet,ueluti quod nullo pacto probatur,ſed non eſt illud quidem per ſe,ſed eſt ex opinione alterius,& propterea apparens eſt.

MODI autem coarguendi ſunt duo . aliæ enim reprehenſiones in uerbis ſunt, aliæ in rebus.earum quæ in uerbis ſpectantur phantaſiam gignentes ſunt ſex genera, homonymia,ambiguitas,adiunctio,diſtinctio,accentus,forma orationis.

Hoc loco ei propoſitum eſt dicere de modis paralogiſmorum . cum enim tredecim ſint, duos eorum eſſe modos dicit,in quo modos dixit pro eo,quod eſt genera:& uidetur quodammodo ita dicere;genera moleſtarum rationum,quibus ſophiſtæ utuntur,ſunt duo: quorum unum ſex modos complectitur, qui in uerbis eſſe dicuntur:alterum ſeptem,quos in rebus eſſe ait.qui in uerbis ſpectantur,ſunt hi,homonymia,ambiguitas,adiunctio,diſtinctio,accentus,forma orationis.alterius ſunt ſeptem genera, unum ex accidente;alterum cum omnino,aut non omnino,ſed quodam modo,aut alicubi,aut aliquando, aut collatum cum aliquo dicitur,nec proprie nominatur,tertium ex reprehenſionis ignoratione ; quartum ex conſequentibus;quintum ex eius,quod initio dictum eſt,petitione : ſextum cum id quod cauſa non eſt, pro cauſa ponitur;ſeptimum cum multa rogata pro uno ponuntur,quoniam enim ſumma eorum,quæ ſunt,diuiſio fit in uerba atque res;& eorum quædam dici poſſunt,quædam ſunt;dici autem poſſunt uerba,res uero ſunt;efficitur, ut prima fallacium reprehenſionum diuiſio fiat uel in res , uel in uerba . quarum utraque pars in multa diſtribuitur.Si in uerba,earum captionum erunt ſex genera;ſi in res,ſeptem. ac primum de iis captionibus dicendũ eſt,quæ in uerbis ſpectãtur:deinde de iis dicetur , quæ rerũ ſunt.

Neceſſe igitur eſt,captiones quæ in uerbis ſpectãtur,uel ex iis eſſe,quæ per ſe ſunt, uel ex iis quæ ſunt in eis.ſi ex iis,quæ per ſe ſunt,uel exiſtent ex iis,quæ omnino res diuerſas continent, & fiet primum genus captionum,quas commemorauimus:quod ducitur ex homonymia: uel ex uerbis compoſitis , quibus pari ratione diuerſæ res comprehendantur,& ſecundum genus,quod ex ambiguitate eſt, efficietur. Sunt autem quatuor modi,ex quibus hæc duo geneta effici ſolent,unus cum oratio , aut uerbum multa ſignificat;qui quidem modus,ut poſtea uidebimus,eſt æque ambobus generibus communis : alter cum ſoliti ſumus ita dicere.quid autem ſit nos ita ſolitos eſſe dicere , tum declatabimus , cum ad eum locum deueniemus.atque is etiam modus perinde ac ſuperior utriſque communis eſt. tertius quando coniunctum multa ſignificat;ſeparatum,unum.qui modus eſt ſolum proprius ei generi, quod ex ambiguitate ducitur.quartus eſt huic contrarius,cum uerba cõiuncta unum ſignificant;ſeparata,multa . Quod autem ait,eſt,ut ante dictum eſt,ſi quis ſimplices uoces adhibeat,quibus res diuerſæ contineantur,hæc duo prædicta genera captionum efficiet.uel ſimplices cõiunget,& aliquid ex coniunctione omnium uerborum conſequens capiet,& faciet tertium genus earum captionum,quæ in uerbis ſpectantur,cui nomen eſt adiunctio.uel contra faciet,& genus,quod ex diſtinctione eſt,efficiet.ita ex generibus , quæ in uerbis ipſis uerſantur,hæ fallaees concluſiones fiunt;cætera uero duo ex iis conſtant, quæ circa uerba ſunt. nã uel & tono;uel ex ſpiritu fiunt:& efficitur illud genus,quod ex accentu elicitur.uel ex dictionis forma,& fit genus,quod a forma orationis ducitur.qui quidem ſex modi ex iis exiſtunt,quæ dici poſſunt. qui quomodo ſingillatim,& ex quibus omnes fiant,deinceps explanabimus:& uerba obſcura exemplorum appoſitione clara & illuſtria faciemus.

ATQVE illud & inductione & ſyllogiſmo,ſiue aliquo alio argumento doceri poteſt , tot nos modis iiſdem uerbis & orationibus non eaſdem res ſolere declarare.

Supra ſex ſolum genera captionum,quæ in uerbis ſpectantur, eſſe dixit . nunc uero & nullum aliud eſſe,& eius orationem;qua dictum eſt,nec plura, nec pauciora eſſe,quam ſex , confirmat . cuius rei fides,

hoc eſt,ea genera ſenarium numerum non excedere, ex inductione fit, quam ego deinceps exponam, qua quidem captiones,quæ in uerbis ſpectantur,declarabuntur:& omne ſophiſma ex uerbis ortum ad hæc ſex genera reuocabitur.

Et ſyllogiſmo,ſiue aliquo alio argumēto.]aliquod aliud argumentum appellat priores ratiocinationes ambarum propoſitionum ratiocinationis ab eo propoſitæ.atque is quidem ſyllogiſmus conuenienter his,quæ dicta ſunt,ab eo eſt propoſitus,licet obſcure, & fere ænigmatice: ſed tamen cuiuſmodi hæc ſint,illuſtranda ſunt nobis.Fit ratiocinatio in primo modo primæ figuræ;itemq́; altera antecedēs. utriuſque propoſitionis ratiocinatio.eſt autem ipſa ratiocinatio,ut etiam Galenus ait,huiuſmodi,ſophiſmata, quæ in uerbis ſpectantur,ex eo fiunt,quod iiſdem uerbis & orationibus non eadem declarentur:omnia ea,quæ non eadem iiſdem uerbis & orationibus declarantur,ſex modis efficiuntur:omnia igitur ſophiſmata,quæ in uerbis ſpectantur,ſex modis efficiuntur. hæc eſt ratiocinatio. alia autem ratiocinatio fiet, qua probabitur hæc maior propoſitio:omnia ea,quæ non eadem eiſdem uerbis & orationibus declarantur,ſex modis fiunt:& qua probabitur minor,qua dicitur,ſophiſmata,quæ in uerbis ſpectantur, ex eo fieri,quod iiſdem uerbis & orationibus non eadem declarentur.minor autem eius propoſitio probabitur,ſi medius terminus ſumatur hic,ex uitio orationis,eritq́; ſyllogiſmus, qui minorem probabit hoc modo:ſophiſmata ex uitio orationis fiunt:omnia ea quæ ex uitio orationis fiunt, ex eo fiunt, quod iiſdem uerbis & orationibus non eadem declarantur;ergo ſophiſmata fiunt ex eo, quod non eadem iiſdem uerbis,& orationibus declarantur: quæ ſane cōcluſio erat minor propoſitio eius ſyllogiſmi, quem ante diximus. eademq́; ratione maior oſtendetur, ſi medius terminus ſumatur, aut actu, aut potentia, aut cogitatione. ac ſyllogiſmus, quo maior confirmatur, fit hoc modo, oratio & uerbum habent duplex,hoc eſt,non idem ſignificant:omne duplex in oratione aut uerbo ſpectantur uel potentia,uel actu, uel cogitatione:quod potentia aut actu,aut cogitatione bis ſumitur,ſex modis efficitur: concluſio ipſa clara eſt.atque ita quidem ſyllogiſmus explicari clarius poteſt.ex quo perſpicuum eſt, ſex modis omnino fieri ſolere,ut omnia,quæ non eadem ſunt,iiſdem uerbis, & orationibus declarentur, quod uel potentia,uel actu,uel cogitatione non idem declaretur:omnia autem quæ ita ſunt, ſex modis fiunt. & ob hanc cauſam quæ non eadem iiſdem uerbis,& orationibus ſignificantur,ſex fieri modis ſolent: & concluſio omnibus communis eſt huiuſmodi:ſophiſmata,quæ in uerbis ſpectantur, ſex modis fiunt. atque hæc de ſyllogiſmis dicta ſint.ita fit,ut actu ambiguitatem habeant eæ captiones,quæ ex homonymia,& ambiguitate ducuntur:quæ ex homonymia ſumūtur,in nomine:quæ ex ambiguitate,in oratione. actu enim re uera duo ſignificat,quando nomine duo ſignificat.tunc enim proprium nomen non unam rem indicat;&,licet ne σιγῶντα loqui?non unum,ſed duo ſignificat.potentia autem duplicia ſunt ea ſophiſmata,quæ in accentu,adiunctione,& diſtinctione fiunt,quæ quidem non multa hæc, ſed omnino unum declarant.uerum quia in utranque partem ſumuntur, duplicia uocantur: quam etiam ob rem ea dicimus eſſe potentia.huiuſmodi eſt quod dicitur eſſe potentia.hoc enim uerbum ὄρος ſi ſolum proferatur, actu nihil ſignificabit,ſi ſcribatur,poteſt multa ſignificare,modo ei uel leuis,uel aſpirata adiungatur. Iam uero quomodo duplices ſint captiones adiunctionis & diſtinctionis,ex ſequentibus intelligemus.Cogitatione duplices ſunt eæ captiones,quæ ex forma uerbi ſunt ductæ.nam ſi uideo & dico ſimiliter proferatur; aiunt tunc ſophiſtæ,an non uidere,& dicere ſimiliter dicuntur? etiam. dicere autem eſt etiam facere: igitur uidere quoque,ſed uidere eſt etiam pati, ſiquidem ea, quæ ſub ſenſum cadunt, recipiuntur coniunctione, & diſiunctione inſtrumentorum ſenſuum. Et ſane Ariſtoteles perobſcuram rem fecit ſyllogiſmum non exponens.deintegro autem uerba ipſa explicemus. Doceri poteſt inquit,ſex eſſe genera reprehenſionum earum, quæ in uerbis ſpectantur, & inductione, & ſyllogiſmo, ſiue aliquo alio argumento.aliud argumentum appellat alium ſyllogiſmum, quaſi dicat antecedentes ſyllogiſmos,quibus maior & minor propoſitio confirmatur.quod autem ait

Tot nos modis iiſdem uerbis & orationibus non eaſdem res ſolere declarare: eſt maior propoſitio ſyllogiſmi ab eo poſiti.atque id quod ait,tot nos modis iiſdem uerbis & orationibus non eaſdem res ſolere declarare, idem eſt,ac ſi dicat,omne quod non iiſdem uerbis,& orationibus declaratur, ſex modis fieri ſolet.hæc autem obſcuritas ex eo orta eſt,quod hæc ſola propoſitio poſita eſt.minor autem & concluſio,& antecedentes ratiocinationes prætermiſſæ fuerunt.

EX HOMONYMIA autem captiones ducuntur hoc modo: qui ſciunt, diſcunt; quæ enim memoriæ prodita ſunt, diſcunt grammatici. diſcere enim homonymum eſt. nam & intelligere is dicitur, qui doctrina utitur, & is cui doctrina traditur. eiuſdem generis illud eſt, mala eſſe in bonis, quoniam quæ oportet facere, bona ſunt, & mala oportet facere. dupliciter enim oportere dicitur, quod neceſſarium eſt, id quod etiam in malis ſæpe contingit. propterea quod malum aliquod ne-

ceſſarium eſt: & bona oportere fieri dicimus. ſimile illud eſt etiam, eundem ſedere & ſtare, ægrotare, & ualere. qui enim ſurgebat, ſtat: & qui curabatur, ualet. atqui ſurgit aliquis ſedens, & curatur ægrotans. ſed ægrum aliquid facere, aut pati, non unum aliquid declarat. uerum interdum cum hoc tempore ægrotare, aut ſedere; interdum ante hac ægrotaſſe. & tamen uerum eſt, curatum eſſe ægrotum & ægrotantem: at ualere non ægrotantem, ſed ægrotantem non nunc, ſed prius.

Incipit docere captiones, quæ in uerbis ſpectantur, & omnium ſex modorum exempla proponit: ac primum eius, quæ ex homonymia ducitur. Captiones quæ ab eo ſumuntur exempli cauſa, ut fallaciam ex homonymia declaret, ſunt quatuor; prima qua docetur, ſcientem eſſe inſcium: altera, qua oſtenditur, mala eſſe in bonis: & eum qui ſedeat ſtare; & ægrotantem ualere. conſueuit enim primum concluſionem ſophiſticam adducere, deinde ſyllogiſmum proponere. hoc enim, qui ſciunt, diſcunt, eſt concluſio. & uidetur pro iis qui ſciunt, ſumere grammaticos, & ſilentio tranſire minorem propoſitionem hanc, grammatici memoriæ produnt. totus autem ſyllogiſmus fit hoc modo. an non ſcientes memoriæ produnt? etiam. qui memoriæ produnt, diſcunt? etiam. ergo ii qui ſciunt, diſcunt. ipſe uero captionem diſſoluens ait, diſcere eſſe homonymum, hoc eſt, duo ſignificare. dicitur enim de eo, qui ſcientia utitur, & intelligit, & ſignificat intelligere: qua ſignificatione dicere ſolemus, diſco ea quæ dicuntur, hoc eſt, intelligo: & de eo, cui ars traditur, & ex ignoratione ad cognitionem adducitur, & qui uſque antehac non ſciuit. quocirca dicimus ſcientes & diſcere, & non diſcere: ac diſcere quidem in eo quod ſcientia utuntur, & intelligunt: non diſcere uero in eo quod ſcientiam aſſumunt. Captio autem hæc, ut in procemio diximus, ex Platone ſumpta eſt. ea eſt huiuſmodi. Euthydemus Cliniam rogat hoc modo. age Clinia, quinam homines diſcunt, ſapientes'ne, an ignari? ſapientes inquit Clinia. tum Euthydemus. ſunt ne magiſtri? ſunt. quorum? eorum qui diſcunt. quid? qui diſcunt, qualis tu es, ſciebas ne quæ didiciſti? nequaquam. an ſapiens eras, cum hæc neſciebas? ne id quidem. ſi non ſapiens eras, ergo eras ignarus. quare diſcunt ignari o Clinia, & non ſapientes. hoc confecto in contrariam partem argumentatur Euthydemus hoc pacto. dic mihi o Clinia, cum grammaticus aliqua memoriter dicit, quinam pueri ea dictata diſcunt, ſapientes ne, an indocti? ſapientes, ait Clinia. igitur, inquit Euthydemus, ſapientes, non indocti diſcunt. in prima enim captione Clinias conceſſit ipſum uerbum diſcere, pro eo quod eſt, ſcire & intelligere ea, quæ dicuntur: Euthydemus uero pro eo, quod eſt, ex inſcitia atque ignorantia ad ſcientiam, & cognitionem reuocari: in ſecunda, contra. atque hæc quidem captio ita ſe habet. Ea uero, qua mala eſſe in bonis concluditur, eſt huiuſmodi, ut in ipſa quoque prius ſumpta ſit hæc concluſio, mala eſſe in bonis: & duæ etiam propoſitiones ſimul ſumptæ ſint. ea fit hoc modo. non'ne mala oportet facere? etiam: non'ne quæ oportet facere, bona ſunt? etiam: igitur mala ſunt in bonis. quæ quidem captio ipſa quoque ex eo facta eſt, quod in ea ponitur uerbum, oportet, uariæ ſignificationis. ſignificat enim quod prodeſt, quodq; honeſtum eſt. ut oportet iuſta facere. id eſt, honeſtum eſt. itemq; legibus & parentibus parere. ſignificat etiam quod neceſſarium eſt, quo modo dicimus oportere id quod ortum eſt, interire. hoc eſt, neceſſarium eſt. ſignificat etiam expedire, dicimus enim oportere, hoc eſt expedire talibus aut talibus uti exercitationibus. Ita cum uerbum oportet tribus modis dicatur, Ariſtoteles unam ſignificationem ſilentio tranſiens, qua ſignificat expedire, reliquis duabus uitia captionum declarat. ac in minore quidem propoſitione, qua dicitur, quæ facere oportet, eſſe mala, uerbum oportet pro eo quod eſt neceſſarium, poſitum eſt. uerbera enim & pulſationes, & à ceruice caput abſcindere, & alia nonnulla, quæ mala ſunt, neceſſaria ſunt contra ſicarios, ac latrones. in maiore uero propoſitione pro eo, quod bonum eſt, ſumptum fuit: & ex eo mala eſſe in bonis concluſum eſt. quam ob rem ſi quis diſtinguat uerbum oportere, & dicat ſignificare neceſſarium, & ſignificare bonum, certe is ſophiſtam à concluſione prohibebit; propterea quod non neceſſarium ſit, quod oportet: quod ſectio atque uſtio neceſſario factæ bonæ ſint ad ualetudinem efficiendam: quæ tamen ſectio atque uſtio per ſe ſunt malæ. quocirca hæc captio facta eſt, quia medius terminus alius, atque alius ſumptus eſt. eiuſdem generis ſunt etiam hæ. an non κορὰξ eſt penniger? quid? inſtrumentum, quo ianua clauditur, non'ne κορὰξ eſt? inſtrumentum igitur illud eſt pennigerum. κορὰξ enim eſt in homonymis. & item, non'ne aquila eſt pennigera? etiam: quid? nonn'ne piſcis aquila eſt? piſcis igitur eſt penniger. nunc uero tranſeamus ad reliqua duo huius captionis exempla.

Simile eſt illud etiam, eundem ſedere, & ſtare, ægrotare ac ualere. hæc autem quodammodo concluſiones ſunt captionum. deductiones ipſarum captionum ſunt huiuſmodi. non'ne qui ſedet, ſtat? etiam. quid? non'ne ſurgens ſtat? quid ni? igitur qui ſedet, ſtat. itemq;, non'ne qui curatur, ualet? ita eſt: non'ne curatur qui ægrotat? etiam: igitur ægrotans ualet. quod perabſurdum eſt. in quibus utriſque ſyllogiſmis fallacia in maiore propoſitione ineſt. qui enim ſurgit ſtare, quique curatur ualere,

dupliciter intelligitur; & quod ſimul incipiebat ſurgere, & ſtans eſſe, & ſimul incipiebat curari, & ualens eſſe: quæ minime concedenda ſunt, quandoquidem ſunt falſa. & quod fieri poteſt, ut qui prius curatus ſit, quique prius ſurrexerit, nunc ualeat, & ſtet. in qua quidem ſignificatione eſſet reſpondendum, etiam. quocirca fieri nequit, ut is, qui ſurgit, cum ſurgere incipit, ſtet. & tum, non eſt dicendum, etiam. at ut is, qui prius ſurrexerat, nunc ſtet, fieri quidem poteſt, & de eo, etiam, reſpondendum eſt. quod idem faciendum eſt in eo, qui curatus ſit, & ualeat. ut autem aliquis curetur, & ualeat, fieri nullo pacto poteſt. neque id concedendum eſt, ſi quis protulerit. aliquem autem anno ſuperiore curatum, nunc ualere, uere dicitur, & id iure poteſt affirmari. ita in his orationibus captio eſt ex homonymia, uel ex ambiguitate. ſunt enim homonymia atque ambiguitas communes inter ſe, ut & ante dixi, & poſt dicemus: ueluti etiam hoc exemplo planum fiet: an non iudex fungitur officio legiſlatoris? etiam. quid? non'ne qui alicuius officio fungitur, illi præeſſe dicitur? omnino quidem. ergo iudex legi præeſt. in quo quidem duplex eſt fungi alicuius officio, partim ut inſtrumento; quod in iudice non inuenitur: partim ut initio & principio ad propriam rei conſtitutionem. quod nihil prohibet: & ita ſub legiſlatore eſſe iudicem, & ſub eo conſtitui, & ſubditum eſſe potius, quam præeſſe. Cum uero dixerit maiores ac minores captionum propoſitiones, ac maiores in quibus dixit, qui enim ſurgebat, ſtat, & qui curabatur ualet: & minores in quibus ait, ſurgere eum qui ſedeat, & curari eum, qui ualeat: addit,

Sed ægrum aliquid facere, aut pati, non unum aliquid declarat.] quæ uerba ſignificant non eſſe unum, neque unum ſignificari, cum dicitur, curatum eſſe eum, qui ualet: & ſurrexiſſe eum, qui ſtat; ſed eſſe homonymum. quod autem ait facere, indicat uerbum ſedere, aut potius ſtare, aut forte utrunque; pati uero ſignificat ægrotare: quæ clariora eſſent, ſi ita eſſent propoſita, ualere enim eum qui ægrotat, & ſtare eum, qui ſurgit, non unum ſignificat: propterea quod cum ipſe ait, curatum ualere, ſignificat etiam curatum ualere hoc tempore, quod etiam falſum eſt: quippe cum fieri nequeat, ut ualetudinem actu, & re ipſa habeat is, qui nunc curatus ualetudinem poſtea acquiſiuit. & ſignificat etiam, eum, qui poſt decem, ut ita dicam, dies curatus eſt, hoc eſt, ualetudini eſt reſtitutus, nunc ualere, quæ cum dicta ſint, ſequitur hoc modo:

Et tamen uerum eſt curatum eſſe ægrotum, & ægrotantem.] quæ uerba ſunt quaſi diſſolutiones & explicationes captionum. atque id quod ait, eſt huiuſmodi. Curari dicitur & is, qui nunc laborat, & is, qui ante laborabat. ualere autem non dicitur is, qui nunc curatur, ſed qui iam curatus eſt. ac uerbum ægrotantis ſumptum eſt ab Ariſtotele pro eo, qui nunc ægrotat. quod uero addit ægrotum, pro eo poſuit, qui ægrotauit. ita non ualet is, qui nunc ægrotat, ſed qui prius ægrotauit, & nunc non item. atque ut id, quod dico, clarius ſit, ita dicendum eſt. qui nunc æger eſt, qui ante ægrotauit, ualetudini reſtitutus, dicitur curari: & tamen curatus eſt ægrotans, quia ægrotauit, & ualet, quia non ægrotat.

EX AMBIGVITATE hoc modo. uelle me hoſtes capere. & num quod quis cognoſcit, id cognoſcit? fieri enim poteſt, ut & is qui cognoſcit, & id quod cognoſcitur, pro eo qui cognoſcit, hac oratione exponatur. cuius generis eſt etiam illud, num quod quis uidet, id uidet? columnam autem uidet, uidet igitur columna. item illud, an quod tu ais eſſe, id tu ais eſſe? ais autem lapidem eſſe, tu igitur lapidem eſſe te ais. &, licet ne σιγῶντα loqui; ambiguum eſt enim etiam σιγῶντα dicere: et eum qui dicit, & ea quæ dicuntur, tacere intelligamus. ſunt enim tria genera eorum, quæ ex homonymia, & ex ambiguitate naſcuntur; unum cum oratio aut uerbum proprie multa ſignificat, ut aquila, uel canis: alterum, cum ſoliti ſumus ita dicere: tertium, quando coniuncta uerba multa ſignificant, ſeparata unum, quale eſt ſcire literas. utrunque enim & ſcire, & literæ fortaſſe unum aliquid per ſe ſignificat; coniuncta autem, plura, aut ipſas literas habere ſcientiam, aut alium habere ſcientiam literarum. atque homonymiæ quidem & ambiguitatis genera expoſita ſunt.

Explicata captione, quæ ex homonymia naſcitur, tranſit ad eas captiones declarandas quæ ex ambiguitate ducuntur, quod ita ordo poſtulare uideatur: cum præſertim in captionum generibus numerandis ſecundus locus ambiguitati ſit datus, ac clara quidem & admodum perſpicua exempla ponit, ac

non

non ſolum cuiuſmodi à ſophiſtis, ſed quæ etiam par eſt in oratione ſyllogiſmo non confecta reperiri. quod autem ait,

Velle me hoſtes capere, non eſt ut quæſtio: ambiguum autem eſſe, perſpicuum eſt: ſignificat enim uel me fieri hoſtium uictorem, uel hoſtes mei. cuius generis eſt etiam illud, utinam detur nunc me diſſoluere. hac enim oratione ſignificatur aliquem ſeſe tollere, & tolli. Captio quæ deinceps ſequitur, hoc modo fit, num quod quis cognoſcit, id cognoſcit? aliquis autem lapidem cognoſcit, lapis igitur cognoſcit. itemq́; hæc, num uidet quod qui uidet? etiam. uidet quis lignum, lignum igitur uidet: quarum quidem explicatio eſt quam facillima: quippe quia in utriſque ambigua oratio eſt. eadem ratio eſt huius. num tu ais eſſe quod ais eſſe? ais autem lapidem eſſe, tu igitur lapidem eſſe te ais. &, licet ne σιγῶντα loqui? hæc captio fit hoc modo, loqueris ne quod dicis? etiam: loqueris uerbum ſilere, ſilens igitur loqueris. uel contra loqueris ſilens. Captionem hanc, an licet σιγῶντα dicere, Euthydemus apud Platonem ſic interrogat: licet ne σιγῶντα dicere? non. cum uero lapides & ferrum dicis, non'ne σιγῶντα dicis? etiam: licet igitur σιγῶντα dicere, deinde contrariam in partem argumentans concludit hoc modo. licet ne λέγοντα, id eſt dicentem, uel dicentia, ſilere? nequaquam. quid? cum ſiles, non'ne ſiles omnia? etiam. ergo λέγοντα etiam ſiles: licet igitur λέγοντα ſilere. hic uero non dicere conceſſit de non dicente, ille autem de dicentibus intellexit.

Sunt autem inquit tria genera eorum, quæ ex homonymia & ambiguitate naſcuntur. De tredecim captionum generibus duo ſolum explicauit, quorum alterum ex homonymia, alterum ex ambiguitate naſcitur. deinceps perſequutus eſt, ut declararet, quot modis eæ captiones fierent. ac nunc quidem ait captionum ex ambiguitate ductarum eſſe tria genera: quorum unum eſt cum oratio, uel nomen multa proprie ſignificat. quod etiam uſu uenit in captionibus quæ ex ambiguitate, & homonymia dicuntur. atque in iis quæ ex homonymia ſumuntur nomen multa ſignificat, ut in aquila, ut in cane, ut in coruo, ut in uerbo κλεῖς, quæ clauim & iugulum ſignificat, uidetur. in ambiguis autem, ut diximus, multa declarat oratio. & quoniam oratio eſt nominum coniunctio, dicendum eſt, ut ſæpe diximus, uerba etiam appellari nomina. ambiguitas autem aut erit in aliquo nomine, aut in ipſa oratione. cum. n. dicitur, quod quis uidet, id uidet, & quod quis cognoſcit, id cognoſcit, in oratione eſt ambiguitas. alterũ genus eſt, ex quo etiam captiones in nomine & oratione ducuntur, quando illa nomina ita nominare conſueuimus. cum enim conſueuerimus σιγῶντα dicere & ſilentem hominem, & ea quæ ſilentur, certe captioni locus erit, & auditor in errorem inducetur, ſi ſolum σιγῶντα dicamus, cum ſilentem hominem ſignificare uolumus. Similiter etiam, cum ſilentia ſignificare uolumus ſi dixerimus σιγώμενα, & non σιγῶντα, captioni nihil loci relinquetur. atque hoc quidem genus non ſolum facit captiones in ambiguitate, ſed etiam in homonymia: ſiquidem canem & terrenum. & cœleſtem dicere conſueuimus. quod ſi non ſoliti eſſemus & terrenum, & cœleſte animal eodem nomine appellare, certe nomen ipſum nunquam nos falleret. Tertium genus ex homonymia & ambiguitate duci ait, cum nomina ipſa per ſe unum ſignificant, coniuncta aliquid ambiguum declarant. literæ enim per ſe ſeparatim propoſitæ, nihil ambiguum faciunt: neque etiam uerbum ſcire. at hæc coniuncta, & ſimul pronunciata uarias intelligentias gignunt.

EX CONIVNCTIONE hæ ſunt orationes hoc modo, ſedentem ambulare poſſe, & eum qui non ſcribat, ſcribere. neque enim idem ſignificat, ſi quis diſtinctione utatur in proferendo, quod ſi coniunctione: ut poſſe eum, qui ſedeat ambulare, & eum qui non ſcribat ſcribere: & idem ſi quis cum adiunctione dicat eum qui non ſcribat, ſcribere: ſignificabit enim eius eam uim eſſe, ut cum non ſcribit, ſcribat. at ſi non adhibeat adiunctionem, eum poſſe tum, cum non ſcribat, ſcribere, & diſcere nunc literas, ſiquidem didicit, quæ ſciebat. & eum qui unum tantummodo poſſit ferre, multa ferre poſſe.

Ariſtoteles cum explanauerit duo genera captionum, & non perpetua oratione, ſed hæc tanquam media interiiciendo, docuerit fieri eas captiones tribus modis, eosq́; modos propoſuerit, pergit ea, quæ incepit, perficere: & ita ad tertium genus captionum, quæ in uerbis ſpectantur, tranſit: quod quidem genus ex coniunctione naſci dicitur: & ob hanc cauſam ex coniunctione nominatur, quod ſententia eius quod coniuncte dicitur, recte poſſit intelligi, ſi aliquid per adiunctionem proponatur, & captionem faciat. ut cedo, num hic eſt ſyllogiſmus? ſedens poteſt ambulare, Socrates ſedet, Socrates igitur ambulat: ſed ſedet etiam, ambulat igitur, & non ambulat. hæc captio facta eſt propter coniunctionem: adiungendum enim erat poſſe, quo adiuncto, & hac concluſione effecta, Socrates poteſt ambulare, nullum incommodum eſſet effectum. nunc uero quia uerbum poſſe non eſt adiunctum, facta

eſt captio.atque huiuſmodi quidem eſt hoc genus.nunc philoſophi uerba conſideremus.

Ex coniunctione autem inquit, hæ ſunt orationes hoc modo, ſedentem ambulare poſſe, & eum, qui non ſcribit, ſcribere. hæc non eſt concluſio,quæ aliquid abſurdi concludat, ſed eſt propoſitio uera, quæ aſſumpta eſt. ac uera quidem eſt hæc, Socrates ſedet: quæ niſi per coniunctionem fiat,profecto uera concluſio, Socrates poteſt ambulare, efficitur. huius generis eſt etiam illud, eum qui non ſcribit ſcribere, in eo enim deeſt, & addi debet uerbum poſſe. quæ nobis indicant ſophiſtas,cum huiuſmodi propoſitiones capiunt, deinde eas coniungunt, captionem perficere. ſed prius doceamus, quomodo ſingulæ captiones deducantur, deinde uerborum obſcuritatem explicemus. captiones ſunt huiuſmodi. num qui ſedet poteſt ambulare? poteſt. num Socrates ſedet? ſedet. Socrates igitur ambulat: ſed ſedet etiam: ita Socrates ambulat, & non ambulat. itemq́; an qui non ſcribit, poteſt ſcribere? poteſt. Plato non ſcribit. ergo Plato ſcribit. item, an is qui ſcit literas, poteſt nunc literas diſcere? quid? Socrates nunc dormiens num ſcit literas? ſcit. Socrates igitur nunc literas diſcit. ſed non diſcit etiam, quia dormit. præterea interrogat, qui unum tantummodo ferre poteſt, multa ne etiam ferre poteſt? etiam, at Alcibiades unum fert, Alcibiades igitur multa fert: ſed etiam non multa fert: ſiquidem unum ſolum fert. Poteſt etiam ita interrogari, num qui multa ferre poteſt, etiam unum ferre poteſt? etiam, Alcibiades multa fert, Alcibiades igitur unum fert. itaque captiones, quas ipſe poſuit exempli gratia, fiunt hoc modo. quod uero ait

Neque enim idem ſignificat ſi quis diſtinctione utatur in proferendo, quod ſi coniunctione, eſt huiuſmodi. cum aliquis diſtinguat poſſe ambulare, & faciat ut partim ſolum ambulare, partim ſolum poſſe de Socrate dicatur, non idem ſignificabit: quandoquidem non idem eſt Socrates ambulat, quod Socrates ambulare poteſt: quam ob rem ex coniunctione oritur captio. debent enim hæc duo uerba poſſe & ambulare coniuncta & cohærentia; & non ſolum ambulare dici de Socrate. Truncatis igitur, & extremis partibus quaſi abſciſsis facta coniunctione recte dictum eſt,captionem in coniunctione uerſari. in quo quidem ſcire debemus, coniunctionem ab Ariſtotele appellari, ut etiam ſine uerbo poſſe uerbum ambulare prædicetur. cum uero dixiſſet non idem ſignificare, ſi ambulare ſine uerbo poſſe de ſedente dicatur,quod ipſe indicauit,cum ait,

Si quis diſtinctione utatur in proferendo,ac ſi dicat coniunctum uerbo poſſe,quod innuit his uerbis.

Quod ſi coniunctione: tanquam poſsit, qui ſedeat: poſuit exemplum cum ambulare & poſſe coniuncta dicuntur hoc modo. poſſe eum qui ſedeat ambulare, & eum, qui non ſcribat, ſcribere. in quo ſubaudiendum etiam eſt uerbum poſſe, ut fieri itidem poſsit, ut is qui non ſcribit, ſcribat. ut autem alterum modum declaret, quo uerbum ambulare ſine uerbo poſſe ſedenti coniungimus, adiunxit hæc ipſa uerba,

Et idem ſiquis cum adiunctione dicat, eum, qui non ſcribat,ſcribere.]quæ cum de ambobus modis dixiſſet, & de eo, in quo ambulare, & poſſe coniuncte dicuntur, & de eo in quo ambulare ſolum dicitur, declarans quid uterque ſignificet, ſubiungit hæc uerba,

Significabit enim eius eam uim eſſe, ut cum non ſcribit, ſcribere queat.]quæ ſane uerba intelligi poſſunt hoc modo. qui facit ut ambulare coniunctum cum uerbo poſſe, dicatur de eo, qui ſedet, & dicit, poſſe ambulare eum, qui ſedeat, ſignificat ſedentem non ambulare, nec ſcribere eum, qui non ſcribit: poſſe tamen poſtea & ambulare, & ſcribere. quod ſane uerum eſt. at qui facit, ut uerbum ſcribere, aut ambulare non adiuncto uerbo poſſe dicatur de eo, qui ſedet, deq́; eo, qui non ſcribit, ſed facit, ut uel ſolum ambulare, uel ſcribere dicatur, is non dicit eum, qui nunc non ſcribit, aut non ſedet, habere poſtea ſcribendi, aut ſedendi poteſtatem: ſed dicit nunc, cum non ſcribit, habere poteſtatem ſcribendi, hoc eſt nunc cum non ſcribit, ſcribere. quod enim ait, eius eam uim eſſe,ut cum non ſcribit, ſcribere queat, idem ualet, ac ſi dicat, eum poſſe ſimul & eodem tempore ſcribere,& non ſcribere. quod quidem fieri nullo modo poteſt. alio enim tempore ſcribit, alio non ſcribit. eademq́; ratione fieri poteſt, ut ambulet, & non ambulet quiſpiam. quod uero addit,

Et, diſcere nunc literas, ſiquidem didicit,quæ ſciebat.abſolute *&* per ſe dictum eſt.& eſt exemplum captionis,qua diſcere nunc literas eum,qui dormit,concluditur.

EX DISTINCTIONE hoc modo, quinque ſunt tria, & duo, & par numerus & impar. & illud, quod maius eſt, æquale eſſe, propterea tantum eſt, & eo amplius. non enim ſemper idem diſtincta, quod coniuncta eadem ualet oratio. cuius generis illa eſt, ego te feci ſeruum exiſtentem liberum. & illa, quinquaginta uirûm centum heros liquit Achilles.

Cum exponat nobis quartum genus fallacium reprehenſionum,quæ in uerbo ſpectantur, quod ex diſtinctione ſumitur, non docet nos fallacibus concluſiunculis quale nam ſit, ſed exemplis quibuſdam

quæ

quæ non ſunt fallaces captiones: ſed quæ ita in ſoluta oratione ſunt propoſita, quæ cuiuſmodi ſint, deinceps exponam. Appellatur autem hoc genus ex diſtinctione, propterea quod quæ potentia congruunt ei quod dicitur, ea diſtinguens ſophiſta & ſeparatim proponens concludit illa ipſa ad rem, qua deagitur, actu accommodata eſſe, quod quidem non concluderet, niſi adhiberetur diſtinctio. quinarium exempli gratia numerum, qui poteſtate parem & imparem numerum in ſe continet, diſtinguit ſophiſta, eumq; cum par non ſit, & parem & imparem eſſe docet. atque in prima figura captionem componit hoc modo. num quinque in duo & tria diuiduntur? an non duo & tria ſunt par numerus, & impar? igitur quinque par numerus eſt, & impar. ita ex diſtinctione oritur captio. partes enim in toto potentia ſunt. in numero quinario & ternarius, & binarius poteſtate inſunt: ſed quod poteſtate eſt, non eſt illud ipſum, quod fieri poteſt. quemadmodum arbor, quæ eſt adhuc defixa radicibus, potentia eſt nauis illa quidem ſed nauis non eſt. æs item informatum potentia eſt ſtatua, & tamen ſtatua non eſt. Ita Ariſtoteles quamplaniſſime explicauit captionem eam, qua quinque eſſe paria & imparia concluditur. eam uero, qua infertur, maiora eſſe æqualia minoribus, admodum breuiter expoſuit. quod cauſa eſt, ut obſcura eius tractatio uideatur. quam ob rem cum ait, quod maius eſt, æquale eſſe, ſubaudiendum eſt, minori, ut ita perfecta ſit oratio. captio uero fit hoc modo. num octo in ſex & duo diuiduntur? certe. an non in quinque & tria? certe: igitur octo in ſex & duo, & quinque & tria diuiduntur. ſex autem & duo & quinque & tria ſexdecim faciunt. ergo octo in ſexdecim diuiduntur. ita ſexdecim æqualia ſunt octo, maiora uidelicet minoribus. quæ captio eſt etiam in diſtinctione, ſiquidem in octo hæc poteſtate ſunt. quod uero ait,

Propterea tantum eſt, & eo amplius]. ita dixit, quaſi dicat, ſexdecim tanta ſunt, quanta octo, & etiam amplius. nunc uero cum ex iis fallacibus concluſiunculis quas intulit, oſtenderit captiones, quæ ex diuiſione fiunt, ſupponit exempla, quibus docet, eandem orationem diſtinctam & coniunctam idem non ualere. hoc autem, ego te feci ſeruum, ſi per ſe ſe pronunciatum ſit, & item hoc, ego te feci liberum, non idem ſignificabunt. neque enim idem ualebunt, ſi coniuncta dicantur hoc modo, ego te feci ſeruum exiſtentem liberum. huic ſimile eſt, quod in contextu ſequitur, quod quidem non ſumptum eſt, ut ſophiſma, ſed ut exemplum, quo orationem, & partes non idem ualere doceretur. eſt autem huiuſmodi,

Quinquaginta uirum cẽtum heros liquit Achilles. quod aliud ſignificat, ſi uerbum uirum à quinquaginta diſtinctum ſit; & aliud, ſi ſit coniunctum. ſi. n. diſtinctionem ponemus ad uerbũ quinquaginta hoc modo, quinquaginta, centum uirum: ſignificabimus Achillem ex cẽtum uiris liquiſſe quinquaginta. ſin autem ad uerbum centum, aliud indicabimus: ex quinquaginta uidelicet uiris relictos eſſe centum.

ACCENTVS autem ratio facit, ut in ijs, quæ ſcripto non conſtant, qui diſſerunt, non facile ſermonem habere poſſint. in ijs quæ ſcripto conſtant, & in poematibus facilius poſſint. quo in genere Homerum nonnulli defendunt aduerſus eos, qui eum coarguunt, quaſi abſolute dixerit, Hoc οὐ putreſcit imbre. quod illi dum explicant, accentu, οὐ acuto ſono aiunt notatum. & illud de Agamemnonis ſomnio, ita explicant, ut dicant non ipſum Iouem dixiſſe, ſe dare uictoriam uelle, ſed eum ſomnio id dediſſe mandatum. ab accentu hæc naſcuntur omnia.

Quintum genus earum captionum, quæ cernuntur in uerbis, ex accentu naſcitur. quod in orationibus dialecticis, quæ ſcripto non conſtant, ſed dicuntur, non facile efficitur. in orationibus autem ſcriptis, & Homeri uerſibus poteſt facile fieri. Nominatur autem ex accentu, quia ſonus ad quem canimus, & componimus orationes, facit captionem, ſiue alius, ſiue aliter, ſiue alibi collocetur. ut hoc exemplo clarum fiet. In ſermone autem & congreſſione non decipiet quenquam qui ait, meretrix aurea ſi ferat, publica eſto. ſumptum enim eſt eum proferre uerbum δημοσία, cum accentu in penultima: uel fortaſſe etiam in antepenultima. quod ſi modo in penultima, modo in antepenultima accentus collocetur, non decipietur auditor, quia qui ſemel dixit, eius conſilium aperuit. quod ſi uerbum δημοσια ſcriptum eſſet, nullo accentu notatum, tum forte fortuna captionem, & errorem in animis legentium gigneret. Dixit uero non facile haberi ſermonem de iis, quæ ſcripto non conſtant, quandoquidem etiam in iis interdum efficitur captio, ut cum quis dicit, an id quod diſſoluis, eſt domus? eſt. hoc autem, non diſſoluis, eſt negatio huius, diſſoluis? etiam. domus igitur eſt negatio. Captio hæc ex accentu nata eſt: quod in priore propoſitione uerbum οὗ eſt circunflexo accentu ſignatum, in poſteriore uero non ita captum eſt. ex quo fit, ut ſignificet, non. Illud etiam, an ὅρος ſtat? animal rationis particeps ad ſcientiam percipiendam natum, non'ne eſt ὅρος: ſtat igitur animal rationis particeps ad percipiendam ſcientiam natum. quæ quidem captio nata eſt ex eo, quia ſi ὄρος ſcribatur, montem ſignificat,

ſi ὅρος definitionem. Adducit autem exemplum captionis ex accentu ductæ ex Homeri carminibus, quod ſumptum eſt ex libro Iliados XXIII. quo in loco iuſta Patrocli funeri ſoluuntur, & equeſtre certamen inſtituitur. Poeta autem inducit Neſtorem præſcribentem Antilocho filio quid in certamine faciendum ſit, & loquentem de loco, in quo cum cæteris aurigis erat certaturus. qui cum multa dixiſſet, hæc etiam, quæ ſequuntur, de meta diſſeruit:

Accipe de meta, quæ te manifeſta docebo.
Stat truncus, ſurgitq; ſolo non amplius ulna,
Ilicis aut piceæ, cui ſiccum robur, & imbri
Oὗ putreſcit, habent medium duo candida ſaxa
Anguſto in ſpacio: planus ſed curſus equorum eſt.

Ex quo factum eſt, ut nonnulli id Homero uitio uertant legentes οὗ cum circunflexo, & dicant eum abſurdi aliquid pronunciare: quaſi dicat partem illius ligni, quod terram ait excedere, quod ilicem aut piceam appellat, putreſcere, partem non putreſcere. & licet plane & aperte non dixerit, quid non putreſcat, aiunt tamen illo uerbo οὗ perſpicuo declarari, aliquid putreſcere: perinde ac pars arboris piceæ imbribus putreſcat, pars non item. ita quidam Homero uitio dant, quod hoc ſcripſerit. quos, ut eſt apud Ariſtotelem in arte rhetorica, corrigit in arte poetica Hippias Thaſius: qui non legit οὗ cum circunflexo, ſed ita οὐ, ut negationem ſignificet: quo fit ſenſus, arborem piceam imbre non putreſcere. Scribit Theophraſtus arborem piceam imbribus & aqua fontana non putreſcere: aquis autem marinis, quammaxime. atque hoc exemplum eſt. alterum autem conſequens de Agamemnonis ſomnio, quo dicitur, Iouem dixiſſe, ſe dare uictoriam uelle, nuſquam in Iliade eſt. quæ enim de ſomnio ſcripta ſunt, in principio ſecundi libri habentur. neque ullus omnino inueniet ipſum exemplum ita ad uerbum in eo libro conſcriptum. uidetur autem ſenſum inde ſumpſiſſe, ipſe uero partem carminis compoſuiſſe his uerſibus commutatis:

Inſtructas acies ediee, & fortia bello
Pectora Graiorum campis immittat apertis
Atrides: ueniſſe diem, quo lætus in armis
Laomedontiadæ Priami dominetur in urbe.

Hæc ſunt poetæ uerba. philoſophus uero cum uellet exemplum accentus adhibere, hoc tanquam Homericum attulit. ita nonnulli aiunt captionem eſſe in uerbo οἱ, ſcribitur enim διδόμεν δέ οἱ εὖχος ἀρέσθαι; hoc eſt, huic palmamq; damus: ut intelligatur, Iouem ſomno edicere, ut deſcendat, Agamemnoniq; nunciet, Deos omnes decreuiſſe, ei dare uelle uictoriam: ut ſint uerba Iouis ad ſomnum huiuſmodi: uade age, dicito Agamemnoni, nos omnes Deos ei dare uictoriam. quæ cum dicunt, aiunt poetam erraſſe, qui inducit Iouem hoc ſomno mandantem, & quodammodo mentientem. quod Deum non decet. qui uero Homerum defendunt, aiunt Iouem non dixiſſe Agamemnoni uelle dare uictoriam, ſed id dixiſſe ſomno de Agamemnone, & legunt ita, ut intelligatur, Damus autem οἱ, hoc eſt tibi ſomno: quod eſt etiam falſum. idem enim ſenſus manet, ſiue pronomen οἱ ſono extollatur, ſiue circunflectatur. Vbi nam igitur eſt uitium? an non in uerbo οἱ, ſed in uerbo διδόμεν. eſt enim Dorum proprium, ut pro διδόναι dicant διδόμεναι, & pro εἶναι dicant ἔμμεναι, & ſæpenumero ultimam infiniti modi ſyllabam auferant. id quod hoc etiam loco reperitur. ita ſi quis legat hoc uerbum δίδομεν, ut habeat accentum in prima, is faciet Iouem mendacem, quod cum polliceatur, ſe dare uictoriam, id tamen non præſtet. quod ſi ita illud uerbum legat, ut accentum in ſecunda habeat, & Iouem non mendacem, & poetam ab omni culpa uacuum reddet. ac ſenſus erit, Iouem loqui ſomno, & ei mandare, ut ipſe ſomnus det Agamemnoni uictoriam, & non ipſum Iouem dicere, ſe dare uictoriam uelle. Ita ſomnus Agamemnoni uictoriam promittit, & hoc pacto non Iupiter, ſed ſomnus mentitur.

EX FORMA autem orationis eueniunt, cum non idem eodem modo exponitur, ut ſi quis uirile nomen pro muliebri dicat; aut muliebre pro uirili: uel quod bis interiectum eſt pro altero: aut quantitatem pro qualitate, aut qualitatem pro quantitate, aut quod facit pro eo, quod patitur: aut quod affectum ſit, pro eo quod facit: & ſi qua ſunt alia eiuſdem generis. licet enim aliquid, quod non eſt, in iis quæ faciunt, ſic oratione explicare, ut ſi in iis quæ faciunt, eſſet: ut ualere eadem uerbi forma, qua ſecare, & ædificare dicitur. cum interim illud quale quid, & affectum quodammodo, hoc aliquid facere declarat. quod eodem modo de aliis iudicandum eſt. atque ex his quidem locis reprehenſiones eæ, quæ ex uerbo exiſtunt, ducuntur.

Sextum genus ſophiſmatum eorum, quæ in uerbis ſpectantur, ſunt captiones, quæ ex forma orationis

tionis eueniunt. appellantur autem ex forma orationis, quia ipſa uox uerbi captionem parit. & quia forma eadem facit, ut id quod idem natura non eſt, eſſe idem uideatur, ut uerbi gratia, quia agens & patiens ſunt eiuſdem formæ in proferendo: ſophiſta ſumit agens tanquam patiens, ac uitioſe concludit, ac decipit. ut an diſcere eſt agere in diſciplina? eſt. agere in diſciplina, eſt ne docere? eſt. ergo diſcere eſt docere. ex forma quidem orationis nominatur, quia patiens in agens eſt commutatum, & contra, agens in patiens,. & quia agere in diſciplina utrunque declarat: ſignificat enim & actionem eius, qui docet, & eius qui diſcit, affectionem, aut potius generationem, ut ita dicam; quemadmodum ipſe in libris, qui ſunt de anima, ſcriptum reliquit. diſcipuli enim perfectionem quæ à doctore proficiſcitur, non affectionem, ſed generationem uoco, quam ſi quis uoluerit affectionem appellare, certe non ſimpliciter, ſed perficientem affectionem appellabit. quia igitur oratio figuram actionis recipit, fit captio, & quod non eſt idem, hoc eſt patiens, quod non idem eſt, quod agens, eodem modo quo agens, aut contra etiam exponitur. Euenit enim, ut ſophiſta fallat eum, qui contra diſputat, quando id quod agit, quod non æquale eſt ei, quod patitur, tanquam patiens explicat. Fallaces concluſiunculæ, de quibus mentionem ipſe facit, ſunt huiuſmodi. num uirile eſt neutrum? num muliebre eſt neutrum? uirile igitur eſt muliebre, & muliebre eſt uirile. an etiam quod iis interiectum eſt, hoc eſt neutrum, (hoc enim interiectum eſt inter uirile & muliebre) pro altero eorum uel muliebri, uel uirili exponitur. Poteſt etiam hæc captio fieri hoc modo. num lapis eſt mas? num Callias eſt mas? lapis igitur Callias. ecce lapis, qui nec mas, nec fœmina eſt, propter formam orationis, hoc eſt, quia in maſculino genere profertur, mas uidetur eſſe. quod autem ait,

Aut quantitatem pro qualitate, aut qualitatem pro quantitate, hoc modo proponitur: num quale eſt neutrum? num quantum eſt neutrum? quale igitur & quantum eadem ſunt. aut inquit, quod facit pro eo, quod patitur, aut quod affectum ſit, pro eo quod facit: patiens appellans id quod affectum eſt: propterea quod id quod patitur, afficitur in patiendo. concluditur autem id quod facit pro eo, quod patitur, & quod patitur pro eo, quod facit hoc modo: num uerberatur uerbum eſt? num criminatur uerbum eſt? ergo uerberatur, & criminatur idem eſt. ita agere & pati idem ualent. nam criminatur cum actionem ſignificet, perinde ac idem ſit quod uerberatur, concludunt,

Quod inquit, eodem modo de aliis iudicandum eſt. hoc eſt de aliis categoriis, prout in eo ipſo libro categoriarum expoſuit: is qui uitioſo argumentationis genere utitur, in captione adhibere poteſt qualitatem pro iis, quæ cum aliquo conferuntur, & item quantitatem pro eiſdem: ac quæ cum aliquo conferuntur, pro qualitate: & pro eo quod facit, id quod patitur, cuius rei exemplum ponit huiuſmodi: num ualere eſt infinitum? num ſecare eſt infinitum? ualere igitur & ſecare ſunt eadem. atqui ualere eſt pati quoddam: ſiquidem ualetudo eſt affectio corporis animalis in apta compoſitione calidorum, frigidorum, ſiccorum & humidorum conſtituta. quod quidem ipſe declarat, cum ait,

Cum interim illud quale quid, & affectum quodammodo, hoc aliquid facere declarat. Atque etiã Euthydemus hoc modo interrogat: an Scythæ, itemq́; cæteri mortales uident ea, quæ ſub aſpectum cadunt, an ea quæ oculorũ effugiũt obtutum? ea inquam quæ ſub aſpectum cadunt. num & tu & ego uidemus? uidemus inquam. uides ne ueſtimenta noſtra? uideo. hæc igitur uidere poſſunt. uident igitur ueſtimenta. ita fit, ut non omnia, quæ in agendi uoce proferuntur, actionem declarent. quod enim ibi dixit uident, licet uoce agendi expreſſum ſit, pro uidentur tamen conſtitutum eſt. Euthydemus autem cum intellexiſſet illud uerbum in agendi uoce, concluſit uidere ueſtimenta poſſe. quod autem ait,

Licet enim aliquid quod non eſt, in iis, quæ faciunt, ſic oratione explicare, ut ſi in iis, quæ faciunt, eſſet: idem ualet ac ſi dixiſſet, licet id quod non actu ſignificat aliquid eſſe, pro eo ſumere, ac ſi actu eſſe ſignificet. quod ex uerbo diſcere, & uerbo uidere intelligi poteſt. ac genera quidem captionum, quæ in uerbis ſpectantur, tot ſunt, hoc eſt ſex: & huiuſmodi, quemadmodum ea ſingillatim expoſuimus.

RERVM autem captioſa genera ſunt ſeptem, unum ex accidente; alterum cum omnino, aut non omnino, ſed quodammodo, aut alicubi, aut aliquando, aut collatum cum aliquo dicitur: tertium ex reprehenſionis ignoratione: quartum à conſequentibus: quintum ex eius quod initio dictum eſt, petitione: ſextum cum pro cauſa id quod non eſt cauſa, ponitur: ſeptimum cum rogata plura pro uno proponuntur.

Ante diximus in uoces & res diſtingui omnia; captionesq́; in eis fieri. cumq́; Ariſtoteles captiones eas explicuerit, quæ in uocibus ſpectantur, quas uerborum captiones nominauit; & uſque antehac declarauerit ſolum quomodo fiant, & qua conſtent ratione, cum poſtea ſit earum explicationem & diſſolutionem traditurus; nunc proponit eas captiones, quæ in rebus eueniunt, quas quidem extra uerba appellat: quandoquidem in eis neque ex uerbo, neque ex coniunctione, neque ex diſtinctione, neque ex tono aut ſpiritu uocis, aut ex eadem uerbi forma naſcitur captio. cumq́; de huiuſmodi uerba

fecerit, & quomodo à ſophiſtis adhiberi ſoleant, & conſtent, docuerit; progrediendo de earum diſſolutionibus accommodare diſputabit. in primis autem captiones ipſas ita clare & aperte connumerat, ut quot, & quæ ſint, facile intelligamus: ſeptem ſunt omnes. cuiuſmodi autem ſint, deinceps uidebimus. atque ab ea, quæ ex accidenti naſcitur, initium ſumam.

EX ACCIDENTI quidem tum fallax concluſio eſt, cum aliquid eodem modo æque rei, atque accidenti uolunt conuenire. quando enim eidem rei multa accidunt, profectò non eſt neceſſe ea omnia & ijs omnibus quæ dicuntur, & ei de quo dicuntur, conuenire. ſic enim futura ſunt eadem omnia, ut ſophiſtæ aiunt. ut ſi Coriſcus ab homine diuerſus eſt, ipſe à ſe, quia homo eſt, diuerſus erit. aut ſi Coriſcus alius eſt, alius Socrates, & Socrates homo eſt, Coriſcum ab homine diuerſum aiunt eſſe conceſſum. propterea quod accidit, ut is ſit homo, à quo ille dictus ſit eſſe diuerſus.

Prima captio earum, quæ in rebus ſunt, ex accidente naſcitur: quæ euenit, cum quis cenſet, quicquid conuenit prædicato, conuenire etiam ſubiecto, quôd minime neceſſarium eſt. ex eo igitur, quòd ſophiſta ſumit quæ accidunt prædicato, & ea accommodat ſubiecto, captioſa & fallax oritur concluſio. cum igitur inquit, aliquis uelit eodem modo aliquid rei & accidenti conuenire (rem enim appellat compoſitum & ſubiectum, accidens uero ſimpliciter omne quod prædicatur, ſiue dicatur de iis, quæ ui ſua & per ſe inſunt ei rei de qua dicitur, ſiue etiam non ita dicatur) certe non neceſſe erit, ea omnia, quæ prædicato conueniunt, ſubiecto etiam conuenire, ut hoc exemplo planum fiet, de Socrate dicitur id quod album eſt, in albo autem conuenit etiam color, quo aſpectus diſſipatur, ſi quis uero etiam Socrati ineſſe uelit eum colorem, quo aſpectus diſpergitur, & dicat hoc modo, Socrates albus eſt, albus eſt color aſpectum ſeparans: igitur Socrates eſt color aſpectus ſeparans, certe is in accidente captioſo argumentationis genere uſus fuerit. neque enim neceſſe eſt, ut quod accidenti ineſt, rei etiam ſubiectæ inſit, propterea quod non idem eſt accidens, ſi ab eo, cui accidit, ſeiunctum ſit, & ſi cum eo comparetur: ac ſi coniunctum ei, cui accidit conferatur cum eo ſolum cui accidit, hoc modo: Coriſcus eſt homo, homo eſt diuerſus à Coriſco, Coriſcus igitur ab homine diuerſus eſt. Dicitur autem hoc ſophiſma ex accidenti eſſe, quia accidens ſecretum ab eo cui accidit, & cum eo coniunctum, non idem eſt. nam quemadmodum in eo exemplo, quod ante dixi, ſophiſta rem ſuam agit hoc modo, Socrates eſt id quod album eſt, quod album eſt, color eſt: Socrates igitur eſt color. in ea propoſitione, quæ eſt, Socrates eſt id, quod album eſt, & accidens & id cui accidit una ſumantur quaſi unum quiddam ſit, in ea uero, qua dicitur, id quod album eſt, eſt color, ſumitur ſolum accidens ſine ſubiecto. ita etiam qui dicet, Coriſcus eſt homo, ei uſu ueniet, ut ſumat utrunque, & hominem Coriſco coniunctum, & Coriſcum ipſum: in ea uero propoſitione, quæ eſt huiuſmodi, homo diuerſus eſt à Coriſco, ſeiunctum omnino proferat. igitur ex accidente fit captio. non enim quæcunque accidunt ſimplici & ſeparato, & uniuerſo homini, eadem neceſſe eſt coniuncto & concreto ineſſe omnia: ſimplici enim accidit, ut diuerſus à Coriſco ſit, & tamen non neceſſe eſt, id de Coriſco dici, quia id per ſe non conuenit homini abſolute & omnino. quæ enim ui ſua atque natura uniuerſo homini conueniunt, ea Coriſco quoque conuenient. quæ uero non ui ſua, & per ſe, ſed ut accidentia, ut in accidenti tanquam in ſubiecto conſiſtant, non neceſſe eſt, ut Coriſco conueniant. quemadmodum mortali multa accidunt, ut trium ſyllabarum ſit, ut diuerſus ſit à Coriſco, ut ſit animalis ſpecies, ut animum habeat, ut ſenſus particeps ſit, quæ omnia non propterea neceſſe eſt, ut conueniant ſubiecto, quod prædicato conueniunt: quandoquidem non eſt neceſſe ea omnia & iis, quæ dicuntur, & ei de quo dicuntur, conuenire, ut in Categoriis ſcriptum eſt. eadem ratio eſt generum & formarum. quæcunque enim in ſubſtantia generis naturam perficiunt, eadem ſpeciei conuenire debent omnia, quoniam genera ſynonyme de formis dicuntur. non tamen quæcunque accidunt generi, ea ſingulis formis illius generis omnino neceſſe eſt accidere. nam & generi accidere dicuntur ea omnia, quæ accidunt uni ſpeciei earum, quæ ſunt in eo genere, uel quæ in eius ſubſtantia ſunt: ut animali accidit id, quod album eſt, propterea quod olor, animal cum ſit, albus eſt. ita quæ hoc pacto generi dicuntur accidere, ea non neceſſe eſt ſpeciei accidant, uel potius quod ait,

Quando enim eidem rei multa accidunt, profecto non eſt neceſſe ea omnia & iis omnibus quæ dicuntur, & ei de quo dicuntur conuenire. eſt huiuſmodi. accidit Socrati homini eſſe: cum igitur eidem multa conueniant, non neceſſe eſt ea omnia, quæ omnes res, quæ dicuntur, conſequuntur, ſubiectum (deeſt enim hoc: quod ſignificauit cum dixit, ei de quo dicuntur) etiam ſequi, præſertim cum, quæ conueniunt animali, & ei, quod rationis eſt particeps, hoc eſt Socrati, non conueniant, cum Socrates nec

differentia ſit, quia rationis particeps de Socrate dictum eſt differentia, neque etiam diſſyllabum ſit, quia ζῷον id eſt animal, biſyllabum eſt. eademq; ratione ſi conuenit Coriſco homo, & homini, ut diuerſus à Coriſco ſit, tam Coriſco quoque, ut à Coriſco diuerſus ſit, non conuenier: quandoquidem homini, ut diuerſus à Coriſco ſit, ex accidenti conuenit. quod ſi hominem accidere Socrati dixerimus, certe non proprie id dictum erit nobis. ponemus enim accidere pro eo, quod eſt conuenire, & de eo dici. & tamen ipſe Ariſtoteles cum declararet genus eorum, quæ cum aliquo comparantur, Socratem eſſe hominem ex accidente dixit. ita eorum quæ dicta ſunt, ſenſus eſt huiuſmodi. nunc ad uerba noſtra ſe conuertat oratio. ſi id quod ait, ſi Coriſcus diuerſus eſt ab homine, ſumatur idem ualere, ac ſi dixiſſet, hominem diuerſum eſſe à Coriſco (id enim conſueuit Ariſtoteles ſæpe facere, & multis huius generis interpretationibus rem declarare) clarum erit quod dicitur: eritq; hæc maior propoſitio captionis. & quod ait, quia homo eſt, erit minor, ut hæc ratiocinatio in prima figura componatur. Coriſcus eſt homo, homo eſt diuerſus à Coriſco, Coriſcus igitur à ſeſe diuerſus eſt. quod ſi non ita ſit interpretandum, ſed intelligatur, ut in membrana ſcriptum inuenitur, duas inde ratiocinationes eliciemus, alteram, qua probabitur Coriſcum non eſſe hominem, alteram, qua Coriſcum eſſe diuerſum à ſe confirmabitur. ac utriuſque ratiocinationis minores ſolum propoſitiones dicet. & quod ait, Coriſcus diuerſus ab homine eſt, erit propoſitio huius ratiocinationis, Coriſcus eſt ab homine diuerſus, quod ab homine diuerſum eſt, non eſt homo, Coriſcus igitur homo non eſt. & quod ait, quia eſt homo, erit alterius ratiocinationis minor propoſitio. ea ratiocinatio fit ad hunc modum. Coriſcus eſt homo, homo eſt diuerſus à Coriſco, Coriſcus igitur ab homine diuerſus eſt. huic ſimile eſt etiam exemplum, quod ſequitur, præterquam quod in eo ambæ propoſitiones adhibentur. nam ſi hæc, diuerſus à Socrate, eſt maior, & hæc, & Socrates homo eſt, minor: fiet hoc modo concluſio, Socrates eſt homo, homo eſt diuerſus à Socrate, Socrates igitur diuerſus à Socrate eſt: ſiquidem Socrates eſt homo. quod uero ait, Coriſcum ab homine diuerſum eſſe, aiunt eſſe conceſſum: idem ualet, ac ſi diceret, Coriſcum eſſe diuerſum a Socrate, quia Socrates homo eſt. adiungit etiam cauſam, quam ob rem Socratem eſſe diuerſum à ſe concludatur.

Propterea quod inquit, accidit, ut is ſit homo, à quo ille dictus eſt eſſe diuerſus, quæ uerba ita intelligenda ſunt. propterea quod accidit, ut Socrates ſit homo, a quo Socrate in maiore propoſitione dictum eſt hominem, uniuerſalem uidelicet, eſſe diuerſum.

EX EO autem, quod hoc uel illud omnino dicitur, aut quodammodo non proprie, tum captio naſcitur, cum id quod in parte dicitur, in totum dictum eſſe ſumitur. ut ſi res, quæ nullæ ſunt, ſumantur non eſſe, quia ſunt opinabiles. neque enim idem ualet eſſe quadam ex parte, quod eſſe omnino. aut ſi aliquid quod eſt, non eſſe ſumatur: quod rerum quæ ſunt, aliqua, ut homo, non ſit. neque enim non eſſe aliquid, idem quod non eſſe omnino efficit. ſed quia uicina ſunt hæc dicendi genera, etiam aliqua ex parte eſſe omnino, & non eſſe aliqua ex parte, non eſſe omnino, neque inter ea multum intereſt, ob eam cauſam idem ualere & efficere uidentur. ſimilis eſt ratio illius generis, quod ex his duobus naſcitur, quodammodo, & omnino. ut ſi Indus totus niger candidis ſit dentibus, ex eoq; albus, ut non albus concludatur, etiam ſi utrunque quodammodo conueniat, ex eo eidem contraria conuenire. atque hoc quidem genus captioſi argumenti, in nonnullis facile eſt perſpicere omnibus: ut ſi quis ſumpto eo, Aethiopem eſſe nigrum, an albus dentes ſit, requirat. & abſoluta interrogatione, ſi hac ex parte ſit albus, illud eundem nigrum & non nigrum eſſe, diſputando concluſum putet. Sunt autem quædam in quibus id obſcurum eſt frequenter. cuius generis ea ſunt omnia, cum quibus non illud ipſum quodammodo, & quadam ex parte dicitur, illud etiam omnino conſequens uidetur. Itemq; ea omnia, in quibus non eſt facile perſpicere, utrum eorum recte dandum ſit: qualia ſunt ea omnia, quibus æqualiter contraria conueniunt. uidetur enim aut utrunque, aut certe neutrum dandum eſſe, dici omnino. ut ſi quid ex dimidia parte ſit album, & dimidia altera nigrum, id quæratur album ſit, an nigrum.

Hoc eſt ſecundum genus ſophiſmatum, quæ in rebus eueniunt. ex quo naſcuntur etiam uitioſæ &

fallaces concluſiones,cum quis ea,quæ quodammodo,hoc eſt,coniunctè,& ſimul de aliquo dicuntur, ut omnino,hoc eſt ſeparatim & ſeorſum alia ab aliis dici ſumat,aut contra.Ex iis enim quæ dicuntur,quæcunque ex accidenti dicuntur de ſubiectis,ut in libro,qui περὶ ἑρμηνείας inſcribitur,oſtenſum eſt,quemadmodum de homine album & muſicum,ea coniunctè,& ſeparatim dici non poſſunt: propterea quod utraque eidem accident.quam ob rem ne ſutor quidem omnino bonus dicitur,quoniam bonum de ſutore ex accidenti dicitur,quod ſiquis rectam & aptam uelit de ſutore enunciationem facere,ſumet is animal & bipes,quæ de eo ex ui & natura dicuntur:quæ quidem cum de eo ſeparatim dicuntur,coniunctè etiam dici poſſunt.uerum ipſa dicendi ratio ſeparatim facta,coniunctè etiam fieri poteſt. Ac quædam etiam eſt dicendi ratio,quæ ſi ſeiunctè dicatur,uere dicetur:ſi coniunctè,non item:quod in Simone intelligi poteſt.de eo enim dicitur ſutor propter artem,& bonus propter uitæ inſtitutum, ſingularem humanitatem,ſuauiſſimosq; mores. talis autem erat ille ſutor,qui Socrati coæuus fuit,quiq; parum artem ſutoriam intelligebat,cæteroqui uir bonus erat.ita fit,ut quæ ſeparatim de eo dicuntur,uidelicet ſutor, & bonus,coniunctè dici non queant.ſi enim dicantur,orietur captio,quaſi mentiamur hoc modo, Simon eſt ſutor bonus,bonus ſutor eſt bonarum caligarum effector, Simon ergo eſt bonarum caligarum effector. in quo commiſſum eſt uitium,propterea quod Simon quidem eſt ſutor,ſed non bonus ſutor: ſed bonus quantum ad mores pertinet.ex eo enim quod quæ omnino de ſutore dicuntur,coniunctè ſunt dicta,orta eſt fallacia.itemq; proponitur homo mortuus, de quo ſunt duæ dicendi rationes, altera eſt homo,altera eſt mortuus,quæ coniunctè ſine uitio de propoſito homine mortuo dicuntur,ſeparatim uero non item.eſt etiam dicendi ratio,in qua nonnulla de quodam coniunctè uere dici poſſunt; ſeorſum, falſo.nam de lapidea manu uere dicetur coniunctè & lapidea & manus, diſtinctè autem non uere dicetur, quare in iis dicendi rationibus captiones eæ,quæ ex eo,quod hoc,uel illud omnino dicitur,aut quodammodo,oriuntur,fiunt ex eo,quod coniunctiones propoſitionum ita,ut debent, factæ non ſunt: præſertim cũ non omnia,quæ coniunctè dicuntur,ſeparatim etiam dicantur:neque omnia,quæ ſeparatim, coniunctè.uerum illa demum & coniunctè & ſeparatim dici poſſunt, quæ ex ui & natura de quodam, aut de quibuſdam dicuntur.dici autem omnino,quæ ſeparatim dicuntur, & dici quodammodo quæ dicuntur coniunctè,ipſe etiam in libro de interpretatione ad finem tertii capitis teſtatus eſt his fere uerbis,

Quam ob rem inquit,in quibus dicendi rationibus nulla repugnantia eſt,ſi definitiones pro nominibus adhibeantur,dicaturq; non ex accidenti,ſed per ſe & ui ſua,illud aliquid adiunctum etiam omnino, uereq; dicetur. Appellat enim omnino,quæ ſeparatim;quodammodo autem, quæ coniunctè dicuntur. ut Simon eſt ſutor ſimpliciter,ſimiliter etiam Simon bonus eſt quodammodo.quod idem eſt, ac ſi dicas ſimul,Simon ſutor bonus eſt.& ipſe appellat rationem coniunctè dicendi Aliquid, & Quodammodo; propterea quod illud aliquid ad ſingulas res pertinet, & coniunctio omnis ad res ſingulas ſpectat: tum etiam,quia coniuncta categoria anguſtior eſt,nam ſi dicatur animal rationis particeps,ad plura pertinebit,quam ſi dicatur,animal rationis particeps mortale:& ita animal latius patet, quam animal rationis particeps.ex eo igitur,quod hoc uel illud,aut quodammodo dicitur, naſcitur captioſum genus concludendi tum,cum id quod in parte,hoc eſt,quod coniunctè dicitur de aliqua re ſubiecta, omnino hoc eſt ſeparatim dictum eſſe ſumitur: quemadmodum de Homero dicitur coniunctè, eſſe poetam: in quo ſi quis uerbum eſſe ſeparatim de Homero enunciet,& dicat,Homerus eſt,mentietur,quia Homerus quondam eſt mortuus:ſin uero,Homerus poeta eſt,uerus erit,cum non ſumat omnino dici, quod coniunctè dicitur.de opinabili eodem modo fit captio.procedit enim hoc pacto ſophiſtes, num hippocentaurus eſt non ens? num hippocentaurus eſt opinabilis? igitur non ens extat.Syllogiſmus eſt in tertia figura.captio ex eo quod omnino,aut quodammodo aliquid dicitur,orta eſt.quanquam enim & hippocentaurus & non ens ſeparatim eſſe dicuntur,tamen non iam etiam ſunt: quandoquidem eſſe aliquid, & eſſe omnino,non idem ſignificant.eſt enim,ut ante dixi,Homerus aliquid,hoc eſt poeta, & non eſt omnino, cum modo non ſit Homerus. Affert etiam aliam captionem, qua non ens eſſe dicitur; quæ ipſa itidem oritur ex eo, quod quodam modo, aut omnino hoc, uel illud dicitur. nam aliquod non ens,omnino etiam non eſſe concludit.fit autem ratiocinatio in tertia figura ad hunc modum.num id quod eſt diuerſum eſt ab homine? num etiam ab equo,a boue,a cœlo,a terra,& omnino ab omnibus iis, quæ ſunt in rerum natura? eſt.quod diuerſum eſt ab iis quæ ſunt,non eſt,igitur quod eſt,non eſt. quod genus captionis ipſe ſtatim explicauit,cum ait,etiam ſi aliquid non ens eſſe ſumatur,ut homo,ut bos,ut equus, non ſequi,ut omnino non ſit.Sed ſi quis quæreret,unde oriatur captio,ipſe hunc ſcrupulum ex animis euellit, & ait,uideri eſſe reprehenſionem,quod uideatur nihil,aut certe parum differre inter eſſe aliquid, & eſſe omnino:propterea quod putamus illud aliquid adiunctum nihil plus ſignificare, quam ipſum uerbum eſſe:& idem effici,ſi dicatur, non eſſe aliquid, & eſſe. quippe qui arbitremur id quod quadam ex parte non eſt,non eſſe omnino,quod ita non eſt.neque enim ſi aliquid non eſt, etiam omnino non eſt. Eadem ratione ait fieri captionem,cum id quod quadam ex parte dicitur eſſe, dictum omnino capiatur,& ad repugnantiam compellatur:ut ſi quis rogauerit,utrum condemnandus ſit,qui iuſta,an qui iniuſta dicat.quid? cum quis iniuria affectus,aut cæſus uerberibus,aut cui captæ ſint pecuniæ,ad iudicem procedit auxilium & miſericordiam implorans,narratq; ea,quæ paſſus eſt, nonne iniuſta dicit? is igitur eſt condemnandus.

demnandus. hæc captio oritur ex eo, quod quodammodo dicitur. neque enim ſi quodammodo iniuſta dicit etiam ea omnino iniuſta ſunt. ſimilis eſt etiam ratio Aethiopis: quia enim aliqua ex parte candidus eſt, uidelicet candidis dentibus, aliquis ait eum omnino candidum eſſe. Quoniam autem ii qui à ſophiſtis interrogantur, plerunque & eo redacti ſunt, ut uix queant reſpondere, nunc quomodo id uſu ueniat, exponit. ait enim in quibuſdam facile perſpici eum, qui captioſo genere argumentandi utitur. id quod fit etiam, cum quis id quod quodammodo dicitur, tanquam uniuerſe & omnino dicatur, ſumit. quod ex Aethiopis exemplo intelligitur. cum enim Aethiops quadam ex parte ſit candidus, ſophiſta eum ſumpſit quaſi omnino candidus ſit, & ita differens putat ſe concludere Aethiopem album eſſe, & non album eſſe. ita in nonnullis facile eſt perſpicere, in nonnullis autem id obſcurum eſt frequenter. cuius generis ſunt ea, in quibus cum illud ipſum quadam ex parte dicitur, illud etiam omnino conſequens uidetur. nam quod ait,

Illud etiam omnino conſequens uidetur, idem ualet, ac ſi dicatur, Cum aliquid quodammodo dicitur, & omnino conſequi uidetur, ut hoc exemplo clarum fiet. an poteſt quis ſimul uere iurare, & falſo iurare? nequaquam. an is qui iurauit falſum iurare, & falſum iurat, uere iurat? poteſt igitur ſimul uerum & falſum iurare. hæc captio in prima figura conficitur, & ex eo naſcitur, quod quadam ex parte dicitur. neque enim ſi quadam ex parte uere iurat, & id obſcurum eſt, quia non omnino, ſed quodammodo uere iurat, in his igitur generibus obſcurum eſt id quod omnino, & id quod quadam ex parte dicitur. hæc quidem quadam ex parte & omnino in illis dici uidentur, atque adeo in iis omnibus, in quibus non eſt facile perſpicere, quomodo res nominanda ſit: quem ad modum fortitudinem dicimus eſſe in bonis & propter bonum quod ex ea proficiſcitur, & propter uirtutem: & dicimus eſſe in malis, propter uulnera & cædes, quæ pugnando fiunt. ita incertum eſt, bona ne, an mala ſit dicenda. Itemq; in iis omnibus id obſcurum eſt, in quibus æqualiter contraria conueniunt: quod in fortitudine declarauimus. paria enim in fortitudine ſunt bonum & malum. idem etiam in oculo uſu uenit, cuius altera pars eſt candida, altera non item. atque hoc quidem non modo ex his exemplis intelligi poteſt, ſed ex eo etiam, quod ipſe alibi commemorauit. cum quædam magnitudo ſit, quæ latitudinis ſit duorum cubitorum, & longitudinis quatuor, deinde quærat aliquis hæc magnitudo ſit ne duorum cubitorum, an non, certe obſcurum erit, an etiam, an non dicendum ſit. ſed cogimur uel utrunque dare, & affirmare magnitudinem & duobus, & tribus cubitis conſtare, & ita non more dialectico reſpondere cum etiam aut non dicamus; uel neutrum concedere.

EÆ AVTEM captioſa argumenta, quæ ex eo oriuntur, quia quid ſyllogiſmus, quid reprehenſio ſit, non expoſitum ſit, ex prætermiſſione definitionis eueniunt. eſt enim reprehenſio oratio contraria unius & eiuſdem non uerbi, ſed rei: & uerbi non ſynonymi, ſed eiuſdem: quæ quidem ex ijs quæ data ſunt, efficitur neceſſario, non adiuncto eo, quod initio dictum eſt, quod eadem ex parte, & in eadem re, eodemq; modo, & in eodem tempore dicatur. eodemq; modo falſum quid de aliquo dici poteſt. Sunt enim quidam qui alicuius eorum, quæ expoſita ſunt, prætermiſſione, uidentur refellere; ut eandem rem duplam eſſe, & non duplam. duo enim unius eſſe dupla, trium non eſſe dupla. aut ſi eadem res eiuſdem dupla ſit, & non dupla: ſed non ex eadem parte: ut longitudine dupla ſit, latitudine autem non dupla. aut ſi eiuſdem rei ſit, & eadem ex parte, eodemq; modo, ſed non ſimul, ita ſpeciem præ ſe ferunt reprehenſionis, quod quidem genus ad ea etiam, quæ ex uerbo exiſtunt; referri poteſt.

Tertium genus fallaciarum, quæ in rebus fiunt, ex ignoratione nominatur, quod quidem hoc nomen inuenit, quia qui quid reprehenſio ſit, cognitum habet, non falli ſe ſinit per aliquem hac captione. Eſt enim reprehenſio, oratio contraria unius, eiuſdemq; non nominis, & cætera, quæ in definitione ponuntur omnia. qui uero decipitur propter aliquid eorum, quæ ponuntur in propria reprehenſione, certe is non erit reprehenſus. cum uero quis decipiatur ſumpto uno & eodem uerbo, & aliis omnibus, quæ de uera, atque propria reprehenſione dicta ſunt, tunc ſane dicetur reprehendi, & ad repugnantiam compelli. Captioſa autem argumenta quæ ex eo oriuntur, quia quid ſit reprehenſio, ignoratur, fiunt ex prætermiſſione definitionis ipſius reprehenſionis. nam qui in aliquo eorum, quæ in reprehenſionis definitione ſunt, cauillatur, is, ut ante dixi, ex ignoratione reprehenſionis dicitur

uitioſe concludere. uel quod ait ex prætermiſſione definitionis, intelligendum eſt, quaſi dicat, ex prætermiſſione ratiocinationis: ſiquidem reprehenſio quoque eſt ratiocinatio quædam. & quemadmodum ratiocinatio debet concludi ex iis, quæ poſita ſunt, nullo uerbo homonymo adhibito, neque adiuncto eo, quod initio ſit dictum: ita quoque efficere debet reprehenſio. ſed antequam longius progrediamur, reprehenſionis definitionem proponemus, & ſingulas eius partes, quantum in nobis erit, diligenter conſiderabimus. Reprehenſio inquit eſt, oratio contraria unius & eiuſdem non uerbi, ſed rei, &c. nam ſi reprehenſuri ſumus eum, qui nobiſcum diſſerit, & ueriſimile aliquid defendit, dare operam debemus, ut is contraria & repugnantia dicat. tunc enim appellatur oratio contraria, cum quis de uno & eodem, non de alio, atque alio ait, & negat. neque enim ſi dixerimus Platonem diſputare, Socratem non diſputare, propterea pugnantia dixerimus. atque ipſe cum dixiſſet reprehenſionem eſſe orationem contrariam, adiunxit unius & eiuſdem: propterea quod non conandum eſt, ut in alia, atque alia re differentem in errorem coniiciamus: cum non ſit futura reprehenſio, niſi unius eiuſdemq; rei ſit. ſimili quoque modo qui dicit omnem angelum eſſe bonum, & nullum dæmonem eſſe bonum, non reprehendit eum, qui ait aduerſas propoſitiones in materia contingenti ſimul falſas eſſe: propterea quod non de eodem ſubiecto, ſed de alio, atque alio concluſionem fecit, cum de uno, eodemq; eſſet efficienda. Præterea quoniam multa ſunt, quæ uno nomine appellantur, naturam tamen diuerſam habent, qualia ſunt homonyma, addidit, non uerbi, ſed rei. hoc eſt non uerbi ſolum, ſed etiam rei. non modo enim uerbum unum eſſe debet, ſed res etiam ſignificata una eſſe debet. nam quod ait, non uerbi, poſitum eſt pro eo, quod eſt, non ſolum uerbi. nam ſi uerbum quidem unum ſit, ſed multa ſignificet, profecto ita quoque qui pugnantia dixerit, non falſum dicet: ut ſi quis dicat, canis latrat, canis non latrat. Cumq; non ſolum ex homonymia effficiatur, ut quis contraria dicendo non mentiatur, ſed etiam ex ſynonymia, (poſſunt enim quædam pugnantia pronunciari, & tamen uerum dici, cuiuſmodi ſunt animal ambulat, animal non ambulat, cum contingat, ut aliqua ambulent, aliqua non ambulent) adiunxit,

Et uerbi non ſynonymi, ſed eiuſdem, & unius, neque homonymi, neque ſynonymi, & item hæc, quæ quidem ex iis quæ data ſunt, efficitur neceſſario: quæ ſimilia ſunt illis uerbis, quæ ſunt in definitione ſimplicis ſyllogiſmi adhibita, quæ ſunt huiuſmodi, Ex iis, quæ poſita ſunt, neceſſario concluditur. nam ſi quis conetur eum, qui ſecum diſputat, redarguere non ex iis, quæ ipſe diſputans dederit, & conceſſerit, non dicetur redarguere. addit etiam.

Non adiuncto eo, quod initio dictum eſt. hoc eſt, non adhibito eo, de quo quæritur, ad demonſtrationem ſui. neque enim ex eodem oſtendendum eſt id, quod ipſum per ſe non eſt clarum: quia ne ita quidem eſſet reprehenſio. id autem fit, cum ſumitur medius terminus, qui idem ualeat, quod aliqua extremitatum, non eiuſdem tamen nominis ſit, ſed diuerſus, quantum pertinet ad pronunciationem, uideatur. nam ſi quæſtio ſit, utrum animus ſit immortalis, ſi dicat quis animum immortalem eſſe, & alteram poſtea cum hac propoſitionem coniungat, is erit plane ſtolidus & abſurdus. quam ob rem qui uult repetere id, quod initio dictũ eſt, mutat uerbum quod in quæſtione eſt, in aliud quod idem ualeat, & ita captionem efficit. ut ſi quærat aliquis, an immortalis ſit animus, iſq; qui reſponder, neget animum eſſe immortalem, ille ratiocinatur hoc modo, animus non eſt caducus, quod caducum non eſt, immortale eſt, animus igitur immortalis eſt. ſed non eſt etiam immortalis, ut tu ais. uerum is qui ita argumentatur, non reprehendit eum, qui dicit animum non eſſe immortalem: propterea quod aſſumpſit id quod initio dictum eſt, & quod oſtendendum erat, id ſumpſit. nam animum non eſſe caducum, idem eſt, quod animum eſſe immortalem. Ac de aſſumptione quidem eius, quod initio dictum eſt, quid ſit, & quomodo fiat, Ariſtoteles in ſecundo priorum analyticorum uolumine accurate diſſeruit. Reprehenſio autem debet etiam ex eadem parte eſſe, quandoquidem ſi unum & idem ſit rogatum, idq; nec homonymum, nec ſynonymum, neque ſumatur quod initio propoſitum eſt, ex alia autem, atque alia parte dicamus aliquid eidem conuenire, uera dicemus: ut Aethiops eſt albus, Aethiops non eſt aibus. quantum ad coloris extremitatem non eſt albus, dentibus uero albis eſt. ita fit, ut ex eodem ſit facienda reprehenſio: ut non ex alia atque alia parte conuenire quid dicamus. itemq; in eadem re reprehenſio debet eſſe, & non in alia, atque alia: ſed debemus oſtendere in eadem re negare & affirmare eum, qui contra diſputat, ſi redarguere eum uoluerimus, quod ſecum pugnantia dicat. ita qui ratiocinatur duo eſſe dupla, & non eſſe dupla, non reprehendit eum, qui dicit non eſſe dupla: quia non probat in uno & eodem numero eſſe dupla, & non dupla, ſed in alio atque alio: ac unius quidem eſſe dupla, quatuor uero non eſſe. adiungit autem hæc uerba,

Eodemq; modo: hoc eſt, ut alter non ſumat aliquid eſſe potentia, alter illud eſſe actu concedat. neque enim ita fiet repugnantia. nam qui dicit, eum qui dormit, habere aſpectum, qui habet aſpectum uidere, & ita eum qui dormit uidere, non redarguit eum qui ait, non uidere eum qui dormit. hoc autem, quod aſpectum habet, uidet, duo ſignificat, eum uidelicet qui habet aſpectum, ſed non agentem, poſſe tamen agere: & eum qui iam agit.

2 Et in eodem inquit, tempore dicatur. Fieri enim poteſt, ut in alio, atque alio tempore malus & non

malus

malus idem dicatur. nam qui dicit, quemcunque in illo aureo ſeculo de quo ſcribit Heſiodus, eſſe bonum, & neminem in ferreo ſeculo bonum eſſe, deinde concludit quemcunq; & neminem bonum eſſe non reprehendit eum, qui hoc ipſum non dicit: propterea quod non probauit in eodem tempore omnes homines eſſe bonos, & non eſſe bonos: quod ſi eſſet factum, uera fuiſſet reprehenſio: ſed in alio atq; alio factum eſt. Itemq; qui dicit, catulum aſpicere, & non aſpicere, non concludit in eodem tempore repugnantiam, quæ hinc oriri uidetur, ſed in alio & alio tempore. quæ omnia ſcire debet is, qui decipi non uult: quiq; magis ſtudet, ut eum qui decipit, redarguat. quæ ſi ignoret, ne redarguere quidem poterit. quin etiam ipſe reprehendetur ab iis, qui decipere alios in animo habent. & id eſt, quod ex ignoratione reprehenſionis efficitur. Nunc cum dixerit, quid ſit uera reprehenſio, atque etiam docuerit, quomodo uere reprehendantur ii, qui ex reprehenſionis definitione redarguuntur, deinceps ait, eodem etiam modo falſum quid de aliquo dici poſſe. quemadmodum enim fit reprehenſio tum, cum quis in repugnantiam compellitur ſumpta una & eadem re, & non adiuncto eo, quod dictum initio eſt, ita etiā falſum quid dici, aut falſum effici captionem contingit tum, cum aut homonymum ſumitur, aut connumeratur id, quod initio dictum eſt. id quod ipſe uerbis conſequentibus declarat maxime:

Sunt enim inquit, etiam quidam, qui alicuius eorum quæ expoſita ſunt, prætermiſſione, uidentur, refellere, ſed non refellunt. Expoſita autem reprehenſionis definitione affert exempla eius quod ex eadem parte, & in eadem re ſpectatur. ait enim uideri aliquos reprehendere, cum dicunt duo eſſe dupla, & duo non eſſe dupla. duo enim unius eſſe dupla, trium non eſſe dupla. id quod dixit, ut declararet id, quod in eadem re cernitur. nam ſiquis oſtendat duo eſſe unius dupla, & poſtea eiuſdem non eſſe dupla, tunc ueram reprehenſionem fecerit. alterum uero exemplū poſitum eſt, ut explicaretur id, quod eadem ex parte dicitur. neq; enim qui hanc magnitudinem ait eſſe alterius duplam, & non duplam, ſed ex alia atque alia parte, ut longitudine quidem duplam, latitudine uero non duplam, reprehēſionem fecit. tum enim deniq; fit uera reprehenſio, cum magnitudo oſtenditur longitudine ſolum eſſe dupla, & non dupla ea autem quæ Philoſophus adiungit, ſignificant non ſolum eadem ex parte, & in eadem re, eodemq; modo debere eſſe omnia, ut fiat uera reprehenſio, quæ repugnantiam unius & eiuſdem rei inferat, ſed debere etiam in eodem tempore conſiderari. nam ſi res una, eademq; ſit, ſumptumq; non ſit quod initio dictum eſt, neque in diuerſis partibus intelligitur, & non ſumatur coniuncte, hoc eſt in uno & eodem tempore, ſpeciem præ ſe feret reprehenſionis. quæ cum dixiſſet, & ueram reprehenſionem diligenter definiuiſſet, ait hoc genus captionis, quæ oritur ex ignoratione reprehenſionis, referri etiam poſſe ad eas captiones, quæ ex uerbo exiſtunt. Nam & genus quod ex homonymia, quodq; ex ambiguitate ducitur, in numero eorum ſophiſmatum ſunt poſita, quæ in uerbis ſpectantur. hoc autem, qui dormit aſpectum habet, ambiguum eſt: intelligi autem poteſt, aut eum uti ſenſu uidendi, aut uti poſſe.

QVAE autem ex repetitione eius, quod initio dictum eſt, eueniunt, totidem modis exiſtunt, quot poteſt repeti id, quod initio dictum eſt. reprehendere autem in hoc genere uidentur, quia quid idem ſit, quid alterum, non poſſit perſpici.

Repetitio eius, quod initio dictum eſt, appellatur quartum genus captionū, quæ in rebus fiunt. quod genus quomodo fiat, paulo ante breuiter expoſui. propoſita enim quæſtione, utrum animus ſit immortalis, ſumit aliquis æternum, & non caducum, quaſi diuerſa ſint ab immortali, & animum eſſe immortalem concludit. de hoc autem genere dictum eſt in ſecundo priorum analyticorum accuratius. itemq; in octauo topicorum, quam clariſſime declaratum eſt, quinque modis ſumi poſſe id quod initio dictum eſt. decipiuntur enim in hoc genere, qui perſpicere non queunt idem eſſe immortale, & æternum, & falluntur a ſophiſtis nihil demonſtrantibus: ſed idem ex eodem non claro & aperto probantibus, quæſtionemq; in propoſitionem conuertentibus. cum enim quæritur, ſit ne animus immortalis, ſophiſtes hoc modo probat: animus eſt indiſſolubilis, quod indiſſolubile eſt, immortale eſt, animus igitur eſt immortalis: in quo nihil quicquam demonſtrat: ſed id quod initio dixit, repetit. itemq; ſi quis dicat, non eſſe locum, alius eſſe locum ita docet, ſi eſt ſurſum, deorſum, ante, retro, a dextris, a ſiniſtris, eſt locus: eſt autem ſurſum, deorſum, & alia, eſt igitur locus: hoc etiam modo principium petitur: ſiquidem quod erat oſtendendum, id nulla probatione adhibita ſumitur. ſi enim totum nihil eſt aliud præter eius partes, certe qui ait, ſi loci partes ſunt, eſt etiam locus, nihil aliud dicit, quam ſi locus eſt, eſſe locum.

EX CONSEQVENTIBVS captioſum genus reprehendendi ex eo naſcitur, quia retro uiciſſim conſequens commeare putetur. quando enim ſi hoc eſt, illud eſſe neceſſe eſt, putat ſi illud ſit, alterum etiam eſſe neceſſario. ex quo fallaciæ, quæ in ſenſu & opinione cōſidunt, oriuntur. Sæpe enim fel eſſe mel exiſtimamus, quoniam flauus color mel ſequitur: & quia ſi pluit, ſequitur, ut terra madefiat, uiciſſim

ſi madefacta ſit, pluiſſe etiam putamus, quod non eſt neceſſe. in arte autem rhetorica argumenta quæ per ſigna tractantur, ſunt ex conſequentibus. ad probandum enim aliquem adulterum eſſe, id quod conſequens eſt ſumunt, eum comptum eſſe, aut eum noctu errantem uideri: quæ quidem in multis reperiuntur. ea autem quæ dicuntur, non item. quod idem fit in ſyllogiſticis. cuius generis eſt illa Meliſſi concluſio, infinitam eſſe uniuerſitatem aſſumpto illo, uniuerſitatis nullum eſſe ortum. ex eo enim quod non eſt, nihil gigni poſſe; quod autem ortum habuit, ex initio natum eſſe: ſi igitur non eſt generata, initium non habet uniuerſitas: ita infinita eſt. quod certe non efficitur neceſſario. non enim ſi quicquid natum eſt, id initium habet, idcirco uiciſſim, ſi quid initium habet, etiam natum eſt: ſicuti nec ſi quis febri iactatur, calidus eſt; neceſſe eſt eum, qui calidus eſt, febri iactari.

Quintum genus captionum quæ in rebus cernuntur, fit ex cõſequentibus, eſtq́ pars captionis quæ ex accidenti naſcitur, quæ in captionibus rerum primas tenet. atque ipſe etiam Ariſtoteles idem poſtea dicit, ambæ enim hæ reprehenſiones ex accidente ducuntur, differunt tamen, quod in ea, quæ ex accidente eſt, termini non uiciſſim retro commeant, ſed ea ita concluditur: Socrates eſt animal, animal eſt genus, ergo Socrates eſt genus. quæ uero ex conſequentibus oritur, ſumit terminos fere reciprocantes, & fit etiã tum, cum termini, qui uiciſſim retro non commeant, ſumuntur perinde, ac commeent. quia enim conſequitur furem, ut noctu errans ſit, ſophiſtæ reciprocando dicunt, & is, qui noctu errat, fur eſt. ac quia mel eſt flauum, illi quod flauum eſt, mel dicunt eſſe: & ita ſuas captiones efficiunt. neque enim neceſſe eſt, ut ſi adulter comptus eſt, etiam quicunque comptus ſit, adulter ſit. hæc enim, id eſt comi, & noctu errare, in multis reperiuntur. ea autem, quæ dicuntur, non item. atque huiuſmodi eſt horum uerborũ ſenſus. uerba autem ipſa ita ſunt: quoniam enim ſi mel, eſt flauum eſſe neceſſe eſt, putant ſi aliquid flauum ſit, mel etiam eſſe. & ex eo fit captio. nam præter mel, eſt etiam ſel flauum. fallax autem concluſio fit hoc modo: num mel eſt flauum? eſt: quod flauum eſt, eſt mel: ſel autem eſt flauum, ſel igitur eſt mel. & ex hoc oriuntur fallaciæ, quæ in opinione conſidunt. guſtus uero dignoſcit mel quia dulce, aſpectus uero, quia flauum: ex quibus opinio affectiones ipſas coniungens, mel quaſi unum ſit putans, quoties aſpectus agit in aliqua re flaua, & uidet aliquid ſelle infectum, ſtatim illud eſſe mel arbitratur. & quia neceſſario ſequitur, ut cum imber defluit, terra madefiat, quotieſcunque fit aquæ fluxio, pluere exiſtimamus. hinc etiam eſt, ut aſpectus ſolem eſſe pedalem putet, quia ita aſpectui eſſe uideatur. atque in rhetoricis ratiocinationibus demonſtrationes, quæ per ſigna tractantur, ex conſequentibus fiunt. & quia adulteri ſignum eſt, comptum eſſe; & furis, noctu errare, ſiquidem ſequitur adulterum eſſe comptum, & furem noctu errare; propterea rhetoricæ probationes ex conſequentibus ducuntur. ad probandum enim aliquem adulterum, id quod conſequens eſt, ſumunt, eum comptum eſſe; & ad docendum eſſe furem, ſumunt eum noctu errantem uideri. ait autem,

Quæ quidem in multis reperiuntur, hoc eſt, ut compti ſint, & noctu errantes uideantur; ea autem quæ dicuntur, non item, id eſt, non ſunt tamen adulteri, nec fures. hoc eſt enim, quo explicatur captio. dici autem ait adulterum de eo, qui ſe comit, & furem de eo, qui nocte errat, non quod uere dicantur (dictum enim eſt hæc non reciprocari neceſſario) ſed quia ita a ſophiſtis adhibentur, quaſi uere dicantur.

Quod idem inquit fit in ſyllogiſticis: hoc eſt in argumentationibus, quæ uidentur per ſyllogiſmum tractari; qualis uidetur eſſe ea, quam fecit Meliſſus. is enim cum probare uellet, unam atque infinitam eſſe uniuerſitatem, id ex reciprocatione, quæ fit ex repugnantibus, forte confirmauit hoc modo: ſi id quod ortum eſt, habet principium, ſequitur ut id quod non eſt ortum, nullum principium habeat: deinde aliam propoſitionem adiungit, quod principium non habet, id infinitum eſt, & ita conficitur ratiocinatio: ens non eſt natum, quod natum non eſt, nullum habet initium, quod nullum initium habet, infinitum eſt, ens igitur infinitum eſt. cuius quidem rationis multa & uaria uitia notata ſunt ab Ariſtotele in primo phyſicorum libro. itemq́ declaratum eſt peccatum reciprocationis ex repugnantibus, in qua reciprocatione, conſequenti ſublato, antecedens tollitur. Meliſſi autem ratio non ita affecta eſt: nam ſi homo ſit, neceſſario etiam ſequitur eſſe animal, at animal ſi non ſit, clarum eſt ne hominem quidem eſſe, quare Meliſſi ratio conuertenda erat hoc modo, ſi quod ortum eſt, initium habet, etiam quod initium non habet, ortum non eſt. at ipſe non fecit; ſed euerſo antecedenti conſequens ſimul euertit. ſed uerba ſunt adhuc ponderanda.

Cuius generis inquit eſt illa Meliſſi concluſio, infinitam eſſe uniuerſitatem. Docuit inquit, Meliſ-

ſus

ſus uniuerſitatem, uidelicet ens (uniuerſitatem enim pro ente dixit) eſſe infinitam, quod fecit ſumpto illo, ens eſſe ingenitum: hoc eſt ens non eſſe ortum. quod ita confirmat, ſi quis dicat ens oriri, certe uel ex eo quod eſt, uel ex eo quod non eſt, orietur. ex eo uero quod eſt, non oritur, quoniam eadem de eo quæreremus; & fieri non poteſt ut ens ex eo quod non eſt, oriatur: cum ſit commune philoſophorum effatum, ex non ente nihil oriri. ita poſtea concluditur, ens non eſſe generatum. & ſi quod ortum habuit, initium habet, quod ortum habet nullum, initium non habet: cuius nullum eſt initium, id infinitum eſt. ſubiungit autem Ariſtoteles, non neceſſe eſſe, ut ſi quicquid natum eſt, id initium habet, idcirco etiam quod initium habet, id natum eſſe. quæ uerba ita poſſunt intelligi: Meliſſus idem eſſe putauit, non ortum eſſe, quod initium non habere, & arbitratus eſt hæc ipſa uicisſim retro commeare, & reciprocari. quod ut crederet adductus eſt ex eo, quod ortum eſſe, & habere principium, idem ualere, & inter ſe reciprocari exiſtimauit. ita ut ſi quicquid ortum eſt, habet initium, etiam quod initium habet, ortum ſit. quod quidem eſt falſum. Græci enim uolunt, nonnulla habere initium, orta tamen non eſſe, cuiuſmodi ſunt cœleſtia, & diuina corpora. quam ob rem ſi hoc falſum eſt, certe quod non ortum eſt, & quod initium nullum habet, non eſſe eadem perſpicuum eſt.

REPREHENSIO autem captioſa ex eo, quod pro cauſa id quod cauſa non eſt, ponitur, tum exiſtit, cum id quod cauſa non eſt, aſſumitur quaſi ex illo reprehendendi naſcatur occaſio: quod in ijs ratiocinationibus contingit, quæ ad impoſsibile deducunt: quoniam ijs ipſis neceſſe eſt aliquid eorum, quæ poſita ſunt, refellere. ſi igitur in neceſſarijs interrogationibus ante concluſionem enumeretur id, quod concluditur, nec fieri poteſt, ex eo ſæpe naſci uidebitur reprehenſio, ut ſi animus idem eſſe, quod uita dicatur, ſi enim interitui ortus eſt contrarius, etiam alicui interitui ortus aliquis contrarius erit: mors autem quidam eſt interitus, & contraria uitæ eſt, ortus igitur uita eſt, & uiuere oriri: quod fieri non poteſt. non igitur idem eſt animus, quod uita. ita non effectum eſt, animum idem, quod uitam eſſe. (efficietur enim ex impoſsibili etiam ſi quis neget animum idem eſſe quod uitam) ſed ſolum uitam morti, quæ eſt interitus, & interitui ortum eſſe contrarium. Argumenta igitur huius generis non ſunt illa quidem omnino infirma ad efficiendum aliquid, ſed ad id ſolum, quod poſitum eſt, concludendum nihil ualent. quod tamen genus latet plerunque eos, qui interrogant. atque ex conſequentibus, atque ex eo, quod pro cauſa, id quod non eſt cauſa, ponitur, quæ argumenta captioſa ducerentur, expoſui.

Hoc eſt ſextum genus earum captionum, quæ in rebus fiunt. quod autem hoc loco dicit, id quod cauſa non eſt, pro cauſa poni, in ſecundo uolumine priorum analyticorum appellauit. Non ex hoc falſum effici. hoc autem contingit in ſyllogiſmis ad impoſsibile deducentibus, cum etiam ſine appoſitione nihilo ſecius concluditur aliquid impoſsibile. nam ſi aliquid impoſsibile a ſophiſtis inducatur, dicantq; illud concludi ex noſtra ſuppoſitione, cum interim noſtra ſuppoſitio in cauſa non ſit, cur illud inferatur, tum maxime nobis licet dicere, id non ex eo effici. hæc res huius exempli appoſitione clara fiet: ſi quis dicat animal omni candido conuenire, nosq; id minime uerum eſſe dicamus, præſertim cum non omne quod candidum eſt, animal ſit, conabitur ille nos reprehendere ad hunc modum: ſi falſum eſt animal omni candido conuenire, certe uerum erit, animal non omni candido, quod ei repugnanter contrarium eſt. deinde hac propoſitione, qua dicitur, animal non omni candido, oſtendit ſequi aliquod impoſsibile, & dicit falſam eſſe hanc, animal non omni candido, & id quod ipſe dixit, omne candidum eſſe animal, uerum eſſe concludit: id quod hac ratiocinatione efficit. animal, ut nos dicimus, non omni candido conuenit, candidum omni pennigero, pennigerum omni coruo, candidum igitur omni coruo. ſed hoc eſt falſum. quam ob rem falſa eſt etiam ſuppoſitio ex qua ſequutum eſt impoſsible, & ex qua ortum eſt falſum. ea erat, qua dicebatur, animal non omni candido conuenire: uera igitur eſt ea, qua omni dicitur conuenire. huic reſpondendum eſt, non ex hoc fieri falſum: quandoquidem non concluſum eſt candidum omni coruo ineſſe, ex propoſitione, qua dicitur, animal non omni candido: ſed ex tua, qua dixiſti, candidum omni pennigero ineſſe. quod uerum eſſe, ex eo perſpici licet, quod ſublata propoſitione noſtra, qua fieri falſum dicitur, nihilo minus falſum

concluditur. Atque ipſe etiam docet, quomodo falſum contingat non ex noſtra propoſitione quidem, ſed ex ea, quam adhibent ſophiſtæ. id quod exemplo declarat. eſt autem quod ait huiuſmodi. aliquis dicit animam & uitam eſſe idem ratione cauſæ. quod ſophiſta falſum eſſe oſtendere conatur. ait enim ſi anima & uita eſt idem ratione cauſæ, nihil impoſsibile ex hypotheſi conſequitur. ſed ſequitur, ut probabitur, hoc, non igitur anima & uita idem eſt ratione cauſæ: deinde dat operam, ut aliquid impoſsibile oſtendat hoc modo. nam ſi corruptioni contraria eſt generatio, certe alicui etiam corruptioni aliqua generatio erit contraria: mors autem quædam corruptio eſt, generatio igitur quædam morti, quæ eſt quædam corruptio, contraria erit: præſertim cum nihil aliud præter mortem ſit uitæ contrarium, uita igitur eſt generatio. ſi autem uita eſt generatio, etiam uiuere eſt generari. ita ſi animal uiuit, generatur. ſed fieri nullo modo poteſt, ut quatenus uiuit animal, generetur. quod ſi hoc fieri non poteſt, certe etiam ſuppoſitio, ex qua hoc effectum eſt, impoſsibilis eſt, ea eſt, qua dicitur, animam & uitam eſſe idem ratione cauſæ. ita uita non eſt idem, quod anima. ad hunc autem reſpondemus, id non eſſe in cauſa, cur falſum concludatur. neque enim ex eo quod diximus, uitam idem eſſe quod animam, concluditur, animal ſi uiuat, generari: propterea quod etiam ſi hoc non ponatur, ex aliis propoſitionibus nihilo minus impoſsibile efficietur: ſed ex eo demum effectum eſt, quod tu dixiſti, uitam eſſe contrariam morti, quæ eſt corruptio. corruptio enim non eſt uitæ contraria, ſed corpori inanimato. uitæ autem eſt contraria diſſolutio. diſſolutio uero non idem eſt quod corruptio, quoniam non neceſſe eſt ea, quæ diſſoluuntur, & inter ſe ſeparantur, corrumpi. an non aliquis diſſoluit ea quæ ex lana, & filo ſunt confecta, & coniuncta inter ſe, & tamen ea diſſolutio non facit, ut ea corrumpantur? itemq; ſi quis ab aceruo ſeparet frumentum & hordeum, quæ confuſa, & commiſta inter ſe ſint, fiet quidem diſſolutio, atque diſtinctio, corruptio uero nullo modo. quam ob rem ſi mors eſt diſſolutio atque ſecretio animi & corporis inter ſe, iam non erit mors corruptio. non eſſe autem idem mortem, quod corruptionem perſpicuum ex eo eſt, quod mori dicuntur uiuentia, corrumpi uero cadauera, & inanimata corpora. quod ſi mors & corruptio idem ualerent, ſimul atque anima ſecerneretur a corpore, corpus ipſum corrumperetur. at hoc nullo modo fit: ſed corpus poſtea corrumpitur. atque hæc quidem ſunt, quæ dixit Ariſtoteles. quod uero ait

Si igitur in neceſſariis interrogationibus ante concluſionem enumeretur id quod concluditur, nec fieri poteſt, ex eo ſæpe naſci uidebitur reprehenſio, eſt huiuſmodi. In neceſſariis interrogationibus, id eſt in propoſitionibus, quas affert is, qui certat, quas ipſe appellat neceſſarias interrogationes, non quod neceſſarium quid concludant, ſed quod eis non ſumptis impoſsibile quod propoſitum eſt, non concluderetur. in eiuſmodi inquam propoſitionibus eius qui contendit, ſi enumeretur & miſceatur impoſsibile quod ſequitur, quod adhibet ſophiſta, & concluſionem inſerat, hoc eſt ſi falſa propoſitio ſit cauſa, ut concluſio impoſsibilis inferatur(ex ea enim concluditur id abſurdum)ex eo ſæpe naſci uidebitur reprehenſio: quemadmodum factum eſt hoc loco. commiſta enim eſt neceſſariis interrogationibus hæc, uita contraria eſt morti, quæ eſt corruptio. non enim eſt, ut antedixi, mors corruptio: ſed ſecretio animi & corporis. coniuncta quoque eſt neceſſariis interrogationibus hæc propoſitio; mors & corruptio idem ſunt. qua ſumpta uitam eſſe generationem, & uiuere eſſe generari, & ſi animal uiuit, generari, concluſum eſt. Has autem ratiocinationes ait non omnino infirmas eſſe ad efficiendum quid; ſed nihil ualere ad concludendum id, de quo agitur: propterea quod non concludunt id, quod uolunt, quia ex falſis propoſitionibus ſunt factæ. quare nihil ad id concludendum ualent. quod uero ait,

Quod tamen genus latet plerunque eos ipſos qui interrogant, eſt huiuſmodi, non ſolum qui reſpondent, ignorant, & exiſtimant quæ non ſunt eadem, eſſe eadem, & inde falluntur & decipiuntur a ſophiſtis, ſed etiam iis, qui interrogant id plerunque accidit, quemadmodum Polo uſu uenit, qui cum putaret uoluntatem & exiſtimationem idem eſſe, de eis, quaſi unum eſſent, Socratem interrogabat.

EX EO AVTEM, quod multæ interrogationes pro una habentur, tum exiſtunt captiones, cum ignorantur multæ eſſe, & ad eas, tanquam una ſit, ſemel reſpondemus. ac nonnullas quidem interrogationes, multas eſſe facile eſt cernere, neque reſpondendum eſſe. cuius generis illa eſt, ſit ne terra mare, an cœlum? in quibuſdam difficilius eſt, hæc perſpicere. nam tanquam una ſit, aut concedunt, propterea quod ad rogatum non reſpondent, aut coargui uidentur. quo ex genere illa eſt, an hic & ille homo eſt? ſi quis igitur hunc & illum feriat, hominem, non homines feriet. item hæc, propoſitis multis, quorum partim bona ſunt, partim non bona, ſint ne bona omnia, an non bona. utrumuis enim reſpondeat, uel reprehenſioni cauſam dabit, uel certe id, quod perſpicue falſum eſt, dicere uidebitur. dicere enim alis

quid

quid eorum, quæ non ſunt in bonis, bonum eſſe, uel eorum quæ in bonis ſunt, non bonum, falſum eſt. interdum aſſumptis quibuſdam uera erit reprehenſio, ut ſi quis det eadem ratione unum, multaq; dici alba, nuda, & cæca. ſi enim cæcum id eſt, quod non aſpicit, & cui natura aptus eſt aſpectus, etiam cæca erunt ea, quæ ſenſu oculorum carent, qui eis natura ſit aptus. propoſitis igitur duobus, quorum unum uideat, alterum non uideat, utrunque aut aſpiciet, aut cæcum erit, quod fieri non poteſt.

Septimum & idem extremum genus fallacium concluſionum, quæ in rebus contingunt, ex eo oritur, quod duæ interrogationes pro una habentur, ita autem appellatur, quia ſingula ea, quæ propoſita ſunt, & de quibus habetur ſermo, quæ propriæ interrogationis indigent, non proponuntur ſeparatim & proprie ab eo, qui quæſtionem ponit: ſed is immiſcet diuerſa ſubiecta, & quaſi de uno interroget, fallit eum, qui reſpondet, cum ipſe quoque tanquam de uno ſubiecto reſpondet. ut ex hac captione intelligi poteſt. quidam Socratem & Platonem ferit: Socrates & Plato homo eſt, quidam igitur hominem, & non homines ferit. neſcio quid tale commiſit Polus in Gorgia, qui multa pro uno Socratem interrogauit. interrogatio autem erat huiuſmodi, age dic Socrates, non'ne tibi uidetur rhetores æq; ac tyrannos facere omnia quæ uolunt, quæq; optima exiſtimant? hoc enim loco Polus multa pro uno interrogauit: quandoquidem aliud eſt uelle, aliud exiſtimare: quem quidem Socrates reiecit, ac reprehendit & quod multa rogata coniuncte proponeret, quaſi neſcius quid inter uoluntatem & exiſtimationem intereſſet; & quod unum rogatum faceret, tanquam uoluntas & exiſtimatio unum ſint. Ac nonnullas quidem inquit, interrogationes multas eſſe, facile eſt cernere. ita enim interrogandum erat, eſt ne terra mare? deinde, eſt ne cœlum mare? in quibuſdam autem inquit, difficilius eſt hoc perſpicere, ut in antedicta Poli interrogatione uidetur. Et quia non perſpicuum eſt, multas interrogationes eſſe, aut concedunt inquit, propterea quod ad rogatum non reſpondent, aut coargui uidentur, quod ait eſt huiuſmodi. ii quibus proponitur hæc interrogatio, aut non reſpondentes interrogationi, fatentur ſe'eſſe malos ſocios, quippe qui commune opus impediant, ut ſubaudiendum ſit hoc, eſſe malos ſocios: fatentur enim ſe eſſe malos ſocios, interrogationi nihil reſpondendo: uel ſi reſpondent, redargui uidentur. hoc etiam ita poteſt intelligi. qui interrogantur, uel nihil reſpondent, & ſilentio quodammodo concedunt (ſilentium enim indicat affirmationem & aſſenſionem) uel reſpondentes uidentur reprehendi. ſed de his hactenus. quod uero ait,

Propoſitis multis, quorum partim bona ſunt, partim non bona, ſint ne bona omnia, an non bona, eſt exemplum eius, qui multa pro uno proponit. dicendum enim erat, utrum temperantia eſt in bonis, an in malis? & utrum profuſio ſit in bonis, an in malis. at qui utrunque componit, & tanquam unum ſit, interrogat, non dubium eſt, quin eum qui reſpondet, decipiat, ſi modo is aut aiat, aut neget. qui enim rogatur, utrum temperantia & profuſio in bonis, an in malis ſint, aitq; eſſe in bonis, efficiet, ut profuſio quæ in bonis non eſt, in bonis numeretur: ſi neget, accidet iterum, ut temperantiam, quæ bona eſt, non eſſe bonam dicat. & ita uidetur quandoque fieri reprehenſio, ex eo ſolum, quod ait, uel negat quis in ea interrogatione, qua multa pro uno rogantur. dicere enim aliquid eorum, quæ non ſunt in bonis, bonum eſſe, uel eorum quæ in bonis ſunt, non bonum, falſum eſt. Interdum etiam aſſumptis quibuſdam erit uera reprehenſio, ut ſi quis rogarit, an quod in uno ualet, id etiam in multis ualet? quo dato, aſſumat, quoniam cæcum eſt id quod non habet aſpectum, & cui natura aptus eſt aſpectus, etiam cæca erunt ea, quæ aſpectum non habent, qui eis natura ſit aptus. itemq; ſi id candidum eſt, quod habet colorem, quo aſpectus diſſipatur, etiam candida erunt ea, quæ erunt prædita colore, quo aſpectus diſſipatur, is certe non unum rogatum propoſuit. nam quod dixit, an cæcum ſit id, quod non habet aſpectum, & cui natura aptus eſt aſpectus, & cæca eſſe ea, quæ carent ſenſu oculorum, qui eis natura ſit aptus, non eſt unum rogatum. quoniam enim & illud cæcum eſt, quod caret aſpectu, qui aptus eſt natura, cuiuſmodi eſt quod propter cæcitatem non deſpicit, & illud cui nondum aſpectus eſt aptus natura, cæcum dicitur, qualis eſt catulus, qui non proprie cæcus dicitur, quia nondum ei aptus eſt aſpectus natura; quinam fieri poterit, quin diuerſa proponat is, qui dicat, an ſi cæcum eſt id, quod non habet aſpectum, & cui natura aptus aſpectus eſt, etiam cæca erunt ea, quæ non habent aſpectum, qui eis natura ſit aptus? nam ſi quid eſt cæcum propter cæcitatem, id cæcum uere dicitur: alia uero, quibus nondum aptus natura eſt aſpectus, quæ nos abuſione quadam cæca appellamus, ueluti catulum eſſe dicimus cæcum, non uere dicuntur eſſe cæca. quare cum duæ interrogationes ſint, non eſt una ſolum adhibenda reſponſio. quod ſi quis falſus interrogatione, eam unam eſſe putet, & dicat, cæca eſſe, quando aliqui catuli uident, aliqui non (fieri enim non poteſt, ut cæci uideant) certe uel cæca, uel uidentia erunt omnia, qua nam enim ratione dicet ſophiſta contra eum, qui reſpondet,

alia uidere, alia non uidere? nam quoniam dixiſti cæca eſſe, quæ ſenſu oculorum carent, qui eis aptus eſt natura, profecto uel utrunque, uel neutrum aſpectum habeat neceſſe eſt. hæc fallax cenclusio non ſolum ex eo nata eſt, quod duæ interrogationes pro una ſunt poſitæ, ſed etiam propter prætermiſsionem propriæ, & ueræ reprehenſionis. in uera enim reprehenſione præter cætera dictum eſt, ſumendum eſſe eodem modo, & in eodem tempore; hoc eſt, ut rogatum non ſit eiuſmodi, ut is qui interrogat, ſumat pro poſitũ in alio tempore, & is qui reſpondet, in alio. id quod nunc uſu uenit. neque enim quicquid aptum eſt, aſpectum habere, & aſpectum non habet, cæcum eſt; ſed id denique cæcum eſt, quod caret ſenſu oculorum tum, cum ei natura aptus eſt.

OMNES quidam ratiocinationes ac reprehenſiones, quæ ueras fallaciter imitantur, aut in has, quas expoſuimus, formas tribuendæ ſunt, aut certe omnes ad reprehenſionis ignorationem redigendæ. nam, ut hinc potiſſimum exordiar, omnia genera, quæ expoſui, ſub definitionem reprehenſionis concludi licet. primum ſi nihil ualeant ad efficiendum aliquid, quod cum ex iis, quæ poſita ſunt, effici debeat concluſio, neceſſario etiam dici, non uideri dici debent omnia. deinde ex ſingulis etiam definitionis partibus id perſpici poteſt.

Cum dixerit eſſe duo fallacium concluſionum genera, quibus ſophiſtæ uidentur eos, qui contra diſputant, reprehendere, docueritq́; quot modi cuiuſque generis ſint, atque unum genus in uerbis, alterum in rebus ſpectari dixerit, expoſueritq́; ſex modos eius, quod in uerbis contingit, homonymiam, ambiguitatem, adiunctionem, diſtinctionem, accentum, & formam uerbi: eius uero generis, quod in rebus uſu uenit, ſeptem modos clarisſime propoſuerit, unum ex accidenti, alterum cum omnino, aut quadam ex parte, & non proprie partes dicuntur, tertium ex ratiocinationis ac reprehenſionis definitione, quartum ex eius, quod initio dictum eſt, repetitione, quintum a conſequentibus, ſextum cum id quod cauſa non eſt pro cauſa ponitur: ſeptimum cum duo rogata pro uno proponuntur: nunc air captioſas reprehenſiones aut in has, quæ expoſitæ ſunt, formas tribuendas eſſe, aut dicendum alias in uerbis, alias in rebus uerſari: & earum, quæ in uerbis, ſex eſſe genera; earum, quæ in rebus, ſeptem: uel omnes ratiocinationes & reprehenſiones quæ non proprie dicuntur, ſed has fallaciter imitantut, reuocandas eſſe ad reprehenſionis ignorationem. ac quo modo redigi poſſint, explanat: quin etiam ipſe omnes ad reprehenſionis ignorationem reuocat. Quoniam enim, ut dictum eſt, reprehenſio eſt unius & eiuſdem non, uerbi, ſed rei, & uerbi non ſynonymi, ſed unius & eiuſdem ſubiecti, ex iis quæ conceſſit is, qui reſpondet, non adiuncto eo, quod initio dictum eſt, & eadem ex parte, & in eadem re, eodemq́; modo, & eodem in tempore, certe qui hæc, aut horum aliquid ignorat, neceſſario in falſum incidet, & decipietur: quoniam inquam reprehenſio eſt ratiocinatio repugnantiæ, ratiocinatio uero ex iis, quæ poſita ſunt, efficitur, qui neſcit, quid ſit ratiocinatio, & concluſionem effici debere ex iis, quæ poſita & conceſſa ſunt, falletur ab eo, qui nihil ratiocinatione concludit, neque repugnantiam quæ uidetur, ex iis, quæ poſita ſunt, efficit. atque eæ quidem captiones non efficiunt repugnantiam ex iis quæ data ſunt, quæq; pro cauſa ponunt id, quod cauſa non eſt, quæq; petunt id quod initio dictum eſt, quæq; naſcuntur ex conſequentibus. Primum enim inquit, omnes captiones ad reprehenſionis ignorationem abſolute reuocabuntur, quæ nihil ualebunt ad efficiendum aliquid: & quæ non concludentur ex iis, quæ conceſſa ſunt, id quod ueræ ratiocinationis eſt proprium uel maxime: deinde eæ omnes ad partes definitionis reprehenſionis redigentur, & fallaciam aut ex prætermiſsione alicuius eorum quæ in reprehenſione ſunt, conſtare, aut ex homonymia, aut ex ambiguitate, aut ex alio quodam naſci oſtendetur.

EORVM enim captioſorum argumentorum, quæ in uerbis ſpectantur, alia ex eo, quod multis modis dicitur, ducuntur, ut homonymia, ut ambiguum, ut ſimilis forma: ſolent enim hoc uel illud ſignificare omnia; adiunctio uero & diſtinctio, & accentus, quod non ſit eadem oratio, aut nomen quod differat, atqui ut res eadem, ſic eadem oratio & uerbum debet eſſe, ſi futura ſit uera reprehenſio, aut ratiocinatio: ut ſi hoc concludendum eſt, ueſtem non eſſe tunicam, ſed ueſtem. quanquam enim id uerum eſt, non tamen eſt effectum, ſed præterea quæſtionem, an idem declaret, opus eſt ponere ei, qui cauſam requirat.

Docuit ſingulas captiones redigi ad reprehenſionis ignorationem, dixitq́; omnino uno genere captionum

ptionum contineri omnes falſas concluſiones, quod eæ ex iis quæ poſita ſunt, non concludantur: quod etiam in reprehenſionis definitione dictum eſt. nunc uero ait captiones naſci ex unaquaque parte reprehenſionis, ac primum omnium eam quæ ex homonymia ducitur, ait contingere ex eo, quod nomen & res unum & idem non ſunt: itemq; eam, quæ ex ambiguitate ſumitur, quas ipſe ſignificauit, cum ait, ut homonymia, ut ambiguum, ac perſpicuum quidem eſt; & has quas nunc dixi, & ſimilem formam, hoc eſt captionem, quæ a forma uerbi naſcitur, ex ignoratione reprehenſionis oriri: quando quidem ſtatutum eſt reprehenſionem eſſe unius & eiuſdem non nominis, ſed rei. quæ uero ex homonymia atque ambiguitate trahuntur, ex nominibus, aut orationibus non ſimplicibus, ſed quæ diuerſas res ſignificent, conſtant. itemq; ea, quæ ex forma uerbi euenit. diſcere enim duo ſignificat, & homonymum eſt. oratio quoque ambigua, hæc, quod quis uidet, id uidet, duo declarat, & eum qui uidet, & id quod uidetur. &, agere in diſciplina, duo ſignificat, ut ante dictum eſt, affectionem enim & actionem declarat, quod eſt proprium eius ratiocinationis, quæ ex forma orationis fit. eſt autem perſpicuum has tres captiones ad reprehenſionis ignorationem reuocari, propterea quod non ſunt unius & eiuſdem rei. præſertim cum is qui ratiocinationem & captionem facturus eſſe, unam & eandem rem ſumere debeat. quod uero ait,

Solent enim hoc, uel illud ſignificare omnia: uidetur de ambiguitate dictum eſt, & non de captione quæ oritur ex forma uerbi, quam hoc loco ſimilem formam, ut dixi, nominat. hoc enim σιγῶντα dicere, ſolet non ſolum ſignificare eum, qui ſilet, ſed etiam ea quæ ſilent: & ὁρῶντα eum qui uidet, & ea quæ uident. quæ ſane uerba ipſe addidit, ut nobis in memoriam redigeret ea, quæ ante dixit, cum diceret, eſſe etiam genus eorum ſophiſmatum, quæ ex homonymia & ambiguitate ſunt, cum ſoliti ſumus ita dicere. Iam uero captio ea, quæ coniunctione & diſtinctione efficitur, ad reprehenſionis ignorationem redigetur. in uera enim reprehenſione debet idem declarari & cum, & ſine adiunctione. quod in adiunctione, & diſtinctione uſu uenit. uerum aliud ſignificatur a nominibus aut uerbis diſtinctis, aliud a coniunctis: literæ enim per ſe, & ſcire per ſe, non idem ſignificant quod faciunt coniuncta hoc modo, ſcire literas. itemq; Socrates ſedet, qui ſedet poteſt ambulare, Socrates igitur ambulat: non idem, ut dixi, ſignificat. quæ cum dicta ſint, cauſam affert, quam ob rem huiuſmodi captiones ad reprehenſionis ignorationem reuocentur. ea eſt, quod oratio homonyma non idem ſignificat, quod ambigua. quod etiam de adiunctione, & diſtinctione eſſe dictum, intelligi poteſt, quod eæ ad reprehenſionis ignorationem redigantur, quia non idem ſignificent. nam ambulare, & ambulare poteſt, & οὗ id eſt, quod diſſoluis, & οὐ id eſt, non diſſoluis, non idem declarant. neque enim idem ualet oratio ambigua, quod nomen quod differt. quod quidem eſſe deberet, hoc eſt, nomen deberet eſſe huiuſmodi, ut diuerſas res non declararet. quemadmodum enim res una & eadem eſſe debet, ſi futura ſit reprehenſio, ita quoque nomen multa ſignificare non debet. ut enim non fit reprehenſio ſi is, qui reſpondet, aliam rem affirmet, & de alia repugnantiam concludat is, qui interrogat, ita ſi res una ſit illa quidem, ſed multis nominibus appelletur, neque ex eodem nomine, quod reſpondens affirmarit, repugnantiam concludat is, qui ponit quæſtionem, non fieri uidetur uera reprehenſio: ſed quærendum præterea eſt, an hoc idem quod illud ſit: ueluti ſi quis ita concludat: utrum Scythæ & alii item homines uident ea quæ uidere poſſunt, an quæ non poſſunt? nimirum quæ poſſunt: num tu quoque & ego? certe: uides'ne ueſtes noſtras? etiam: igitur noſtræ ueſtes uidere poſſunt: uident igitur tunicæ noſtræ: ſed non uident etiam. in quo licet idem ſit ueſtis quod tunica, tamen quia multi ex auditoribus animi pendent, oratio ipſa interrogationis indiget, an ueſtis idem, quod tunica ſit. quibus quidem fit rebus, ut quemadmodum res una & eadem eſſe debet, ſi futura ſit reprehenſio, ita quoque nomen unum & idem eſſe: & ſi tunica propoſita ſit, non concludenda erit ueſtis. enimuero ratiocinatio uera eſt ea, quæ pro tunica ueſtem concludit: uerum quia aliquis ignorat idem eſſe ueſtem, quod tunicam, non iniuria turbabitur, & mouebitur, & ob id cauſam requiret. quã ob rem ait, eum qui ita ratiocinatur, non concludere.

QVAE autem ex accidenti ſumuntur, definita ratiocinatione perſpici poſſunt: quandoquidem reprehenſionis etiam eadem debet eſſe definitio, niſi quod contrariæ orationis nomen adiungendum eſt. eſt enim reprehenſio enunciationis contrariæ concluſio. quod ſi accidens non concluditur, non reprehendetur. non enim ſi his poſitis aliud effici neceſſe eſt, hoc autem album eſt, neceſſe eſt illud eſſe album ex concluſione. nec ſi triangulum duobus rectis pares habet angulos, ei autem accidit, ut forma ſit, ut primum, aut principium, efficitur, ut forma, aut principium, aut primum ſit, non enim quia forma ſit, aut principium, aut primum, ſed quia triangulum, neceſſaria fuit concluſio. eadem eſt ratio cæterorum. ſi igitur reprehenſio quæ

dam ratiocinatio eſt, nunquam certe reprehenſio ualebit, quæ ex accidenti ducetur. quin etiam ex eo artifices ac docti ab inſciis coarguuntur, propterea quod ad doctos ratiocinationes ex accidenti adhibent. at ij quoniam non poſſunt explicare, aut rogati concedunt, aut etiam ſi non dent, tamen ſe dediſſe putant.

In iis quæ ſupra dixit, captiones eas, quæ in uerbo ſpectantur, ad reprehenſionis ignorationem redegit: nunc primum genus earum, quæ ſunt in rebus, quod ex accidente ducitur, ad ipſam reprehenſionis ignorationem reuocari docet: & ait perſpici poſſe ex definitione ratiocinationis captiones rerum ad reprehenſionis ignorationem adduci; atque ex definitione ratiocinationis has captiones reuocari ad ignorationem reprehenſionis ipſa definitione ratiocinationis confirmat. ſi enim ratiocinatio eſt oratio, in qua poſitis quibuſdam aliud quid, quam quæ poſita ſunt, efficitur; in accidente autem ex iis, quæ poſita ſunt, aliquid diuerſum non concluditur, certe patet eam, quæ ex accidente oritur, non eſſe ratiocinationem: ita ne reprehenſionem quidem. ex quo perſpicuum eſt, hanc etiam captionem ad reprehenſionis ignorationem redigi. ſiquidem qui ita reprehendere uidetur, quomodo reprehendendum ſit, ignorat. Inter ratiocinationem & reprehenſionem hoc intereſt, quod in definienda reprehenſione addendum eſt nomen contrariæ orationis, quandoquidem reprehenſio eſt ratiocinatio cum oratione contraria concluſionis. nam ſi quis per medium animalis concludat hominem de nullo lapide dici hoc modo, animal de omni homine, animal de nullo lapide; occurratq́; aliquis, & aiat, non ita eſſe concludendum, ſed hominem de aliquo dici, quod ſi ponatur, addaturq́; alia propoſitio, quæ animal a lapide remoueat, in tertia figura fiet ratiocinatio, qua animal de non omni homine dici concludetur: quod falſum eſt: quoniam animal omni homini conuenit; & ita fiet reprehenſionis ratiocinatio, quæ cõtrariam orationem ſuperioris concluſionis habebit, ea igitur eſt uera reprehenſio, in qua oratio contraria concluſionis aſſumitur: quæ uero ex accidente fit, non eſt reprehenſio. qua de re fiet in ſecunda figura ſyllogiſmus. ac reprehenſionem quidem eſſe ratiocinationem repugnantiæ & dictum & probatum eſt nobis. Iam uero & de aliis nonnullis, & de hac ipſa reprehenſione in ſecundo priorum analyticorum uolumine diſſeruiſſe Ariſtotelem, & nos etiam ea explanauiſſe, iis interpretationibus, quas in illum librum conſcripſimus, intelligere poterunt ii, in quorum manus noſtri illi commentarii incident, in quibus præter cætera, eam quæ ex accidente ſumitur, propterea quod ex iis, quæ poſita ſunt aliquid diuerſum ab iis quæ ſunt poſita non concludit, non eſſe ratiocinationem demonſtrauimus: conſtat enim inter omnes, in ea non ſeruari definitionem ratiocinationis. nam ſi quis dicat hominem eſſe muſicum, & muſicum accidens, hominemq́; eſſe accidens ſubſtantiamq́; eſſe qualitatem concludat, certe is longe a uia & ratione efficiendæ ratiocinationis abhorrebit. quod ait,

Non enim ſi his poſitis hoc effici neceſſe eſt: eſt cauſa, qua confirmatur, ratiocinationem, quæ ex accidente eſt, non eſſe ratiocinationem. poſitis enim quibuſdam per uiam ratiocinatiuam, etiam id quod cõcluditur per eandem ipſam uiam ratiocinatiuum eſt. quod ſi termini ſtatuantur, non ut ars iubet, ſed aliter atque aliter adhibeantur, ne ita quidem concluſio ex arte efficietur, ut in exemplo allato perſpici licet: in quo facta obſcura oratio eſt, quia minor terminus eſt omiſſus. Et ſi id quod ait, hoc aliquid, non omnino intelligi poteſt de compoſito, ut ſit de ſola ſubſtantia dictum, quod ſubſtantia omnis hoc aliquid ſignificare uideatur; reſtituendus eris hic locus hoc modo: Non enim ſi his poſitis, hoc aliquid effici neceſſe eſt: hoc eſt, non enim ſi cum Socrates ſit, album eſt, album eſt color aſpectum diſſipans (pro colore enim album ſumptum eſt) neceſſe eſt, Socratem eſſe colorem, quo aſpectus diſſipatur ex eo, quod adiuncta ſit falſa ratiocinatio. id quod ipſe declarat illo uerbo, ex ratiocinatione, quod addit. Vel quod ait, ex ratiocinatione, intelligendum eſt, quaſi dicat, ex ea argumentatione, quæ uidetur eſſe ratiocinatio, ſed non eſt: propterea quod id, quod ex accidente concluditur, falſum ſit; neque enim ea ratiocinatio eſt, cum medius terminus in utriſque propoſitionibus non ſumatur: quanquam hæc etiam indoctis uidetur eſſe ratiocinatio. aliter enim ſumptum eſt album in minore propoſitione, qua dicitur, Socrates albus eſt, & aliter in maiore: in minore enim ſumptum eſt compoſitum, hoc eſt ipſa ſubſtantia cum qualitate coniuncta, in maiore uero ipſa ſola qualitas, uerum non oportet ita reprehendere ratiocinationem aliter, atque aliter factam: ſed uitio uertere, quod idem terminus in utriſque propoſitionibus ſimiliter ſumptus ſit. atque ego quidem hoc ſophiſma ex Phædro huc fuiſſe translatum puto, quo in loco Socrates ait ſe in canendo eſſe olori conſimilem: ut ratiocinatio in ſecunda figura ex duabus affirmatiuis particularibus efficiatur hoc modo: Socrates eſt albus, olor eſt albus, Socrates igitur eſt olor. perinde ac idem ualeat hoc, id autem eſt album, quod hoc, id autem album eſt olor, ſumendusq́; eſt olor pro eo, quod album eſt. quod uero ait,

Nec ſi triangulum duobus rectis pares habet angulos &c, confirmat etiam ex accidenti non effici ratiocinationem. quod ait, eſt huiuſmodi. neque enim ſi triangulum habet angulos duobus rectis pares, ei autem accidit, ut forma ſit, iam id formam eſſe, hoc eſt, id habere angulos duobus rectis pares, con-

uenict

ueniet omni formæ. id autem ſignificat, quod ait, quia forma ſit. uel ita accipi poteſt: neque enim ſi triangulum habet angulos duobus rectis pares, ei autem accidit, ut forma ſit, quia forma eſt, quia triangulum eſt forma, iam conueniet omni formæ, habere tres angulos duobus rectis pares: propterea quod id non oſtendimus, quia forma ſit, ſed quia triangulum. Captio ipſa in tertia figura ad hunc modum fiet: triangulum eſt forma, triangulum tres angulos duobus rectis pares habet: ergo forma habet tres angulos duobus rectis pares: quocirca quadratum quia forma eſt, eiuſmodi etiam angulos habebit: quod eſt perabſurdum. neque enim octogonum eſt tale, ſed nec etiam aliæ figuræ: neque item circulus ita eſt. Quinetiam ratiocinatio qua per medium trianguli concluditur principium & primum habere angulos duobus rectis pares, in tertia figura conficitur hoc modo: non'ne eſt triangulum, quod habet angulos duobus rectis pares? ei autem accidit, ut forma ſit, aut primum, aut principium, quia hoc, id eſt triangulum, eſt forma, aut primum, aut principium, iam forma omnis tres angulos duobus rectis pares habebit. neque enim demonſtratio fit tanquam de forma, ſed tanquam de triangulo habeatur oratio: neque etiam tanquam de primo, aut principio. hæc quoque captio eſt antedictis ſimilis, canis tuus eſt, hic pater eſt, canis igitur pater tuus eſt. eadem eſt ratio cæterarum fallaciarum, quæ ex accidente naſcuntur: id enim deeſt in ipſo contextu uerborum Ariſtotelis. quare ſi reprehenſio eſt ratiocinatio quædam, eaq; quæ ex accidente eſt, non eſt ratiocinatio, neque igitur eſt reprehenſio. Ex ignoratione enim ueræ reprehenſionis artifices atque adeo ipſi docti in ſingulis rebus ab inſciis, hoc eſt a ſophiſtis reprehendi uidentur. hoc enim eſt quod ipſe ait, coarguuntur. quiſque enim doctus ſi ignoret, quid ſit reprehenſio, decipietur in iis ipſis, quibus erit doctus, ab eo qui indoctus ſit, qui quidem ſophiſta nominatur: ut qui eruditus eſt muſicis, ut mathematicis, cum ignoret ratiocinationem aut reprehenſionem ex accidenti ductam, circunuenietur: ſiquidem inſcii ad doctos ratiocinationes ex accidenti adhibent. quod ſi docti non poſſint explicare, quales ſint ratiocinationes quæ per ſe, & quales ex accidenti fiant, reſpondentes concedunt rogata, & coarguuntur: uel non concedunt illi quidem, ſed ſilent, & ita ii, qui audiunt, putant eos rogatum concedere, præſertim cum ſilentium aſſenſionem ſignificare uideatur.

QVÆ uero ex eo, quod ex parte & in totum dicitur, ſumuntur argumenta, intelligi poſſunt, quod non in eodem, in quo affirmatio, etiam negatio dicitur. cum enim rei, quæ quadam ex parte alba eſt, illa quæ aliqua ex parte non eſt alba, & eius quæ omnino eſt alba, illa quæ omnino non eſt alba, negatio ſit, ſi quis det aliquid eſſe quadam ex parte album, & omnino id album eſſe alter accipiat, eius profecto nulla erit reprehenſio, etiam ſi ignoratione naturæ reprehenſionis eſſe uideatur. facillime autem ex omnibus, quæ ſupra ſunt expoſita, ea quæ ex reprehenſionis definitione ſumuntur, intelligi poſſunt. itaque hoc nomen habuerunt.

Secundum genus captionum earum, quæ in rebus ſpectantur, eſt, ut antedictum eſt, quod ſumitur ex eo, quod in parte & omnino dicitur. quod quidem exiſtere ex reprehenſionis ignoratione, nemini dubium eſt. eſt enim, ut ſæpe iam dictum eſt, reprehenſio, cum ex iis quæ concedit is qui reſpondet, fit ut illud negetur quod affirmauerit: in hoc uero non ita ſe res habet. neque enim ſi is qui reſpondet, concedit Aethiopem quadam ex parte candidum eſſe, isq; qui interrogat, oſtendit eum toto corpore nigrum eſſe, ad repugnantiam compellit eum, qui cum diſſerit. uerum hæc declarauimus ſupra, cum hunc locum explanaremus. & omnes quidem inquit, captiones ad reprehenſionis ignorationem reuocabuntur: quarum omnium facillime redigentur eæ, quæ in uerbis ſpectantur. itaque hoc nomen inuenerunt. quaſi uerba in cauſa ſint, cur captiones efficiantur.

PRÆTERMISSIONE autem orationis uidentur eſſe, quæ non uere dicuntur reprehenſiones. quæ ſi in has partes diſtribuantur, in omnibus hæc ipſa orationis prætermiſſio communiter adhibenda erit.

Quod ait ex prætermiſſione orationis eſſe captiones, quæ non uere dicuntur, uel generatim dictum eſt, pro eo, quod eſt, uideri reprehendere, & fallere; ut ſignificet quamcunque captionem, & quamcunque cogitationem captionis oriri ex prætermiſſione orationis, hoc eſt definitionis reprehenſionis, uel dicit orationis pro eo quod eſt ſyllogiſmi, ex quo fit propria, & uera reprehenſio. cum. n. in prædicta definitione nihil deeſt, uera reprehenſio cõficitur; at cum quid deeſt, ueræ ſimulacrum, & imago quædam.

EA AVTEM quæ ex aſſumptione eius, quod initio dictum eſt, eueniunt, & quod id pro cauſa ponitur, quod cauſa non eſt, definitione reprehenſionis explicantur: præſertim cum ob eam cauſam, quia aliqua poſita ſunt, effici concluſio debeat: quod in his, quæ non ſunt cauſæ, non contingit, & tum ſequi etiam debeat, cum id, quod initio dictum eſt, non enumeratur. quam uim non habent eæ captiones, quæ ſunt ex eius, quod initio dictum eſt, repetitione.

Hæc Ariſtotelis uerba ualde clara ſunt, & illuſtria, nihilq; explanatione indigent. declarant enim hæc duo genera captionum & quod ex eius quod initio dictum eſt aſſumptione, & quod ex eo quod pro cauſa ponitur quod cauſa non eſt, oritur, redigi ad reprehenſionis ignorationem: idq; perſpicuum eſſe ex definitione reprehenſionis. nam quoniam ut ſæpiſſime dixi, reprehenſio eſt ratiocinatio, atque in ratiocinatione poni non debet id quod initio dictum eſt, & quæ poſita ſunt, debent eſſe cauſæ concluſionis, certe is, qui petit id, quod principio propoſitum eſt, quique pro cauſa ſumit id, quod cauſa non eſt, non facit ratiocinationem: ſi non facit ratiocinationem, nec etiam reprehendit. atque hæ ſunt captiones, quæ in rebus eueniunt: quarum quartum genus eſt, cum petitur id, quod initio dictum eſt. ſextum in quo pro cauſa id ponitur, quod cauſa non eſt.

QVAE autem ſunt ex conſequentibus, accidentis partes ſunt: quod enim conſequens eſt, id accidit: ſed ab accidenti differt, quod accidens in uno ſolo intelligi licet, uelut quod flauum eſt, idem eſt quod mel: & quod album eſt, idem quod cygnus: at quod eſt ex conſequente, ſemper in pluribus cernitur. quæ enim res idem ſunt quod una & eadem aliqua, eſſe eaſdem inter ſe æquum cenſemus. ex quo conſequentis naſcitur reprehenſio. nec uero id omni ex parte uere dicitur, ut ſi quid album ſit ex accidenti, nix enim & cygnus idem ſunt quod album, niſi forte id in Meliſſi argumentatione perſpicitur, in qua ſumit, natum eſſe idem ualere, quod principium habere: aut paria fieri idem eſſe, quod eandem accipere magnitudinem. nam quoniam quod natum eſt, principium habet, icirco id etiam quod habet principium, uult natum eſſe, quaſi hæc duo idem declarent, propterea quod initium habeat & quod natum eſt, & quod finitum. quod idem in iis, quæ paria ſunt, contingit. ſi ea quæ unam & eandem magnitudinem ſumunt, paria ſunt, ea etiam, quæ paria fiunt, eandem accipiunt magnitudinem. ita ſumit id, quod eſt conſequens. quando igitur reprehenſio ea, quæ eſt ex accidente, in reprehenſionis ignoratione conſiſtit, profecto etiam ea, quæ eſt ex conſequentibus. ſed hoc genus alias tractabimus accuratius.

Captio quæ ex conſequentibus ducitur, eſt quintum genus fallacium argumentorum, quæ in rebus eueniunt. hanc ratiocinatione quadam ad reprehenſionis ignorationem hoc modo redigit Ariſtoteles. Captiones, quæ ex conſequentibus fiunt, ſunt partes accidentis. captiones quæ ab accidente ducuntur, reducuntur ad reprehenſionis ignorationem, ergo quæ ex conſequentibus, ad reprehenſionis ignorationem rediguntur. nam flauum, mel conſequi, & madidam eſſe humum, cum pluit in terris, accidir, alterum melli, terræ alterum. eſt autem perſpicuum argumenta, quæ ducuntur ex conſequentibus, eſſe partes accidentis. eſtq; eorum plana & aperta differentia. differunt autem reprehenſiones a conſequentibus ductæ ab iis, quæ ex accidentibus trahuntur, quod eæ, quæ ex accidente trahuntur, ab uno ſolo eliciuntur, hoc eſt ſemel, & non reciprocantur. dicit autem in uno ſolo intelligi, pro eo quod eſt, non reciprocari. ut ex hoc cognoſci poteſt. mel eſt flauum, flauum eſt color, color eſt qualitas, mel igitur eſt qualitas. quare hæc uerba uel id quod dixi, ſignificant, uel aliquid huiuſmodi. ſophiſta autem ſumit accidens & ſubiectum tanquam unum, & idem; & unam utriuſque naturam putat. cum enim inquit mel & fuluum idem ſint, fuluum autem color eſt, mel igitur eſt color. itemq; quoniam quod album eſt, cygnus eſt, cygnusq; eſt ſubſtantia, etiam album erit ſubſtantia. uel ita, quod ego ſum, tu non es: ego homo ſum, tu igitur homo non es. ita quæ ex accidente ducuntur, ex uno ſolo ſumi poſſunt. quæ uero ex conſequentibus, ſemper in pluribus cernuntur, hoc eſt, ſemper reciprocantur: ut ſi fur noctu uagatur,

gatur, etiam qui noctu uagatur, fur eſt: & ſi quis occupaturus tyrannidem arma parat, etiam arma parans tyrannus eſt futurus; ac Socrates quidem noctu errat, Periclesq; arma parat, ergo Socrates fur eſt, & Pericles tyrannidem occupabit. quare cum terminos conuertemus, ut factum eſt in iis, quos modo propoſui, & poſt reciprocationem terminum aſſumpſerimus, tum ea fallax concluſio ex conſequentibus eſſe dicetur. cum uero non conuerterimus, ſed ſimulatq; propoſitionem ſumpſerimus, aliam propoſitionem adiungamus hoc modo, mel eſt flauum, flauum eſt color, fit fallax concluſio ex accidenti: quare quæ ſunt ex conſequentibus, accidentis partes ſunt. quæ autem ſumuntur ex accidente, diſtribuūtur in eas, quæ ſumunt terminos, qui reciprocentur, & in eas, quæ non ita terminos ſumunt. ſed quæreret aliquis quam ob rem non dixerit, eas quæ ſunt ex conſequentibus, ſemper in reciprocatione, & non ſemper in pluribus cerni. an quia aliud eſt, ſi dicatur, cygnus eſt id, quod album eſt, & aliud, ſi dicatur, quod album eſt, cygnus eſt. illo enim modo cygnus ſubiicitur, & album prædicatur, hoc autem, ſubiicitur album, & cygnus prædicatur. quare captiones quæ ex conſequentibus ſunt, huiuſmodi ſunt, hoc eſt conſtant ex terminis, qui reciprocantur: & alium terminum aſſumunt, itaq; perficiuntur. ſed uideamus ipſum Ariſtotelis exemplum, quod ſupponit. nam ſi nix & cygnus idem ſunt quod album (utrunque enim album eſt) niuem etiam eſſe cygnum putant. ea enim opinione ducti, ut quoniam nix alba eſt, & album eſſe nix reciprocando affirmatur, (eſt autem cygnus etiam albus) cygnum eſſe niuem ſuſpicantur: & ex eo naſcitur conſequentis reprehenſio. uerum id non eſt neceſſe, quia cygnus ex accidenti albus eſt. huiuſmodi etiam eſt Meliſſi argumentatio, quemadmodum ſupra docuimus. ſumit enim, quod natum eſt, habere principium, quod ipſe ratus reciprocari, concluſit hoc modo; ſi quod natum eſt, principium habet, etiam quod principium habet, natum eſt. quare ſi quid natum non eſt, ne principium quidem habet: quod principium non habet, id infinitum eſt: ita quod non eſt natum, infinitum eſt. ens autem non eſt natum: ergo ens infinitum eſt. ſed hactenus de his.

Aut paria fieri idem eſſe, quod eandem accipere magnitudinem. hoc eſſe ex conſequenti perſpicuum eſt. fallax hæc concluſio efficitur hoc modo. ſi quæ unam & eandem magnitudinem ſumunt, paria ſunt ea etiam quæ paria fiunt, unam & eandem accipiunt magnitudinem, Socrates & Theætetus paria ſunt, Socrates igitur & Theætetus una & eadem magnitudo ſunt, ſed idem non ſunt. quænam erunt ea, quæ, unam & eandem magnitudinem capient? an multa nomina idem ſignificantia. quam enim magnitudinem ſumit homo, eandem etiam capit mortalis: & quam indumentum, eam etiam ueſtimentum. quam ob rem quæ eandem capiunt magnitudinem, paria quoque fiunt neceſſario. non tamen quæ paria ſunt facta, eandem magnitudinem ſumunt; quandoquidem non eadem magnitudo eſt Socratis, quæ Theæteti, licet æquales ſint, ſed diuerſa alia ab alia.

Quod idem inquit, in iis quæ paria fiunt contingit. Hæc uitioſa concluſio fit ipſa quoque ex conſequentibus. quæ enim eandem accipiunt magnitudinem, paria fieri uerum eſt: ſed tamen quæ paria fiunt, non eandem magnitudinem ſumunt. captio oritur, quod una & eadem magnitudo eſſe eadem definitione dicitur. Socrates enim & Plato, ſi contingat, ut ambo ſint trium cubitorum, cum unam, & eandem habeant magnitudinem, æquales ſunt: ſiquidem utriuſque magnitudo eſt eiuſdem quantitatis: & tamen pares atque æquales facti, non ſunt eadem prædici magnitudine. neque enim hi, pares cum ſunt, habent eandem numero magnitudinem. alia enim eſt magnitudo quæ in Socrate eſt, & alia quæ in Thæteto cernitur. Ibi autem ſumitur, ut diximus, idem ſpecie, & definitione, hoc uero loco, idem numero.

Sed hoc genus inquit, alias tractabimus accuratius. ipſe ratiocinatione concluſit, captionem eam, quæ oritur ex conſequentibus, ad reprehenſionis ignorationem reuocari. Tractabimus inquit, atque explanabimus, an alia ratione probetur, hanc captionem redigi ad reprehenſionis ignorationem; & an confirmari id poſſit ex alterius, & alterius medii ſumptione: an ex aliquo alio eorum quæ in definitione reprehenſionis enumerauimus.

REPREHENSIONES autem, quæ ex eo oriuntur, quod ex multis una fit interrogatio, ob eam cauſam eueniunt, quod definitionem propoſitionis non explicamus, aut partimur. propoſitio enim unum de uno enunciat: quoniam unius ſolius rei, & omnino rei una definitio eſt, ut hominis, & unius ſolius hominis, cæterarumq; rerum omnium. quod ſi una ſola propoſitio unum de uno dicit, omnino & propoſitio erit, quæ ex hoc genere eſt interrogatio. cumq; ex propoſitionibus ratiocinatio conſtet, reprehenſio autem ſit ratiocinatio, reprehenſio etiam erit ex propoſitionibus. ſi igitur unum aliquid de uno enunciat propoſitio, certe ex ignoratione reprehenſionis hæc quoque, quam tractamus, naſcatur neceſſe eſt: quip-

pe cum ea, quæ nec uere dicitur, propoſitionis ſpeciem præ ſe ferre uideatur. quod ſi quis det reſponſum, quaſi ſit una interrogatio. reprehenſioni locus relinquetur: ſin ſecus, ſed uidetur dediſſe, falſa erit reprehenſio. quare hoc quidem confectum eſt, omnia hæc genera in reprehenſionis ignorationem cadere: ita tamen, ut ea, quæ in oratione cernuntur, ob eam cauſam referantur, quod quædam repugnantiæ ſpecies in eis exiſtat: quod reprehenſionis eſt proprium, cætera ex ratiocinationis definitione.

Septimum genus fallacium concluſionum, quæ in rebus eueniunt, ex eo, quod ex multis una fit interrogatio, ad reprehenſionis ignorationem redigi, perſpicuum eſt. quoniam enim, ut ſæpe dictum eſt, reprehenſio eſt ratiocinatio repugnantiæ, in ratiocinationeq́; debet eſſe unum quod ſubiicitur, unumq́; quod prædicatur, in ea uero interrogatione, in qua multa quæruntur, non ita eſt, certe patet eam non eſſe ratiocinationem, hæc igitur captio, ut inquit, oritur ex eo, quod is, qui reſpondet, non explicat quæ ſit uis, & natura propoſitionis: hoc eſt, quia ueram propoſitionem a falſa diſtinguere non poteſt, ob eam rem decipitur. eſt enim propoſitio in qua unum de uno ſubiecto prædicatur. at ea, quam ſophiſtes adhibet, cum multa de uno enunciet, propoſitio non eſt. quod autem addit,

Quoniam unius ſolius rei, & omnino rei una definitio eſt. ſignificat ſubiectum, & prædicatum unum eſſe debere, itemq́; eandem utriuſque definitionem. uel potius ita intelligendum eſt, ut dicatur, definitionem unius ſolius eſſe, hoc eſt, prædicatum debere eſſe unum ſolum, &, ut uno uerbo complectar, etiam eſſe ſubiecti. res enim, ut dixi perſæpe, ſubiectum appellatur. quod uero ſubiungit,

Vt hominis, & unius ſolius hominis. poſuit hominem pro exemplo prædicati, & ſubiecti: ut cum dicit hominis, dicat prædicatum: cum uero unius & ſolius addit, ſubiectum explicet. Si enim homo prædicatur de uno ſolo Socrate, non de Socrate, & Platone, & Alcibiade dicetur. ſed minus proprie hoc exemplo uſus eſt. cætera uero quam clariſſime proponit. quanquam quod ait,

Si igitur unum aliquid de uno enunciat propoſitio, certe ex ignoratione reprehenſionis hæc quoque, quam tractamus, naſcatur, neceſſe eſt. illud uerbum, hæc, ſignificat captionem, quæ ex eo oritur, quod ex multis una fit interrogatio. quod ſi, inquit, is qui rogatur, conceſſerit, quaſi una ſit interrogatio, fiet reprehenſio. quanquam ne ea quidem uera reprehenſio futura eſt, niſi quod non adhibens mentem ad rogata, conceſſit, quaſi una ſola interrogatio ei ſit facta, & ita reprehenſus eſſe dicitur. quod ſi non dedit, ſed uideatur dediſſe, (hoc autem ſubaudiendum eſt) falſa erit reprehenſio. ſed quando uſu uenit, ut non dederit, & dediſſe uideatur? an cum reſpondet, fortaſſe, aut quodammodo, aut eſto? ut ſi quis quærat, an qui hunc, & hunc ferit, hominem ferit? is uero, qui reſpondet, ait, fortaſſe, aut quodam modo, aut eſto. ex ea oratione dediſſe uidebitur, non dedit tamen. in quo quidem genere reſpondendi uerſari uidentur Protagoras, Thraſimachus, & alii quamplurimi. hæc enim uerba, fortaſſis, eſto, & alia eiuſdem generis non uidentur eſſe eorum, qui concedunt, ſed potius eorum, qui interrogationi non aſſentiuntur. forte fortuna autem nihil reſpondentes, ſed tacentes uidentur dediſſe, & propterea reprehendi: ſed non uere, & proprie reprehenduntur.

Quare inquit, hoc quidem confectum eſt, omnia hæc genera in reprehenſionis ignorationem cadere. Cum inductione oſtenderit, omnia genera cadere in reprehenſionis ignorationem, eiuſdem quoque rei mentionem facit: & quomodo decem & tria genera ad reprehenſionis ignorationem referantur, nobis perſpicue declarat. atque ea quidem, quæ in uerbis ſpectantur, ait reuocari ad ignorationem reprehenſionis, propterea quod non ueram repugnantiam, quod reprehenſionis eſt proprium, ſed falſam concludant. Neque enim eſt proprium ueræ reprehenſionis falſam repugnantiam inducere, ſed ueræ reprehenſionis ueram; fallacis uero, falſam. nam ſi is qui reſpondet, concedat σιγῶντα non dicere, ſophiſtes non concludit, σιγῶντα, dicere, ſed nos poſſe dicere ea, quæ ſilentur. ita is qui reſpondet, non recte, ſed ex ignoratione reprehenſionis reprehenditur, ita captiones, quæ in rebus eueniunt, ad rep rehenſionis ignorationem rediguntur.

Cætera inquit ex ratiocinationis ignoratione. Cætera genera captionum, quæ in rebus cernuntur, ait referri ad reprehenſionis ignorationem ex definitione ratiocinationis. nam ſi ratiocinatio eſt oratio, in qua poſitis & conceſſis quibuſdam aliud quiddam diuerſum ab iis, quæ poſita ſunt, efficitur, quæ uero ex accidenti, ex conſequentibus, atque aliis ducuntur, non concluduntur ex iis, quæ conceſſa ſunt ab eo, qui reſpondet, certe patet, ea ipſa genera ad reprehenſionis ignorationem ex definitione ratiocinationis reduci. Et quod ait,

Ex ratiocinationis definitione, idem eſt, ac ſi diceret, captiones omnes, quæ in rebus ſpectantur, nihil ualere ad aliquid ratiocinatione concludendum.

CAPTIOSA autem ſunt ea, quæ ex homonymia, & oratione eueniunt,

niunt,

niunt, cum diſtinguere non poſſumus id, quod multis modis dicitur. quorundam enim non eſt facilis explicatio: cuius generis ſunt unum, id quod eſt, & idem, quæ autem ex coniunctione, & diſtinctione ducuntur, ea captioſa ſunt, quod nihil intereſſe putatur inter coniunctam, & diſtinctam uerbis orationem quod in pluribus cernere licet. ſimilis eſt eorum ratio, quæ ex accentu oriuntur. neque enim aliud contenta, aut remiſſa oratio declarare in uno uidetur, niſi quod in pluribus: quæ uero ex forma dicendi exiſtunt, captioſa ſunt propter ſimilitudinem orationis. Difficile eſt enim, quæ eodem modo, quæ alio dicantur, explicare: quandoquidem is demum proxime ad ueri cognitionem accedit, qui hoc ipſum præſtare poteſt. idemq́; annuere ſolet, quod in uno dicitur, id omne nos aliquid eſſe exiſtimare, & pro uno accipere ſolere, quod unum & ſubſtantiam hoc aliquid, & id quod eſt, ſequatur maxime. quocirca in iis, quæ in uerbis exiſtunt, hoc genus ponendum eſt. primum quod potius falli ſolent ij, qui inter ſe, quam qui per ſe diſputant. quæ enim cum alio inſtituitur diſputatio, in oratione, ea autem, quam ſecum, & per ſe quiſque meditatur, in ipſa potius re cernitur. deinde tum denique falli ſolent ij, qui ipſi per ſe de re aliqua conſiderant, cum tractationem ad orationem traducunt. tum autem ſimilitudine ueri fallimur, ſimilitudo autem ex uerbo naſcitur. quæ autem ſunt ex accidente, propterea ſunt fallaces concluſiones, quia quid idem ſit, quid aliud, quid unum, quid multa dijudicare non poſſumus, neque quibus uerbis, quæ de aliquo dicantur, nec cui rei hæc omnia conueniant, quod eodem modo de iis, quæ ſunt ex conſequentibus, iudicandum eſt. conſequens enim pars accidentis eſt. Iam uero in multis hoc perſpicitur, enunciaturq́; hoc modo: ſi hæc res ab illo non diuellitur, nec altera ab altera. quæ autem prætermiſſione definitionis, quæque illis duobus, dici aliqua ex parte, & omnino eueniunt, captiones ſunt, quod aut nulla, aut parua eorum uidetur diſtinctio. Quaſi enim nihil efficiat illud, quadam ex parte, aut omnino, aut quodam modo, aut nunc, ita omnino concedimus. ſimilis eſt ratio eorum, quæ id aſſumunt, quod initio dictum eſt: & in quibus ponitur pro cauſa id, quod cauſa non eſt: quæque plures interrogationes pro una faciunt. error enim in his omnibus uerſatur, quod parua diſtinctio uideatur. neque enim in his ſubtiliter, propter eam, quam dixi cauſam, propoſitionis, ratiocinationisq́; definitionem exquirimus.

Explicitis generibus fallaciarum, quibus ſophiſtæ utuntur, ut eos qui contra diſputant, circumueniant, dixeritq́; ea omnia dici poſſe, oriri ex reprehenſionis ignoratione; nunc quid cauſæ ſit, cur a ſophiſtis decipiamur, explanat. ait enim inſcitiam noſtram in cauſa eſſe. In homonymis autem, & ambiguis fit captioſum genus argumentationis (appellat enim orationem, ambigua) propterea quod diſtinguere non poſſumus, quot modis res dicatur. & cum interrogamur aliquid homonymum, aut ambiguum, id concedimus, perinde ac unum ſit, atque ita fallimur. in quibuſdam enim nec facile, nec cito cognoſcitur id, de quo quæritur multis modis dici: cuiuſmodi ſunt unum, id quod eſt, & idem. captiones autem, quæ ex coniunctione, & diſtinctione ducuntur, ob eam cauſam fiunt, quia neſcimus, orationem coniunctam & diſtinctam idem non ſignificare, ſed tum hoc, tum illud. nos uero coniunctam & diſtinctam uerbis orationem idem ſignificare arbitramur. quod in pluribus cernere licet. multa enim ſunt, in quibus idem coniuncta, quod diſtincta declarat oratio.

Similis inquit, eſt eorum ratio, quæ ex accentu oriuntur. ignorant enim ii qui reſpondent, aliud ſignificare orationem contentam, aliud remiſſam: hoc eſt acuto, aut circumflexo accentu notatam. in nullo enim, aut præſertim non in multis, ſed in paucis omnino idem ſignificare uidetur oratio contenta & remiſſa. [illegible] enim & [illegible] idem ſignificant, & utrunque eſt uiri proprium. [illegible] autem, id eſt planta, & [illegible], id eſt purus: itemq́; [illegible] hoc eſt onus, & [illegible] hoc eſt uelox, aliud & aliud ſignificant,

& ferme in omnibus id efficitur. quæ uero ex forma dictionis exiſtunt, eueniunt, quia difficile eſt quæ eodem modo, quæ alio dicantur, explicare. Hæc dixit philoſophus propter ea, quæ in eo quod proferuntur, actionem ſignificare uidentur, affectionem tamen declarant: cuius generis ſunt uidere, audire, diſcere. hæc enim agentia ſunt, & affectionem ſignificant, & ſophiſtes ea adhibet, quaſi patiantur, & is qui reſpondet, ea agentia eſſe putat, atque ita concedit: ex quo poſtea ſe circumuentum uidet. quod autem ait,

Quandoquidem is demum proxime ad ueri cognitionem accedit, ita eſt intelligendum. qui poteſt diſtinguere ea, quæ actionem, affectionemq́; ſignificant, is certe ſcit etiam, quæ diſtincta, quæ coniuncta aliud, atque aliud declarent, nec minus etiam in homonymis, ac ſynonymis, qui ſcit rogatum eſſe de numero eorum, quæ multis modis dicuntur, is certe quaſi omnia poſſit explicare, non facile decipietur: quique non fallitur, proxime ad uerum accedit.

Idemq́; inquit, maxime ſolet annuere. Cum locutus ſit de captione, quæ ex forma dicendi oritur, dixeritq́; in captionibus, quæ ex ea fiunt, cauſam cur decipiamur, eſſe, quod nos diſtinguere neſciamus quæ eodem, quæ alio modo dicantur: nunc de eadem etiam re differit. atq́; nos maxime decipi, quod propter ſimilitudinem orationis exiſtimemus idem eſſe uniuerſalem hominem, & ſingularem Socratem. quoniam enim & ille uniuerſalis homo dicitur, & hic ſingularis, propter ſimilem uerbi figuram decipimur. maxime autem adduci poteſt, aut perſuaderi, ut annuat, concedatq́; ſophiſtarum propoſitiones: quod etiam idem eſt, ac ſi dicas, maxime autem decipimur, quia cogitamus, quicquid de aliquo dicitur, hoc aliquid eſſe, unumq́;, & idem ſubiecto. id quod fit, quia homo cum prædicatum eſt, & particularis homo cum eſt ſubiectum, ſimili figura ſignificantur: quod minime uerum eſt: ut in categoriis eſt dictum. uni autem & primæ ſubſtantiæ hoc aliquid conuenit. indiuiduum autem & unum numero eſt id, quod declaratur: ſecundæ uero ſubſtantiæ uidentur illæ quidem quantum ad formam enunciandi pertinet, hoc aliquid ſignificare, ut cum dicas hominem, uel animal, ſed tamen hoc uerum non eſt: quandoquidem in ſecundis ſubſtantiis ſi quid ſignificatur, non eſt illud quidem hoc aliquid, ſed tale, uel tale: propterea quod qualitas ſubſtantiam determinat, ut in categoriis eſt dictum. undenam igitur oritur captio? an, ut ſupra quoque eſt dictum: an propter malam conſuetudinem, quæ etiam diſſimiles res ſimilibus uerborum formis ſolet explicare. cum enim quis dicit hominem, uidetur probabilem quandam opinionem facere, quod homo Socrati ſimilis eſt, & unus numero, quia unus eſt.

Vnum autem inquit, & ſubſtantiam hoc aliquid, & id quod eſt ſequuntur maxime. appellat unum & ſubſtantiam indiuiduas ſubſtantias, ut Socratem & Platonem & eiuſmodi. quemadmodum igitur in his, quia ſimili forma uerbi in ſingulari (Socrates enim homo eſt, & homo ſimiliter homo, & non homines in multitudine) quemadmodum inquam in his, quia ſimili forma uerbi res explicatur, efficere uidetur uniuerſalem hominem, ſimilem eſſe Socrati, & unum eſſe numero, ita efficitur etiam in aliis captionibus, quæ ſimilitudine dictionis eueniunt. Ego uero puto, non omnino in omnibus, quæ ex forma uerbi ducuntur, id eſſe dictum, ſed in illis ſolum, in quibus propter orationis ſimilitudinem uniuerſales ſubſtantias eſſe eiuſdem numeri, cuius ſingulares, concludere conantur. ideo dixit,

Quocirca in iis quæ ex uerbis exiſtunt, hoc genus ponendum eſt: quod uidelicet propter orationis ſimilitudinem uniuerſum & ſingulare idem eſſe concludit. quaſi dicat, non ſolum captiones, quas modo expoſuit, ſed etiam eas, quibus uniuerſa & ſingula eadem eſſe concluditur propter orationis ſimilitudinem, poni debere in iis quæ ex uerbis exiſtunt. quare cum dixerit, hoc genus ſtatuendum eſſe in iis, quæ in uerbis ſpectantur, eius rei cauſam attulit: atque unam quidem cauſam affert, qua docet potius falli, capiq́; ſolere eos, qui cum aliis diſputant, quod illi ad orationes, & uerba, non ad res interrogationes adhibent. id uero eſt huiuſmodi. Cum nobiſcum de re quadam exquirimus, non conſideramus orationem ipſam, & uerba, ſed rem: & propterea minus decipimur. ubi uero cum aliis, tum uerba, orationemq́; exquirimus, & ita fallimur. quod ideo euenit, quia is qui rogatur, reſpondet in alia nominis, orationiſq́; ſignificatione, isq́; qui rogat in alia ſumit. hanc igitur unam ob cauſam hoc genus, quo de agimus, in iis, quæ ex uerbis exiſtunt, ponendum eſt. atque etiam alia de cauſa ponendum eſt, quia error eius, qui uniuerſalem hominem idem eſſe, quod Socratem concludit, ex ſimilitudine naſcitur. ſimilitudo autem ex uerbis oritur. ex quo fit, ut iure hoc genus ad ea referendum ſit, quæ in uerbis cernuntur. Iam uero cum dixerit, minus falli nos, cum per nos, ac ſoli diſputamus, propterea quod diſputatio, & conſideratio noſtra non in oratione, atque uerbis, ſed in rebus uerſatur, addit etiam nihil prohibere, quin ſi nobiſcum ipſi diſputemus, in errorem incidamus, quod fiet ſi non ad rem, ſed ad orationem inſtitutum noſtrum traducamus.

Quæ autem inquit, ſunt ex accidente, propterea ſunt fallaces concluſiones, quia quid idem ſit, quid aliud, quid multa, diiudicare non poſſumus. Cum dixerit de fallacibus concluſionibus, quæ in uerbis ſpectantur, & cauſas attulerit, quam ob rem in ſingulis ſex generibus decipiamur, nunc aggreditur ad docendum, quomodo fallamur in iis ſeptem, quæ fiunt in rebus: & earum captionum, quæ ducuntur ex accidenti, cauſam eſſe ait, quia non poſſumus explicare, quid idem, quid alterum, quid

unum,

unum, quid multa ſint: de quibus in primo genere captionum, quæ in rebus eueniunt, dictum eſt a nobis. illud enim genus eſt ex accidente; & ibi docuimus, quomodo ſophiſtæ id quod aliud eſt, ab eo quod idem eſt, & multa pro uno concludere conentur. non ſunt autem eadem nobis de eadem re iteranda. quod autem ait,

Neque quibus uerbis quæ de aliquo dicantur, nec cui rei hæc omnia conueniant, ita accipiendum eſt, quaſi dicat, quibus uerbis quæ de aliquo dicantur, & quibus ſubiectis hæc omnia conueniant. ut ita intelligendum ſit, quod ait, Concluſiones, quæ ex accidente ſunt, fallaces ſunt, quia diſtinguere non poſſumus idem, alterum, unum, & multa: & quia non poſſumus diiudicare, quæ uerba de aliquo dicta quæ de ſe dicuntur, de ſubiectis etiam dici poſſint. Iam uero, quia, ut ſupra, docuimus, concluſiones, quæ ex conſequentibus efficiuntur, partes accidentis ſunt, idem euenit in conſequentibus, quod in accidentibus diximus. quemadmodum enim in fallaciis ortis ab accidente fallimur, ita etiam in iis, quæ a conſequentibus ducuntur. quod uero ait,

Iam uero hoc in multis perſpicitur, enunciaturq; hoc modo: poteſtate quadam eſt huiuſmodi: quoniam in quibuſdam rebus ſubiecta cum ipſis conſequentibus conuertuntur, ut homo cũ ridente, equus cum hinniente, etiam in aliis multis hoc idem petitur: ut ſi conſequitur niuem candor, candor & nix inter ſe conuertuntur: & ſi flauus color mel ſequitur, mel cum flauo colore reciprocatur: & ſi id, quod natum eſt, principium habet, etiam quod principium habet, natum ſit.

Quæ autem inquit, prætermiſſione definitionis, quæque ex illis duobus, dici aliqua ex parte, & omnino, eueniunt, captioſæ ſunt, quia putamus nihil differre, ſi aliquid omnino, & ſi quadam ex parte concedamus. rati enim id, quod omnino dicitur, nihilo magis ſignificare, quam quod quadam ex parte, id concedimus, & ex eo decipimur: ut hoc exemplo planum faciam, an abiicere id, quod quis habet, eſt malum? habet autem quis morbum, igitur morbum abiicere malum eſt. hæc captio orta ex eo, quod quadam ex parte eſt. neque enim ſi malum eſt abiicere aliquid eorum, quæ quis habet, eſt etiam malum omnino. In iis uero quæ id aſſumunt, quod initio dictum eſt, quæque multas interrogationes pro una adhibent, error uerſatur, quia parua uidetur diſtinctio. neque enim ſubtiliter & accurate definitionem propoſitionis exquirimus, qua dicitur, unum de uno enunciare: neque item ratiocinationis, qua dicitur, debere concludi aliquid aliud, quam quæ poſita ſunt, &, ita decipimur. hæc autem accurate non exquirimus propter eam, quam diximus cauſam. quia uidelicet, parua eſſe diſtinctio uideatur. uel cauſam antedictam intellige, quod propoſitionis, & ratiocinationis definitionem ignoremus.

QVONIAM autem quot cauſæ efficiant eas ratiocinationes, quæ uerarum ſpeciem præ ſe ferunt, habemus: tenemus etiam cauſas ſophiſticarum ratiocinationum, & reprehenſionum appello autem propriam ſophiſticam ratiocinationem & reprehenſionem non ſolum ratiocinationem & reprehenſionem quæ uera non eſt, & ueræ ſpeciem præ ſe fert: ſed etiam eam, quæ uera eſt ea quidem, ſed ei rei, qua de agitur, accommodata eſt fallaciter. quo in genere ſunt eæ, quibus ignari non in eo, quod agitur, redarguuntur, & docentur: quod rationis tentandi eſt proprium. eſt autem ratio tentandi pars dialecticæ, qua propter inſcitiam eius, qui concedit argumentum, falſum concludi poteſt. at uero ſophiſtæ etſi ratiocinationibus ſuis repugnantia concludunt, tamen ſi forte alii ignorent, minus ea exponunt, quibus argumentationibus etiam doctis tenebras offundunt.

Quia, ut initio dixi, idem eſt ratiocinatio, quæ non uera eſt, ſed ueræ ſpeciem præ ſe fert, quod fallax, & ſophiſtica, tenemusq; quot cauſæ efficiant eas ratiocinationes, quæ uerarum ſunt ſimulacra, (ſunt autem cauſæ harum tredecim genera, de quibus diſſeruimus) certe tenemus etiam cauſas ſophiſticarum ratiocinationum. ex quot enim cauſis fiunt eæ, quæ ſunt uerarum ratiocinationum ſimulacra, ex totidem fiunt etiam eæ, quibus ſophiſtæ utuntur. quæ uero ſunt ſimulationes uerarum, ex antedictis rationibus fiunt. ergo ex eiſdem ſophiſticæ quoque conſtant. quot enim modis, quotq; ex cauſis fiunt eæ, quæ non ueræ, ſed uerarum ſimulacra ſunt, tot etiam fiunt fallaces, ac ſophiſticæ. Quæ cum dixerit, ait, non ſolum eam ratiocinationem, quæ ueram fallaciter imitatur, (ea enim eſt quæ formam uitioſam habet, ut in ipſo exordio prædiximus, quæ ex duabus aientibus in ſecunda figura, uel ex duabus particularibus in aliqua trium figurarum concludere aliquid tentat) non ſolum inquam eam ratiocinationem, quæ ueram fallaciter imitatur, ex iis modis effici, ſed eam etiam, quæ uera eſt, ſed rei propria & accommodata uidetur, non eſt tamen. hoc enim eſt ſubaudiendum. eſt autem eiuſ-

modi ea ratiocinatio, quæ recte quidem concludit, ſed non in re, de qua agitur. id quod ait non eſſe ſophiſticæ, ſed rationis tentandi proprium. Valet autem tentandi ratio contra eos, qui ſibi ſcientiam arrogant, inſcii tamen ſunt: & argumentationes facit, eumq; qui reſpondet, coarguit, & in repugnantiam compellit. quod quidem facit is, qui tentat, non ex iis quæ rei, de qua agitur, propria ſunt, ſed ex quibuſdam, quæ rei accommodata eſſe uideantur, cum re uera accommodata non ſint. ob eam autem rem tales non dicuntur in re coarguere, quia cum principia rei ſeruent, fallunt auditorem quibuſdam mediis interiectis, ex quibus naſcatur falſa concluſio. ex eo enim, quod ſemicirculi non ita, ut debent, deſcribuntur, ut in primo Topicorum dictum eſt, lineæq; ducuntur, non ut ducendæ ſunt, oritur captio: quæ uidetur eſſe ex iis, quæ rei ſunt accommodata, non eſt tamen. deinde cauſam affert, quam ob rem is, qui ſcientiam ſibi arrogat, & inſcius eſt, decipiatur ab eo, qui ratione tentandi uti uelit.

Eſt autem, inquit, ratio tentandi pars dialecticæ. ſi igitur ratio tentandi eſt pars dialectices, ipſaq; dialectica poteſt falſum concludere propter ignorationem eius, qui concedit argumentum, certe etiam tentandi ratio falſum concludet. quomodo autem tentandi ratio ſit dialecticæ pars, poſt dicet, nosq; inibi dicemus quæ ad eam rem pertinere arbitrabimur. uerum dialecticus, atque is, qui tentat, docent eum qui reſpondet, eſſe inſcium: propterea quod concluſiones inferunt ex iis, quæ dat, & probat is, qui reſpondet. Sed magna nobis huiuſmodi argumentationum copia ex Protagora, Gorgia, & aliis Platonis dialogis ſuppetit, in quibus eſt cum ſophiſtis loquens Socrates. Sophiſta uero licet repugnantiam concludat, tamen ſi is qui contra diſputat, ignoret, minus ea expoıuit. Si enim homonymas, & ambiguas, & eiuſmodi, cuiuſmodi ſæpe diximus, quæſtiones ponat, quis tandem erit ex auditoribus, qui intelligat, quæ nam hic roget, & quæ ille reſpondeat? quamuis enim auditor ſciat, quot modis dicatur rogatum, tamen impeditur ita, ut diiudicare non poſſit, utrum is qui reſpondet, reprehenſus ſit, nec ne. in hoc enim, an licet σιγῶντα, quod ſilentem, & ſilentia ſignificat, loqui, quis auditor intellexit, de quibus ſilentibus aut interrogatio, aut reſponſio ſit adhibita, ut ſciat diſcernere, an is qui reſpondet, doctus ſit, an indoctus? Cum enim ſophiſtæ interrogent ambigua, & quæ multis modis dicuntur, certe nemo nouit, utrum concludant repugnantia ei, quod conceſſum eſt ab eo, qui contra diſputat: an omnino ſi is qui contra diſputat, ignoret, rogatum dici multis modis, aut ambiguum eſſe, aut non recte coniunctum, & diſtinctum. nam ſi quis a ſophiſta interrogetur, an canis æſtus faciat, ille autem dicat non, quia canis terrenus non gignat æſtus; certe auditor ignorabit, an is qui reſpondet, reprehenſus ſit, nec ne. quantum uero ad canem terreſtrem pertinet, uere dixit is, qui eum non efficere æſtus dixit: atque non eſt reprehenſus.

ATQVE eas nobis eſſe cognitas, hac etiam uia & ratione intelligi licet. nam quibus de cauſis auditores putant aliqua, quaſi rogata ſint, concluſa eſſe; eædem cauſæ ei etiam, qui contra diſputat, concluſionis uidebuntur. ita hæc ipſa uel omnia, uel quædam cauſæ ſunt, cur falſæ ſint concluſiones. cui enim quæſtio poſita non eſt, & ſe dediſſe concluſionem putat, is ſi interrogatus eſſet, dediſſet. niſi quod in quibuſdam ferre fit, ut ſimul, & ante id quod deeſt, interrogemus, & falſum iudicemus. quo ex genere ſunt ea, quæ in uerbo & ſolœciſmo uerſantur.

Cum dixerit nos tenere cauſas fallacium ratiocinationum cognitis cauſis ratiocinationum, quæ non ueræ ſunt, ſed uerarum ſpeciem præ ſe ferunt, & interiecerit ea, quæ dicta ſunt, nunc ad propoſitum redit. & id iudicio confirmat audientium. nam quibus de cauſis auditores putant, aliqua quæ non recte interrogata ſunt, recte eſſe interrogata, eiſdem etiam cauſis ei qui contra diſputat, recte interrogata eſſe uidebuntur. auditor autem, aut propter homonymiam, aut propter ſimilem orationis formam, aut propter aliquid horum decipietur. quam ob rem is etiam, qui reſpondet, ex aliquo horum falletur. ex quo fiet, ut ſint falſæ ratiocinationes uel omnibus illis modis, uel aliquibus eorum ad decipiendum concurrentibus. Cum uero dixiſſet, eaſdem cauſas etiam, ei qui contra diſputat, concluſionis uiſum iri, ait, qui enim interrogatus non eſt, & ſe dediſſe putat, is ſi interrogatus eſſet, dediſſet. hoc eſt, quod putarit, ſe recte interrogatum eſſe: & propterea id tanquam uerum conceſſit, & ſi rogatus eſſet, dediſſet. niſi inquit, quod in paucis ut in iis, quæ in uerbo ſunt, & in ſolœciſmo uerſantur, non obmuteſcunt ii, qui reſpondent, cum argumentationem ſophiſtæ concludant: ſed ante interrogant quod deeſt, & falſum patefaciunt. cum enim dicit ſophiſta, hic ſedet, qui ſedet poteſt ambulare, deinde concludit, hunc ambulare, ſtatim qui poſſit paululum conſiderare, ante rogabit uerbum poſſe, quod deeſt; & falſum declarabit. Itemq; cum ſophiſta dicat, an quod tu ais, id eſt. ais autem lapidem eſſe, tu igitur es lapis: profecto ii, qui reſpondent, non id ſilentio tranſeunt, ſed reſpondent, non: ſed, eſt ergo lapis. uerum hoc facile intelligetur, cum ipſe explicationes captionum nos docebit. nunc uero

dicamus

dicamus de eo, quod paulo ante ipſe dixit, tentandi rationem eſſe partem dialecticæ. Dicitur quidem ratio tentandi ſub dialectica eſſe, quia ipſa quoque perinde ac dialectica poteſt falſum concludere propter eius, qui concedit, inſcitiam. Vtraque & tentandi ratio, & dialectice a ſophiſtica differt: quod hæ clarum faciunt a ſe concludi repugnantiam eius, quod reſpondens propoſuit, cum neq; ambigua, neque ea quæ dicuntur multis modis, & alia huiuſmodi interrogent: ſophiſtæ uero licet interdum repugnantiam concludant, non aperiunt, ſi is qui contra diſputat, ignoret, nec ne. Cum enim rogent ambigua, & qualia ſæpe diximus, nemo profecto fit, an contrarium eius, quod poſitum eſt, ab eo, qui contra diſputat, concludant: an is, qui contra diſputat, ignoret rogatum eſſe ambiguum, aut homonymum, aut aliud quid huius generis.

QVOD ſi falſæ concluſiones repugnantiæ ex reprehenſione apparente exiſtunt, certe a totidem cauſis concluſiones falſi efficientur, quot habet apparens reprehenſio. apparens autem partes habet ueræ. uniuſcuiuſque enim prætermiſſione exiſtet reprehenſio, ut ex eo, quod non efficitur oratione, exiſtit ea argumentatio, quæ ad impoſſibile deducit: & ea quæ ex duabus unam interrogationem facit, ex propoſitione, & ea quæ ex accidente, & conſequentibus, quæ pars eſt accidentis ſumitur ex eo, quod per ſe conuenit.

Cum dixerit captioſas ratiocinationes fieri ex tot cauſis, ex quot fiunt etiam ſimulatæ; docet nunc, falſas a totidem cauſis effici, ex quot ſimulatæ & captioſæ fieri ſolent. nam ſi falſa ratiocinatio ea eſt, quæ circa ueram ratiocinationem eſt, certe patet, quot partes erunt ueræ ratiocinationis, totidem etiam fore partes falſæ. Veræ autem ratiocinationis partes ſunt, ut unius & eiuſdem rei ſit, ex eadem parte, in eadem re, & quæcũque ſunt a nobis ſæpe declaratæ: falſæ uero erunt, ut non in eadem re, non in eadem parte ſit, & quæ ſunt generis eiuſdem. Iam uero cum dixerit fallacem fieri circa partes ueræ, (cum enim deeſt aliqua ueræ ratiocinationis particula, tum fallax euadit reprehenſio) id inductione ſic probat.

Vt ex eo inquit, quod non efficitur oratione, exiſtit argumentatio ea, quæ ad impoſſibile deducit, quæ uerba ita intelligi poſſunt, quia ratiocinatio eſt oratio, quæ concludit aliquid diuerſum ab iis, quæ poſita ſunt, ex iis ipſis, quæ ſunt propoſita, qui ſumit pro cauſa concluſionis id, quod cauſa non eſt, certe patet, eum falſum concluſiſſe ex parte ratiocinationis. atque ipſa uerborum ſententia huiuſmodi eſt. Ratiocinatio quæ uidetur ad impoſſibile deducere, fit ex eo quod non efficitur argumentatione, aut ex eo quod id quod cauſa non eſt, pro cauſa ponitur. Eademq; ratione qui ex duabus interrogationibus unam facit, ex definitione propoſitionis falſum concludet. quæque falſi aliquid ex accidente concludit, id ex aliqua particula ueræ ratiocinationis facit: quæ quidem uera ratiocinatio fit ex iis, quæ per ſe & ui ſua conueniunt, non ex accidentibus. itemq; ea, quæ eſt ex conſequentibus, quæ eſt pars accidentis, ut ſupra docuimus, ob eandem cauſam fit.

ITEMQVE ea, quæ non in re, ſed in oratione uerſatur. præterea ex aliqua parte, aut ex omnibus his reprehenſiones uidentur eæ, in quibus pro uniuerſo ſumitur repugnantia, aut ex eadem parte, & cum eadem re collata, & eodem modo.

Genus captionum, quod ex ambiguitate naſcitur, captioſum ipſum quoque eſt: quod ipſe docet, cum ait, non in re, ſed in oratione uerſatur: quoniam in hoc, licet πάντα loqui, non in re, ſed in oratione uitium eſt. quod quidem genus exiſtit etiam ex parte ueræ ratiocinationis. Itemq; id, quod ex eo quod quadam ex parte, & omnino dicitur, exiſtit, fit ex parte reprehenſionis, quod ipſe declarat, cum ait,

In quibus pro uniuerſo ſumitur repugnantia: in quo intelligendum eſt, cum dixiſſe pro uniuerſo, id eſt omnino: & repugnantiam, pro quadam ex parte. nam ſi omnino concedamus æthiopem eſſe nigrum, alius concludet æthiopem eſſe albis dentibus, & ita quadam ex parte album. Itemq; ſi dicamus, neminem peierantem ſimul recte iurare, concludet eum, qui iurat ſe peierare, & peierat, ſimul peierare, & recte iurare. eas autem argumentationes, quæ non in eadem parte, & in eadem re, & ex quadam parte exiſtunt, euenire propter ueræ argumentationis partes, conſtat inter omnes, nosq; ſæpe diximus, neque opus eſt, ut id faciamus longius.

EA ETIAM, quæ ex eius, quod initio dictum eſt, aſſumptione exiſtit,

propter eius, quod initio dictum eſt, annumerationem, uitioſa eſt. quapropter quæ ſint falſarum ratiocinationum cauſæ, intelligimus. nam & plures non poſſunt eſſe, & eæ, quas expoſui, erunt omnium.

Petitionem atque aſſumptionem eius, quod initio dictum eſt, exiſtere propter partem ueræ ratiocinationis, & propter ueræ reprehenſionis prætermiſsionem, ſæpe dictum eſt a nobis. ita cum inductione oſtendiſſet, fictas reprehenſiones, & falſam concluſionem effici propter ueræ ratiocinationis partes, concludit orationem ſuam hoc modo: quapropter habemus, atque intelligimus, quot cauſis fiant falſæ concluſiones. nullæ enim falſæ concluſiones pluribus modis, quam iis, quos expoſui, fieri poſſunt: & iis ipſis omnes efficiuntur.

SOPHISTICA autem reprehenſio non omnino reprehenſio eſt, ſed contra aliquem. quod eodem modo de ratiocinatione iudicandum eſt. ac ſi non ſumunt eam, quæ ex homonymia euenit, unum declarare aliquod uerbum; & eam quæ ex ſimili forma eſt, hoc uel illud ſolum, itemq; cætera: eæ profecto non reprehenſiones, nec ratiocinationes omnino, aut contra eum, qui interrogatur, ualebunt. ſin ſumant contra eum, qui interrogatur, ualebunt, omnino non ualebunt: quandoquidem non id ſumpſerunt, quod unum declarat: ſed quod uidetur, idq; huic ipſi.

Cum ratiocinationes omnes fallaces, & ſimulatas ad reprehenſionis ignorationem redegerit, docueritq; fallaces reprehenſiones exiſtere ex prætermiſsione ueræ, ac propriæ reprehenſionis, idq; inductione confirmauerit: nunc ait reprehenſionem ſophiſtarum non omnino eſſe reprehenſionem: ſed uideri reprehenſionem eſſe contra eum, qui reſpondet. nam ſi forte is ſit imperitus, certe ea quæ rogabitur, qualiacunque ſint, concedet: & ita decipietur, & redargui uidebitur: ſin autem ſit de numero peritorum, non ſtatim concedet ea de quibus rogabitur: & ita prohibebit, ne alter coarguere, & ratiocinari uideatur. eademq; ratione ſophiſtarum ratiocinatio non omnino ratiocinatio eſt, ſed contra aliquem, hoc eſt contra eum, qui uim uerborum ignorat: & contra eum, qui concedit omnino dici, quod non omnino dicitur: & cætera omnia, de quibus ante dixi. Ac reprehenſionem quidem ſophiſtarum ualere contra aliquem ſolum, confirmat ex eo, quod ſophiſta reprehenſionem facere non poteſt, niſi ſumat ab eo, qui reſpondet, homonymum tanquam unum ſignificet. Eodemq; modo ratiocinatio, quæ ex ſimili forma ducitur, niſi ſumatur ab eo qui reſpondet, rem de qua quæritur, hoc ſolum declarare, hoc eſt uerbum agendi actionem ſolum ſignificare, non decipiet. quod ſi ſophiſta non ſumat, neque omnino ratiocinationem faciet, neque contra eum quidem qui rogatur. Sin autem ſumat homonymum non ut homonymum, reprehenſionem faciet, quæ ualebit contra eum, qui rogatur, ueram autem & propriam reprehenſionem non faciet: propterea quod non ſumpſit id, quod unum declaret, hoc eſt non ſumpſit homonymum, ſed quod uidetur; idq; auditori indocto, & imperito. ex quo fit, ut ſophiſtarum reprehenſio non omnino, ſed contra aliquem ſit reprehenſio.

QVOT autem cauſas ſibi proponunt in reprehendendo ij, qui reprehendunt, non eſt, quod ſine rerum omnium, quæ ſunt ſcientia, conemur explicare. hoc autem nullius artis eſt: quandoquidem fortaſſe infinitus eſt ſcientiarum numerus: ex quo fit, ut etiam demonſtrationum. ſunt etiam ueræ reprehenſiones. quæ enim demonſtrari poſſunt, ea omnia etiam reprehendere licet, ſi ueri contrariam orationem ponas: ut ſi quis diametrum menſura definiri ponat, demonſtratione reprehendi poteſt, eam non poſſe. ita rerum omnium cognitionem teneat oportebit, præſertim cum reprehenſiones quædam ex geometriæ, aliæ ex medicinæ, nonnullæ ex cæterarum artium initijs, earumq; concluſionibus exiſtant. quinetiam falſæ reprehenſiones infinitæ ſunt. ſua enim ex quaque arte uitioſa ſit ratiocinatio, ut ex geometria geometricæ: ex medicina medicinæ. cum autem ex arte dico, ex illius initijs dico.

Supra dictum eſt, quot cauſis nonnulli uideantur fallaciter reprehendi, & quot ſine falſarum reprehenſionum

henſionum genera determinatum eſt, quæ omnia ſunt tredecim: quibus uel omnibus, uel nonnullis aſſumptis & captio & ficta reprehenſio conficitur. quot autem cauſas ſibi proponant in reprehendendo ii, qui uere reprehendunt, aut numerare, aut explicare nemo poteſt: neque numerum certum conſtituere eorum modorum, quibus modis in reprehendendo utuntur ii, qui uere reprehendunt. quot enim demonſtrationes, tot etiam reprehenſiones fieri poſſunt contra eos, qui non concedentes concluſionem ex iis quæ data & conceſſa ſunt, effici, repugnantiam ſumunt. quam ob rem inquit, non eſt, cur aliquis conetur exponere quot & quas cauſas ſibi proponant in reprehendendo ii, qui uere reprehendunt, niſi idem ſit omni liberali doctrina politiſſimus, & in omni genere ſcientiarum exercitatiſſimus: ſin autem ita non ſit, quonam pacto poterit eum, qui in aliqua ſcientia errauerit, reprehendere? omnium autem ſcientiarum cognitionem habere, non eſt unius artis: & fieri nullo modo poteſt. quæ enim uere demonſtrantur, infinita ſunt: ergo infinitæ etiam ueræ reprehenſiones. in eo autem quod ait,

Quandoquidem fortaſſe infinitus eſt ſcientiarum numerus, addidit uerbum fortaſſe, ut indicaret, ſe huius eſſe ſententiæ. cum enim, ut ipſe in libris, qui de cœlo inſcripti ſunt, docuit, mundus æternus ſit, etiam ſcientiæ in infinitum multiplicabuntur. ex quo fit, ut non ſit quærendum, quot modis ueræ reprehenſiones fiant. eſſe autem omnino ueras reprehenſiones, quemadmodum etiam ſimulatas, perſpicuum eſt. quæcunque enim ea demonſtratione, quæ recta nominatur, oſtenduntur, eadem etiam & per eam ipſam, & per eam quæ ad impoſſibile deducit, probari poſſunt. ex quibus reprehendi etiam poteſt is, qui id, quod ex iis quæ poſita ſunt, efficitur, non concedit, ſed contrarium ueri proponit. Atque ea quidem reprehenſio, quæ eam ratiocinationem reprehendit, eamq; falſam eſſe oſtendit, uera reprehenſio eſt. quocirca oportet eum, qui ſit uere reprehenſurus, rerum omnium habere ſcientiam: talis enim ſi ſit, facile reprehendet eum, qui propoſitum, aut concluſionem non concedit, & ſumit repugnantiam. Iam uero cum dixerit, eum qui reprehenſurus ſit, debere eſſe præditum rerum omnium cognitione, hæc uerba addidit:

Præſertim inquit, cum reprehenſiones quædam ex geometria, aliæ ex medicina, nonnullæ ex cæterarum artium initiis, earumq; concluſionibus exiſtant. quam ob rem neceſſe eſt, ut qui reprehenſurus ſit eos, qui rerum geometricarum ratiocinationes faciunt, ſit geometra: & medicus is, qui eos, qui medicinæ: & muſicus, qui eos, qui muſices: & in aliis artibus eodem modo. quibus quidem ſit rebus, ut qui omnes reprehenſurus ſit, debeat rerum omnium tenere ſcientiam.

Quinetiam inquit, falſæ reprehenſiones infinitæ ſunt. ait ueras reprehenſiones, itemq; falſas, eſſe infinitas. Falſas reprehenſiones appellat hoc loco non fallaces, & captioſas, ſed eas, quæ ex initiis eius artis, qua de agitur, ductæ eſſe uidentur, ſed non ſunt. quam ob rem cum ueræ reprehenſiones infinitæ ſint, infinitæ etiam erunt falſæ. uerba ipſa clara ſunt, eorum tamen contextus, in quo legitur, ut ex geometria geometrica, mancus eſt, & quaſi decurtatus. qui quidem perfectus erit, ſi legatur hoc modo. eſt autem ex geometria falſa reprehenſio geometrica, quæ ex geometriæ principiis oritur. cuiuſmodi erat Bryſonis quadratio. non ſolum enim eas, quæ non ſumuntur a principiis eius artis, ad quam refertur quæſtio, ſed ſumi uidentur, falſas reprehenſiones uocat; ſed eas etiam, quæ ex propriis artis illius initiis naſcuntur, & quadam ex parte uitioſæ ſunt. cuius generis ſunt falſæ deſcriptiones, quas docet Euclides.

EX QVO perſpicuum eſt, non omnium reprehenſionum, ſed earum modo, quæ ex dialectica petuntur, eſſe ſumendos locos: quippe qui ad omnem artem, & facultatem pertineant. atque eam quidem reprehenſionem, quæ cuiuſque artis propria eſt, artificis eſt tenere, & cognoſſe ſiue uere non dicatur, & tamen eius ſpeciem præ ſe ferat; ſiue uera ſit, & quam ob rem: ea autem quæ ex communibus progreditur, neque ulli certæ ſcientiæ ſubijcitur, dialectici. ſi enim ex quibus conſtent ratiocinationes probabiles quacunque de re ſint, teneamus, ex quibus etiam reprehenſiones proficiſcantur, tenebimus. eſt enim reprehenſio repugnantiæ ratiocinatio. ita reprehenſio eſt una, aut duæ ratiocinationes repugnantiæ. tenemus ergo ex quibus omnes eiuſmodi exiſtant. quod ſi tenemus, etiam explicationes tenemus. eis enim reſiſtere, id demum eas explicare eſt. dictum etiam eſt ex quibus eueniant reprehenſiones, quæ apparent, non cui uis, ſed certis quibuſdam. infinitæ enim erunt, ſi quis quibus de cauſis, quibuſcunque uideantur, animaduertat. ergo illud quidem perſpicuum eſt, dialectici eſſe poſſe explicare, quibus de cauſis ex communibus ſi progre-

diatur, uera reprehenſio, uel ſimulata, uel dialectica, uel quæ dialecticam fallaciter imitatur, uel quæ experiundi ſtudio adhibetur, exiſtat.

Cum dixerit reprehēſiones ueras infinitas eſſe, poſſeq; eas in omnibus artibus & ſcientiis fieri, itemq; infinitas eſſe falſas ratiocinationes ueris contrarias: cum eæ quoque in omni ſcientiarum genere poſſint componi, ait, non pertinere ad hoc inſtitutum tradere, & explicare uniuerſales omnium falſarum ratiocinationum reprehenſiones. nunc uero ait non eſſe ſumendos locos, atque initia omnium uerarum reprehenſionum: ſed earum ſolum, quæ ſumuntur ex dialectica. hoc autem facere, eſt dialecticæ, locorumq; in ea explicatorum proprium. cauſamq; affert, cur dialectica ſit uis quædam, qua de rebus omnibus poſſimus diſſerere.

Quippe qui inquit, ad omnem artem, & facultatem pertineant. nam dialecticus poteſt in quacunque arte ex communibus & probabilibus argumentari. Sed reprehenſionem quandam in quadam ſcientia, utrum uere dicatur, an eius ſpeciem præ ſe ferat, non quiuis uidet: ſed is demum qui doctus eſt: qui quidem doctus poteſt cognoſcere, an ex propriis ſcientiæ ſumptionibus reprehendat is, qui reprehendit. cum uero, qui ex communibus, & probabilibus in reprehendendo progredietur, dialecticus poterit agnoſcere. quod autem ait, eſt quaſi huiuſmodi, quemadmodum nos iam in topicis diximus, ex quibus poteſt quis de omni re propoſita argumentari, ex iis etiam poteſt reprehendere. cum enim dialecticus conetur repugnantiam concludere, idem etiam facit reprehenſio. quanquam cum ex una, cum etiam ex duabus ratiocinationibus repugnantiam concludit. id quod declarauit in ſecundo priorum analyticorum libro, cum de ratione ex contrariis ratiocinandi diſſereret. illic enim ait, ſi uno uolumus repugnantiam concludere, hoc in una ex propoſitionibus nos ſumere debere ad hunc modum: medicina eſt ſcientia, ſcientia omnis eſt opinio, & non opinio. medicina igitur & opinio, & non opinio eſt. ſed quoniam id, tanquam perſpicuum, nemo unquam concederet, conandum eſt, ut duobus repugnantiam concludamus, & medicinam tum eſſe opinionem, tum non eſſe confirmemus: id quod diſtincte duabus ratiocinationibus perſequemur: qua de re poſtea dicemus, cum explicationes captionum pertractabimus.

Tenemus ergo inquit, ex quibus omnes eiuſmodi exiſtant. hoc eſt, ex quibus fiant ſophiſtarum reprehenſiones. quod ſi tenemus quomodo, & quibus ex cauſis efficiātur, certe clarum eſt, nos etiam explicationes tenere. ea enim quibus occurrimus iis, qui aut ex iis, quæ multis modis dicuntur, aut ex ambiguis, aut aliquo alio modo argumentationes trahunt, ſunt explicationes reprehenſionum. Cum enim ſophiſta reprehendit eum, qui dicit canem non latrare, quod terreſtris canis latret; nosq; ei occurramus, dicamusq; de alio cane reſponſum fuiſſe, ex eo ipſo quod ſophiſtæ reſiſtimus, falſam reprehenſionem diſſoluimus. Quoniam autem inquit, tenemus cauſas, ex quibus ſophiſticæ reprehenſiones fiant, tenemus etiam quibus fiant eæ, quæ apparent, & fictæ ſunt: idq; ſupra etiam dixit. atque apparentes quidem reprehenſiones dicit, non quæ uidentur quibuſuis, & plebeis hominibus, (qui enim ignorant ex quibus decipiantur, toties decipiuntur, ut numero definiri non poſſit,) ſed apparentes appellat, quæ uidentur doctis, & intelligentibus uiris. Verum inquit, ſolus dialecticus quot cauſis ex communibus fiat uera, & ficta reprepenſio, poteſt cognoſcere. Iam uero quid uera, quid ficta, quid dialectica, quid ea, quæ dialecticam fallaciter imitatur, ſit reprehenſio, toties dictum eſt nobis, ut de eis etiam loqui ſuperuacaneum ſit.

NEQVE uero captionum ea eſt diſſimilitudo, quam aiunt quidam eſſe: alias contra uerba eſſe, alias contra ſententias. exiſtimare enim captiones quaſdam in uerbis, alias in ſententiis conſiſtere, nec eaſdem eſſe, amentia eſt. quid enim eſt non ſententiam ſpectare, niſi cum non utitur is, qui interrogare ſe putat, nomine ad id, ad quod is, qui rogatus eſt, conceſſit? atqui hoc ipſum etiam eſt contra nomen diſputare. ad ſententiam autem dirigere diſputationem eſt, cum ad id adhibuit nomen, ad quod retulit mentem is, qui reſpondit.

Cum ſupra diſtinxerit rationes ex quibus captiones fiunt, in duo genera, quæ expoſita ſunt, quorum unum in uerbis, alterum in rebus uerſari dixit, nunc reprehendit eos, qui ita non dicunt: ſed omnia captionum genera redigunt ad argumentationes quæ aut uerborum, aut ſententiarum ſint. Quod autem ipſe ait, contra uerba, & contra ſententiam, ſumitur pro eo, quod eſt, in uerbis, & in ſententia. quod ipſe declarat eo, quod poſt infert, cum ait,

Quid enim eſt non ſpectare ſententiam &c. in quo reprehendit eos, qui non ita captiones omnes diſtinguunt, ut ipſe docuit, ſed aiunt alias eſſe uerborum, & ſententiarum alias. docet etiam non eſſe diuerſas, ſed eaſdem. quæ enim uerborum ſunt, etiam ſententiarum ſunt; quæque ſunt ſententiarum, eædem

ſunt

ſunt etiam uerborum.ita non ſunt duo genera,ſed unum.nam non dirigere diſputationem ad ſententiam quid aliud inquit eſt,niſi cum is,qui interrogat, non utitur nomine ad id, ad quod putans ſe rogatum eſſe is qui reſpondet, conceſſit? hæc eſt enim uerborum philoſophi ſententia.ſi enim quis rogetur, an canis latrat?is uero putet de terreno ſe fuiſſe interrogatum,concedat eum latrare,isq́ue qui rogat,transferat canis nomen ad piſcem,& dicat,piſcis,qui canis nominatur,non latrat,certe is non uſus eſt canis nomine ad reſpondentis ſententiam.atque hæc quidem captio ad nomen iridem pertinet. quare quemadmodum ad mentem & ſententiam non ratiocinatur is,qui non utitur canis nomine, ut terrenum ſignificat,quem intellexit is,qui reſpondet,& latrare dixit:ita contra,ad mentem ratiocinatur, cum utitur nomine ad rem, ad quam mentem adhibens is qui rogatus eſt, affirmauit.quod ipſe quoque declarauit his uerbis.

Ad ſententiam autem inquit,dirigere diſputationem eſt, cum ad id adhibuit nomen, ad quod retulit intelligentiam is qui reſpondet. nam ſi non ad mentem & ſententiam eſt,non dirigere diſputationem ad id,ad quod is qui reſpondet mentem adhibens conceſſit,certe dirigere diſputationem ad id, ad quod referens mentem is qui reſpondet, conceſſit,ad mentem & ſententiam eſt. hoc ſi ita eſt, profecto exiſtimare alias argumentationes eſſe uerborum,alias ſententiarum,amentia eſt:quandoquidem in qua re ad ſententiam dirigitur argumentatio,in eadem etiam ad uerba dirigitur.atque id uiciſſim retro commeat,ut in qua ad ſententiam,in eadem etiam ad uerba dirigatur argumentatio.

QVOD ſi quis nomen quod multa ſignificat, unum declarare putet, & is qui interrogat, & is qui contra diſputat, ueluti id quod eſt & unum certe multa ſignificant,uerum & is qui reſpondet,& Zeno ponens quæſtionem, unumq́ue putans eſſe id quod eſt, interrogauit: eſtq́ue illa concluſio unum eſſe omnia, is ad nomen, uel mentem eius qui rogatus eſt, omnem dirigit diſputationem. At ſi quis plura ſignificare arbitretur, profecto non illius ſpectauit ſententiam.primum enim hæc ipſa duo, de uerbis & ſententia controuerſiam eſſe, in ijs poſita ſunt captionibus, quæ multa declarant deinde in alterutro eorum qui diſputant. neque enim in oratione poſitum eſt, ad mentem conferre diſputationem: ſed in eo, ut is qui reſpondet, ad ea quæ dedit, quodam modo ſit affectus. tum uero ad nomen dirigi hæ omnes poſſunt: quoniam nomen hoc loco eſt, non ſententiam ſpectare.ſi enim non omnes ſint, certe aliæ erunt, quæ nec ad nomen,nec ad ſententiam conferentur. Hi autem omnes ita diſtribuunt, ut alias ad nomen,alias ad ſententiam referant,alias non item.

Cum dixerit, & confirmauerit idem eſſe ad nomen, quod non ad ſententiam dirigere diſputationem, adiungit, cum is qui interrogat, & is qui interrogatur, putet nomen quod multa ſignificat, non multa ſignificare, eum ad nomen, & ad ſententiam reſpondentis diſputationem adhibuiſſe. Appellauit enim reſpondentem eum,qui rogatus eſt.Et quod ait,uel ad mentem eius, dixit pro eo quod eſt, & ad mentem eius. nam cum is qui rogat,utitur nomine ad id,ad quod reſpondens conceſſit,putat autem uterque nomen de una & eadem re dici, certe patet, omnem diſputationem ad nomen & ad ſententiam eſſe reuocatam. Supponit enim Parmenidæ ſententiam, qui putauit ens & unum ſignificare unum: cuius opinionem ſequutus eſt eius ſtudioſus Zeno: ac Parmenides quidem rogans Zenonem, an unum ſit ens,affirmante & concedente Zenone, certe ad nullam aliam rem transfert diſputationem; ſed ad nomen & ſententiam eius qui reſpondet, rem tractat. Quod ſi aut is qui reſpondet, aut is, qui rogat, putet nomen multa ſignificare, & alter in una ſignificatione concedat,alter in alia nomen adhibeat, ut de cane ſupra demonſtrauimus, tunc non ad ſententiam, ſed ad nomen dirigitur diſputatio, hæc autem uerba, dirigitur diſputatio, deſunt. Lectio autem integra erit, ſi reponatur hoc modo, Perſpicuum eſt, non ad ſententiam, ſed ad nomen diſputationem omnem dirigi. quæ cum dixiſſet, addidit,

Primum enim hæc ipſa duo de uerbis & ſententia controuerſiam eſſe,in iis poſita ſunt captionibus, quæ multa declarant.] quaſi dicat,falſum eſſe dicere, omnes captiones ad nomen, & ad ſententiam redigi. Captiones autem quæ multa declarant, ſunt homonymæ,atque ambiguæ:cæteræ non item. deinde inquit, in alterutro eorum qui diſputant: alterutrum appellat eum, qui interrogat, eumq́ue qui interrogatur. efficitur enim ut cum oratio, aut uerbum non multa ſignificat, is qui rogat, aut qui reſpondet multa ab oratione aut uerbo putet declarari. &,ſit etiam interdum, ut non in oratione poſi-

tum ſit, ut ad montem & ad nomen conferatur diſputatio, ſed in eo, ut is qui reſpondet, ad ea quæ dedit, quodam modo ſit affectus. hoc autem ſignificauit eo, quod ait, in alterutro, quod declarant ea quæ ſequuntur. neque enim in oratione poſitum eſt, ad mentem conferre diſputationem, ſed quod is, qui reſpondet, ignarus & inſcius ſit eorum, quæ rogantur: & putet ea, quæ uno tantum modo dicuntur, multis modis dici. quam ob rem, ut ante dixi, ſi quæ in nomine ſunt, in ſententia etiam ſunt, neceſſe eſt, ut omnes captiones & quæ ex orationibus, & nominibus multa ſignificantibus conſtant, & quæ fiunt a reſpondentibus, & interrogantibus quodam modo affectis ad ea, quæ data ſunt, & omnino XIII. ipſa genera ad nomen referuntur. nam ſi omnes captiones ad hæc duo ad nomen & ſententiam referuntur, ut illis placet, quæ nihil inter ſe differunt, ſed eadem ſunt, ut iam docuimus, patet omnes ad nomen reuocari. id quod ipſe declarat, cum ait,

Tum uero ad nomen dirigi hæ omnes poſſunt. ſi uero inuenientur nonnullæ, quæ ad nomen non dirigantur, ut poſtea demonſtrabimus, certe eæ nec etiam ad ſententiam pertinebunt. & ita dabuntur captiones, quæ hac methodo non continebuntur. hæc enim, Socrates ſedet, qui ſedet poteſt ambulare, Socrates igitur ambulat, neque ad nomen, neque ad ſententiam refertur: præſertim cum nihil eorum, quæ dicta ſunt, multis modis dicatur. Cumq́; dixerit, in hac tractatione idem eſſe ad nomen, quod ad ſententiam dirigi diſputationem, adiungit hæc uerba:

Si enim non omnes ſint, certæ aliæ erũt &c.) quæ uerba manca ſunt, & ita perfici poſſunt. nam ſi non omnes ad nomen diriguntur, erunt aliæ. & quod ait, ita intelligi poteſt. etenim ſi, ut docuimus, quicquid ad nomen, id etiam ad ſententiam dirigitur, ſi quæ captiones inuenientur, quæ non ad nomen dirigantur, ſed ad aliud quippiam, non erit communis & uniuerſalis illorum diſtinctio, ad quam omnes redigi uolunt: ſed manca, & ob eam cauſam improbanda.

ATQVI ex ratiocinationibus, quæ ex iis conſtant, quæ ambigua ſunt, quædam uerborum ſunt ratiocinationes. abſurdum eſt enim non omnes quæ uerborum ſunt, dicere ad nomen pertinere. atqui ſunt captiones quædam non ex eo, quod is qui reſpondet, ad eas quodammodo affectus eſt, ſed quod ipſa argumentatio interrogationem complectitur eiuſmodi, quæ multa declarat.

Cum dixerit, ſi quæ captiones inuenientur, quæ ad nomen redigi non poſſint, eas ſub hanc diuiſionem non cadere, addit hæc uerba, Atqui ex ratiocinationibus, quæ efficiuntur ex ambiguis, quædam uerborum ſunt ratiocinationis: quæ uerba ita poſſunt accipi, quoniam dicimus, argumentationem dirigi ad nomen & orationem, hoc eſt ad ambiguitatem; quæcunque ratiocinationes uerſantur in homonymia & ambiguitate, in quibus quæ dicuntur non ſunt homonyma, uel ambigua, eæ non ad nomen diriguntur. quod uero dicimus, eſt eiuſmodi. quæcunque ratiocinationes conſtant ex iis, quæ multis modis dicuntur, hoc eſt, quæcunque non ſunt, quæ utuntur multifariam quibuſdam, ſed extra eorum numerum ſunt, cuiuſmodi eſt, Socrates ſedet, qui ſedet poteſt ambulare, Socrates igitur ambulat: eæ non ſunt ex iis, quæ multis modis dicuntur, ſed ex iis quæ uerſantur in illis, quæ dicuntur multis modis: & ita neque ad nomen, neque ad ſententiam referuntur. quod uero ait,

Quædam uerborum non ſunt ratiocinationes, idem eſt, ac ſi dicat, quædam ad nomen non diriguntur. quonam igitur modo eæ ad eas, quæ ad ſententiam pertinent, referentur? nec ſolum enim inquit, abſurdum eſt dicere tredecim genera captionum ad nomen dirigi: ſed etiam non referenda ſunt ad nomen ea ſex, quæ in uerbo ſpectantur. quare omnes apparentes reprehenſiones non ad eas quæ in nomine uerſantur, referuntur. quinetiam quædam captiones oriuntur, non ex eo, quod fallax reſponſio ſit adhibita, ſed ex eo, quod propoſita argumentatio uel ex homonymis, uel ex ambiguis conſtet. nam ſi quis ita interrogarit, an canis latrat, nec ne? isq́; qui reſpondet, canem uno ſolum modo dici putet, & de terreno cane intelligat, is uero qui rogat, de cœleſti dicat, & ita concludat: certe non facta eſt captio ex eo, quod bene allata ſit reſponſio. quæ quidem quantum pertinet ad intelligentiam eius, qui reſpondet, bene allata eſt, ſed ex eo orta eſt captio, quod oratio, qua uſus eſt is, qui quæſtionem poſuit, ambigua eſt.

OMNINOQVE perabſurdum eſt, de reprehenſione ante, quam de ratiocinatione diſputare: cum enim reprehenſio ſit repugnantiæ ratiocinatio, ſit ut de ratiocinatione prius, quam de falſa reprehenſione differendum ſit neceſſario. eſt enim reprehenſio talis apparens ratiocinatio repugnantiæ. itaque uel in ratiocinatione uitium eſt, uel in repugnantia. (addenda enim repugnantia eſt) uel in utraque,

que, ſi apparens reprehenſio ſit: eſt autem huius captionis σιγῶντα *loqui, in repugnantia, non in ratiocinatione: illius uero, quæ non habet quis, ea dabit, in utraque; illius, Homeri poema formam propter circum, in ratiocinatione: quæ autem in neutro uerſatur, uera ratiocinatio eſt.*

Cum docuerit eos, qui omnes captiones ad nomen referunt, non apte diſtinguere, eoſdem etiam aliter coarguit. ait enim omnino abſurdum eſſe, ſi ii captiones diuidentes de reprehenſione prius diſſerunt, quam de ratiocinatione. reprehenſio enim eſt ratiocinationis repugnantiæ. quare quærendum erat quid ratiocinatio ſit, quo inuento, quid reprehenſio ſit, inueſtigandum. cumq; quid eſſet reprehenſio cognitum fuiſſet, dicendum erat, uel eſſe tredecim fallacium concluſionum genera, quemadmodum nos expoſuimus; uel omnia genera ad reprehenſionis ignorationem erant redigenda. quam ob rem erat prius de ratiocinatione diſſerendum. Eſt enim fallax reprehenſio apparens ratiocinatio repugnãtiæ: quocirca eſt apparens reprehenſio (ita enim eſt conſtruendus locus) hoc eſt, ſi futura ſit ficta reprehenſio, & captioſa ratiocinatio, cauſa erroris & falſitatis debet uel in ratiocinatione, hoc eſt in concluſione eſſe, uel in repugnantia, hoc eſt, in repugnantiæ interrogatione. nam in interrogatione repugnantia addenda eſt, ut an licet σιγῶντα loqui, an non? uel in utraque, hoc eſt & repugnantia, & concluſione. in repugnantia autem, & non in concluſione erroris cauſa ſit hoc modo. an licet σιγῶντα loqui, an non? non. quid? cum lignum dicis & loqueris, itemq; lapides & ferrum, non'ne σιγῶντα loqueris? etiam. licet igitur ligna, lapides, & ferrum loqui: hoc eſt, licet igitur, σιγῶντα loqui. Captio quidem ipſa eſt eiuſmodi, at erroris cauſa non in concluſione eſt illa quidem, quandoquidem uera eſt concluſio, quippe cum & lapides & ligna, quæ σιγῶντα, hoc eſt ſilentia ſunt, dicamus: ſed in repugnantia, hoc eſt in repugnantiæ interrogatione, quæ fuit ambigua. nam quod ait, licet ne σιγῶντα dicere, ſignificat ſilentem, & ea quæ ſilentur dicere. Vel fieri poteſt hoc modo: an licet λέγοντα ſilere? non. cum ſiles, non'ne omnia ſiles? igitur ſiles ea, quæ dicuntur, quæ ipſa quoque ſunt in numero omnium: licet igitur λέγοντα ſilere. hoc enim loco is, qui interrogat, accipit λέγοντα pro iis, quæ dicuntur. is uero qui reſpondit; conceſſit pro eo, qui dicit, & ita captionis cauſa, quemadmodum etiam in ſuperiore uidimus, in repugnantia eſt. huius uero, quæ non habet quis, ea dabit, in utraque & in repugnantia, & in concluſione. quod perſpicuum erit, ſi captionem unam in medium adducamus hoc modo: an quod quis non habet, daret? non. quid? quod non habet quis ſtatim, daret ſtatim? etiam: igitur quod quis non habet, daret. hoc loco falſitatis cauſa & in repugnantia, & concluſione conſiſtit. eſſe uero eam in concluſione, perſpicuum eſt: non enim concludendum erat, igitur quod quis non haberet, daret: ſed quod quis non cito haberet, cito daret, hoc enim erat conſequens. quinetiam in repugnantia falſi cauſa uidetur, cum ita fuiſſet dicendum, an quod quis habet, daret, tanquam non habeat, an non? ſed quod quis non habet, non daret. Captio uero quæ in ſola concluſione falſa eſt, huiuſmodi eſt. hic ſedet, ſedens poteſt ambulare, ſedens igitur ambulat. quo in loco propoſitiones ueræ ſunt, & in concluſione facta eſt fallacia. Illius, qua dicitur, carmina ſunt cyclus, cyclus eſt figura, carmina ergo ſunt figura: in ſola concluſione eſt uitium: propterea quod medius terminus multa ſignificans ſumitur ille quidem in dialecticis congreſſibus, ſed in iis, quæ ad ſcientiam & cognitionem pertinent, non item: ut etiam in libro de Demonſtratione declarauit. geometra enim ea ſola nouit, conceditq; cycli & circuli nomine appellari, quibuſcunque circuli congruit definitio: quibus ea non conuenit, non concedit. quibus quidem ſit rebus, ut ficta & ſimulata reprehenſio uel in repugnantia, uel in concluſione, uel ſæpe in utraque cauſam habeat, cur falſa ſit. quæ uero in neutro uitioſa eſt, ea demum eſt uera ratiocinatio. cum enim propoſitiones ueræ ſunt, neceſſario quoque ſit uera concluſio.

SED VNDE fluxit, referat ſe oratio, ratiocinationes quæ in mathematicorum diſciplinis uerſantur, num ad ſententiarum captiones referuntur? certe non. itemq; ſi cui triangulus multa ſignificare uideatur, atque is dederit, eum duos angulos pares habere, non qua ex parte hanc figuram concludit, alter duos angulos rectos habere: num ad ſententiam alterius hic argumentationem dixerit? certe non.

Reuertitur ad propoſitum, & docet non aliud eſſe ad nomen, aliud ad ſententiam dirigere argumentationem, ſed idem eſſe, ſicuti probauit: & ait rogans hoc modo: num eæ ratiocinationes fallaces & captioſæ, quæ in mathematicis diſciplinis uerſantur, (mathematicas diſciplinas appellat arithmeticen, geometriam, & quæ his cognatæ ſunt, & finitimæ) ad ſententiam referuntur? hoc eſt, num ſunt ex ſententia eius, qui reſpondet: & ipſe philoſophus interrogans reſpondet, certe non: indicans

his uerbis, non eſſe factas ex illius ſententia. ut quod ait, certe non; par fit huic, certe non factæ ſunt eæ ratiocinationes ad ſententiam eius, qui reſpondet. ſi enim is qui reſpondet, putet trianguli nomen multa ſignificare, & id quod σκαληνὸν nominatur, idq́ quod ἰσοσκελὲς dicitur, & rogetur, an anguli cuiuſque trianguli qui ad baſin ſunt, inter ſe ſint æquales, conceſſeritq́ inter ſe æquales eſſe eos, qui ſunt ad baſin ἰσοσκελοῦς, profecto ſophiſta eum reprehendet. ergo ad mentem eius qui rogatur, direxit diſputationem. uerum ipſe id explicat, & diſſoluit his uerbis, certe non. neque enim ad ſententiam eius qui rogatur, dirigit argumentationem is, qui interrogat. quandoquidem qui reſpondet, figuram, ſi ita contigerit, aut canem de terreno cane conceſſit, & figuram de plana figura: Ille uerò ad cœleſtem canem, aut ad poema tranſtulit, quare perſpicuum eſt, eum ad nomen tranſtuliſſe argumentum, & non ad ſententiam eius, qui reſpondet. ergo idem eſt, ad nomen, quod ad ſententiam conferre diſputationem. Non prætereundum hoc loco eſt, quin dicamus, quod ipſe ait, certe non, eſſe tanquam reſponſionem quæſtionis, & fere negationem: & idem ualere ac ſi diceret, perſpicuum eſt, ad ſententiam non conferri.

IAM SI nomen multa ſignificet, unusq́; neque intelligat, neque putet, qui alter contra eius ſententiam non diſputauit?

Docet etiam ad nomen & ad ſententiam argumentationem dirigi idem eſſe, atque ait, ſi quod nomen multa ſignificet, neque id intelligat is, qui reſpondet, neque putet, ſed uno ſolum modo dici exiſtimet, & a ſophiſta poſtea reprehendatur, non omnino ad propriam eius mentem reprehenſus fuerit. idem igitur ualet ad nomen conferre diſputationem, quod ad ſententiam eius, qui reſpondet. Hæc enim uerba tribus modis capi poſſunt: uel enim ſic, ſi nomen ambiguum ſit, idq́ ignoret is, qui reſpondet, quomodo is ex ſententia decipietur, aut non decipietur: & huius explicatio erit quod addit, non ex ſententia decipietur: uel adhibita interrogatione, uel etiam ſuſpenſione legenda ſunt hoc modo, num is contra ſententiam diſputauit? deinde tanquam negatio & refutatio inſeratur, non. id enim facere conſueuit Ariſtoteles, ut etiam in primo Phyſicorum libro ſcriptum reliquit his fere uerbis,

Et quanquam de natura dicunt illi quidem nihil, ſed dubitationes naturales in medium adducunt, bene actum iri puto, ſi de eorum opinionibus paululum diſſeruero. ita uerba, de quibus agitur, legenda ſunt uel hoc modo, uel ita ut negent ſic, iam uero ſi nomen multa ſignificet, unusq́ neque intelligat, neque putet quodam modo; & diſtinctione adhibita, concludendum, is non contra ſententiam diſputauit. quaſi idem ualeat quod ait, ac ſi diceret, omnino perſpicuum eſt, hunc non contra ſententiam, ſed de ſententia diſputauiſſe. ſed hoc etiam genus diſputandi ad nomen refertur. ergo idem eſt ad nomen, quod ex ſententia diſputare.

AVT QVO tandem pacto ponenda quæſtio eſt, niſi diuiſionem adhibendo, ſi quis roget, licet ne σιγῶντα loqui, nec ne? aut licet ne hoc modo, non illo? certe. quod ſi quis non det ulla ex parte, alter autem concludat, non ex ſententia eius effecit concluſionem. atqui uidetur hæc captio in iis eſſe, quæ in nomine conſiſtunt. non igitur aliquod genus eſt captionum, ad ſententiam diſputationem dirigere: ſed aliæ ad nomen diriguntur: neque omnes eius generis, nec ueræ reprehenſiones, neque eæ quæ ueras fallaciter imitantur. ſunt enim ſimulatæ reprehenſiones in iis etiam, quæ non ſunt uerborum, ex quo ſunt genere accidentis & aliorum.

Cum ſuperioribus docuerit, idem eſſe ad nomen, quod ad ſententiam diſputationem dirigere, itemq́ non omnes falſas ratiocinationes ac reprehenſiones ad eas quæ in nomine & ſententia uerſantur, reuocari: quod fieri non queat, ut quæ in rebus ſpectantur, ad has reuocentur: nunc quaſi aliquis dicat, omnes reprehenſiones ad has referri poſſe, ſi diuiſione adhibita fiat interrogatio, ait, quo tandem pacto interrogandum eſt, an ut uos diſtinguitis? ſi enim interrogationes non ita, ut ante dictum eſt, fient, ut licet ne σιγῶντα loqui? an circulus eſt forma? omnino reſtat, ut diſtinctione adhibita proferantur. quod ipſe indicat, cum ait, niſi diuiſionem adhibendo: & deinceps ponit quæſtionem adhibita diuiſione. qui enim dicunt omnes reprehenſiones referri ad eas, quæ ad nomen, quæque ad ſententiam diriguntur, fortaſſe dicere, eo quod interrogationes ex diuiſione non fiant, euenire etiam ut reprehenſiones ad prædicta non redigantur, quæ autem ſit ex diuiſione interrogatio, & quomodo adhibenda ſit, perſpicue declarat his uerbis, ſi quis roget, licet ne σιγῶντα loqui, nec ne? aut liceat ne hoc modo, non illo? certe. quibus quidem uerbis aliquid huiuſmodi ſignificat, cum qui adhibita diui-

fione

ſione interrogat, non ita ponere quæſtionem, ut dicat, licet ne σιγῶντα loqui, nec ne? ſed hoc modo, licet ne σιγῶντα loqui, an non licet? ſed quandoque licet, quandoque non licet. hoc eſt, licet ne σιγῶντα loqui, an omnino qui ſilet, non loquitur? & quodammodo licet σιγῶντα loqui, quodam modo non licet: hoc eſt quadam ex parte loquitur is, qui ſilet, quadam ex parte non loquitur. ac contra hanc rem ait, licet interrogatio ex diuiſione fiat, tamen fore, ut argumentationes quæ euenient, redigendæ ſint ad ea, ad quæ prius redigi probatum eſt. atque etiam ad eadem redigentur, quæ ad nomen & ſententiam diriguntur, quæ eadem eſſe docuimus. nam ſi ex diuiſione proficiſcatur interrogatio, isq; qui reſpondet, neget fieri poſſe, ut is qui ſilet loquatur, is uero qui interrogat, poſſe eum qui ſilet loqui, concludat; patet non ad ſententiam, hoc eſt interrogatum non diſputare ex ſententia eius qui reſpondet: ſed ad nomen dirigere diſputationem. ueluti ſi quis rogaret, & interrogationem hoc pacto tractaret, licet ne σιγῶντα loqui, an non licet: quodam modo enim licet, quodam modo non licet. is uero qui reſpondet, diceret, non licet, perſpicuum eſt ex eo, quod dicit non licet, eum ſignificare non licere σιγῶντα loqui. illis enim uerbis ſignificat non contingere, ut partim liceat, partim non liceat eum qui ſilet, loqui, ſed omnino non loqui. quam ob rem ſi is qui reſpondet, dicat, non licere eum qui ſilet loqui: is uero qui interrogat, licere concludat, certe patet, cum qui reſpondet de uno intelligere, eumq; qui interrogat, de alio concludere. quod uero ait,

Non igitur ex ſententia eius effecit concluſionem. uerbum ἄρα ἀ acuto ſono legendum eſt, ut ſit negatio, & non interrogatio. atque, ut paucis expediam, quod ait, eſt huiuſmodi: ſi interrogatio fiat ex diuiſione, ut uobis placet, de qua etiam interrogatione ante diximus, & diſtinctione facta is, qui reſpondet, dicat nulla ex parte licere eum qui ſilet loqui, hoc eſt, omnino non loqui, isq; qui rogat, eum loqui concludat, ergo non ad mentem & ſententiam eius qui reſpondet, effecit concluſionem, ut illud uerbum ἄρα concluſionem, non interrogationem faciat. atqui argumentatio hæc, quæ in mente uerſatur, ad nomen etiam refertur. neque enim eſt eadem mens eius, qui rogat, & eius qui reſpondet. Neque ad eandem rem refertur. ad quam enim rem reſpondentis adhibita eſt reſponſio, ad eandem illata concluſio eſt, etiam ſi idem nomen ſit. quare idem eſt & ad nomen, & ad ſententiam dirigere diſputationem. Quod uero ait,

Non igitur aliquod genus eſt captionum, ad ſententiam diſputationem dirigere: eſt huiuſmodi, quoniam (ut perfecta hæc reddatur oratio) demonſtratum eſt, idem eſſe ad nomen, & ad ſententiam diſputationem dirigere, ſequitur genus captionum, quæ ad ſententiam referuntur, non eſſe diuerſum ab eo, in quo ad nomen dirigitur diſputatio, ſed idem eſſe. eademq; ratione quod ait, ſed aliæ ad nomen diriguntur, eſt huiuſmodi; ſed aliæ, hoc eſt aliquæ falſæ ratiocinationes ad nomen & ſententiam diriguntur, & tamen non omnes ad hæc referuntur. quod ait,

Neque omnes eius generis, non ſignificat omnes reprehenſiones huiuſmodi non eſſe, hoc eſt, ad ea quæ ſæpe diximus, referri: ſed apparentes reprehenſiones ad hæc non reuocari. hoc eſt, non ſolum aio, omnes omnino reprehenſiones dialecticas ad ea non referri, ſed etiam eas, quæ apparentes ſunt. Ex apparentibus enim reprehenſionibus aliæ nō ſunt in oratione, hoc eſt, ſunt extra uerba, cuius generis ſunt eæ, quæ ex accidente, & aliis modis oriuntur; quæ ad hanc diuiſionem non referuntur. ex quo fit, ut temeraria & ſuperuacanea ſit ab illis introducta huiuſmodi diuiſio, tanquam earundem rerum ſit, & ab ea etiam abſurda conſequantur.

QVOD SI quis putet, diſtinctione hac opus eſſe, dico σιγῶντα loqui, alia hoc modo, alia illo modo, hoc certe quidem primum uitioſum eſt putare. interdum enim rogatum non dicitur multis modis. fieri enim non poteſt, ut quis diſtinguat quod diſtinguendum non putet. deinde uitioſum eſt, aliquid docere: quandoquidem planum facturus eſt quæ ſit uis uocabuli ei, qui nec attendat, nec ſciat, nec exiſtimet id aliam uim habere.

Cum dixerit, fieri non poſſe, ut omnes fallaces concluſiunculæ ad eas, quæ ad nomen & ſententiam diriguntur, referantur, occurreritq; iis, qui forte aduerſantur, & ex diuiſione referri poſſe contendunt; docueritq; licet omnes referri poſſe concederemus, tamen eas quæ ad ſententiam pertinent, eaſdem quoque ad nomen pertinere: nunc reprehendit eos, qui per diuiſionem ponendam eſſe quæſtionem cenſent; & conantur eorum reiicere ſententiam. ait enim, ſi quis ita cenſeat dicendum, & interrogandum eſſe, licet ne σιγῶντα loqui: σιγῶντα uero, cum homo non loquitur, ſunt etiam ea, quæ ſilentur: (hoc enim ipſe declarat cum ait, alia hoc modo, alia illo modo, alia autem ita ſilent, ut uim loquendi habeant, nunc uero ſileant: alia ita, ut eis non ſit natura tributa loquendi ratio) ait inquam, ſi quis ita interrogandum putabit, eum non eſſe recte putaturum: quod ita exiſtimare indecorum ſit. In iis autem quæ dicuntur multis modis, forte poſſet aliquis per diuiſionem interrogare: at in iis, quæ multis mo

dis non dicuntur, qui nam poterit diſtinguere? quod enim is ipſe, qui ponit quæſtionem, non putat eſſe homonymum, ſed ignorat, id fruſtra diſtinguitur: ac potius impoſsibile erit diſtinguere. neque enim ita putat is, qui dialecticis rationibus inſtructus quæſtionem ponit. docentium enim eſt diſtinguere quot modis res dicatur. ut, exempli gratia, acutum dici in uoce, & in magnitudine: & acutam uocem eſſe hoc, magnitudinem eſſe illud. quare docentium eſt, res in partes tribuere. Præterea quoniam is, qui interrogationes facit, eo ſpectat, ut interrogatum ſeparet, uel decipiat, ſi diuiſione adhibita interrogarit, declarabit ei, qui reſpondet, quot modis res dicatur: qui quidem nec attendit, nec ſcit eam rem tot modis, & de tot, ac talibus rebus dici. cum enim declaratum ſit, quot modis σιγῶντα, hoc eſt ſilens, uel ſilentia, dicatur, & is qui reſpondet de ſilente reſpondeat, ſi is qui interrogat, orationem ad ea quæ ſilentur transferat, næ iſte & abſurdus, & perridiculus uidebitur.

PRAETEREA in ijs, quæ non duobus modis dicuntur, quid prohibet id contingere? ueluti ſint ne in quatuor unitates pares duabus? ſunt autem duo hæc hoc modo in quatuor, illa illo modo. &, ſit ne contrariorum eadem ſcientia nec ne? ſunt autem contraria alia ignorata, alia cognita. ex quo fit, ut qui hoc faciundum exiſtimat, aliud eſſe docere, aliud diſputare, ignorare uideatur. illud etiam, eum qui doceat, non rogare oportere, ſed planum facere: eum autem qui diſputat, interrogare.

Cum dixerit, quandoque effici, ut licet rogatum multis modis dicatur, non uideatur tamen, dici multis modis (quod autem non putat multis modis dici, quomodo diſtinguet is qui interrogat?) nunc quaſi ab illis trahit hæc uerba.

Præterea inquit, in iis quæ non duobus modis dicuntur, quid prohibet id contingere? quæ ita ſunt accipienda. qua ratione ductus o Ariſtoteles, dicis rogatum debere eſſe homonymum, ut ex diuiſione progrediatur interrogatio? hoc enim poteſt etiam in iis, quæ non duobus dicuntur modis, contingere: hoc eſt, ut ex diuiſione fiat interrogatio. Itemq́ quo nam modo poſsint ii, qui diuidunt ea, quæ non multis modis, ſed uno modo dicuntur, interrogare? id docet his uerbis, an unitates quæ in quatuor ſunt, pares ſunt duabus dualitatibus? hoc eſt, an quatuor unitates ſunt duabus dualitatibus pares? dico unamquanque unitatem non eſſe parem duitati, ſed quatuor unitates ſimul pares eſſe duabus dualitatibus. quod autem ait,

Sunt autem duo hæc hoc modo, illa illo modo: idem eſt, ac ſi dixiſſet, dico hoc pacto eſſe pares, illo non item. coniunctas enim quatuor unitates pares eſſe duabus dualitatibus, ſingulas uero unitates ſingulis dualitatibus non pares dico. Atque ut clarior etiam fiat oratio, ſic exponatur. quatuor unitates hoc modo ſumptæ, hoc eſt coniunctæ, pares ſunt duabus dualitatibus: hoc uero, hoc eſt unaquæque unitas unicuique dualitati, non item. ſi quis igitur inquiunt, interroget adhibita diuiſione, interrogauerit ille quidem, quamuis neque unitates, neque dualitates dicantur multis modis. deinde autem aliud exemplum adiungit huiuſmodi,

Sit ne contrariorum eadem ſcientia, nec ne? quod ita uiciſsim interrogari poterit: an cum contraria alia ignorata, alia cognita ſint, eadem eſt eorum ſcientia? quæ cum dixiſſet, addit,

Ex quo inquit fit, ut qui hoc faciundum exiſtimet, aliud eſſe docere, aliud, diſputare, ignorare uideatur. eum enim qui docet, non rogare oportet, ſed a ſe ſumere, & omnia diſcipulo explanare: at is qui ad uictoriam animum applicat, aut decipere ſtudet eum, qui contra diſputat, non item.

POSTREMO poſtulare, ut aias, uel neges, non eſt eius, qui rem demonſtrat: ſed eius qui periculum facit. experiundi enim ratio quædam pars dialecticæ eſt. itaque in rebus omnibus uerſatur, proponitq́ ſibi non doctum ſed ignarum, eumq́ qui rerum ſibi ſcientiam non eſſe ſimulat. atque is demum dialecticus eſt, qui ex re de qua agitur, ea ſpectat, quæ ſunt communia: qui autem hoc fallaciter facit, ſophiſta.

Refellit opinionem eorum, qui adhibita diuiſione interrogant, & ait, propoſitionem ita rogare, ut is qui reſpondet, cogatur aut etiam, aut non reſpondere (id enim ſignificat cum ait, ut aias, uel neges) non eſt eius, qui rē demonſtrat, ſed eius qui periculum facit, an is qui reſpondet, intelligat id, de quo rogatur.

rogatur. quinam igitur fieri poteſt, ut is qui periculum facit, diſtinguat, & doceat eum qui rogatur, id quod ſcire auet, aut ille intellexerit. Experiundi enim ratio non ita docet, ut res declaret: ſed eſt dialecticæ pars quædam, ut ante diximus: & ſibi proponit non doctum, ſed qui ſibi ſcientiam arroget, imperitus tamen fi.tis igitur, qui ex re communia ſpectat, dialecticus eſt. Ex eo autem quod ait, rationem experiundi eſſe partem quandam dialecticæ, declarat non idem eſſe rationem experiendi & dialecticen, ſed differre, & ita pergit earum differentiam exponere. & eum qui ex re de qua agitur, ea ſpectat, quæ ſunt communia, (appellat enim communia, quæ uel omnibus, uel plurimis, uel ſapientibus probantur,) dicit eſſe dialecticum: eum uero qui ex iis quæ probantur ei, qui reſpondet, concludit, dicit periculum facere. id enim deeſt in contextu: eum denique qui ex iis quæ probabilia uidentur, ſed non ſunt, ratiocinatur, appellat fallacem, & certandi ſtudioſum. quid autem fallax & certandi ſtudioſus differat, poſtea declarabit.

ATQVE etiam ſyllogiſmus litigioſus & fallax unus eſt, qui ea uidetur concludere, in quibus dialectica periculum facit, etiam ſi uera ſit concluſio. cauſam enim ne cognoſcamus, nobis inſidias parat. eæ etiam captioſæ concluſiones, quæ non ex ijs progrediuntur, quæ cuiuſque artis ſunt, ex arte proficiſci uidentur. nam uitioſæ deſcribendi rationes non ſunt litigioſæ: quandoquidem ex ijs, quæ arti ſubiecta ſunt, captiones progrediuntur. nec ſi qua uitioſe deſcribendi ratio in uero uerſatur, qualis eſt Hippocratis, cuius quadratum lunulis conficiebatur: ſed ſi ut Bryſo orbem in quadrati formam redigebat, ſic orbis quadrati figuram efficiat: certe quia non accommodate ad rem, ob eam cauſam eſt ſophiſticus.

Explicaturus eſt differentiam ſyllogiſmi litigioſi, certandiq́; ſtudio comparati, & fallacis: nunc uero utrunque pro uno & eodem ſumit: eumq́; diuidit in duos. unum ait eſſe ſyllogiſmum litigioſum, & captioſum, qui quidem ſyllogiſmus uideatur, ſed non ſit, qui etiam ex probabilibus concluditur, de quibus dialectice periculum facit. eſt autem is qui ex duabus aientibus in ſecunda figura aliquid concludit: aut ex duabus particularibus in quauis figura: aut alio quodã modo ex modis ratiocinariuis aliquid inducit: quo in genere Cæneus in ſecũda figura ex duabus aiẽtibus ignem eſſe in multiplicata analogia cõcluſit. cuius captionis hæc erat cõfectio, quæ in multiplicata analogia ſunt, celeriter augentur, ignis celeriter augetur, ergo &c. concluſio clara eſt. cuius uitioſa inquit, forma eſt, ea eſt uincendi ſtudio cõparata & fallax. quæ duo uerba pro eodẽ poſuit. Litigioſus. n. & ſophiſta idem eſt: inſtituto tamen differunt, ut dicet poſtea. hic igitur ſyllogiſmus nihil uidetur concludere, etiam ſi uera, aut falſa ſit cõcluſio. & cauſam affert, quam ob rem nihil concludat. habet enim medium terminum, qui eſt concluſionis cauſa, quem etiam hoc loco διὰ τί, hoc eſt cauſam nominat, inſidiis plenum. quanquam enim medius terminus in ſecunda figura uere dicatur de ambobus extremis, cum ambæ propoſitiones aientes ſumptæ ſunt, tamen eæ non ita erant ſumendæ, ſed altera aiens, altera negans adhiberi debuerat. quare inſidias inſtruit, ne cauſam cognoſcamus. itemq́; licet duæ particulares ſumantur, ut Pittacus ſapiens eſt, Pittacus eſt probus, ſapientes igitur probi ſunt: tamen occultatur hic quoque medius terminus, & tamen eſt uera concluſio. Neque enim ſi Pittacus ſit probus & ſapiens, etiam ſapientes probos eſſe neceſſario concluditur. igitur in quibus nunc ait dialecticam periculum facere, quod quo modo fiat, initio dictum eſt, in iis inſidias ſtruit ſophiſtice, cum ea ſcire ſe ſimulet. experiundi autem ratio contra eum ualet, qui ſibi rei cognitionem arrogat. ea fit ex iis, quæ omnino probabilia ſunt, uel ex iis quæ probantur ei, qui ſe putat rem intelligere: quod quidem argumentationum genus frequens apud Platonem inuenitur. Sophiſta uero ex homonymis, aut ambiguis, aut aliis eius generis progreditur. Ratiocinationes autem litigioſas duas eſſe ait, alteram de qua diximus, cuius forma uitioſa eſt: alteram quæ non progreditur ex propriis principiis artis propoſitæ: quæque cum non conſtet ex propoſitionibus ad eam artem accommodatis, ex arte proficiſci uidetur. hoc eſt uidetur proficiſci ex iis, quæ arti accommodata ſunt. quam ob rem falſæ deſcribendi rationes non ſunt litigioſi, ſed dialectici: quia ex propriis geometriæ principiis oriuntur illæ quidem, ſed deſcriptiones non ita fiunt, ut fieri deberent: de quibus primo uolumine Topicorum dictum eſt. ibi enim dixit ipſe, tum demum eum, qui uitioſe deſcribit, captionem facere, cum ſemicirculos deſcribit, non ut deſcribendi ſunt, & lineas producit, non ut ſunt producendæ. quare uitioſæ deſcribendi rationes non ſunt in iis, quæ certandi ſtudio adhibentur: quia ex propriis principiis fallunt, atque decipiunt. neque ſi qua uitioſe deſcribendi ratio in uero uerſatur, in iis habenda eſt, quæ certandi ſtudio comparata ſunt: qualis eſt ea, qua uſus eſt Hippocrates & Antipho, qui quadratum ex lunulis confecit: hi enim litigioſi non ſunt, propterea quod geometriæ principia ſeruant. at quadra-

tio, quam fecit Bryſo, ficta eſt, & ſimulata, in iiſq; numeranda, quæ certandi ſtudio adhibentur: quandoquidem non ex geometriæ principiis, ſed ex quibuſdam communioribus progreditur. ut enim deſcribatur quadratum extra circulum, & in circulo alterum, & inter utrunque quadratum, aliud quadratum conſtituatur, deinde dicatur, id quod inter utrunque quadratum eſt, eſſe circulum: itemq; quadratum quod in medio duorum quadratorum ſitum eſt, eſſe minus quadrato exteriore, & interiore maius, quæque eiſdem minora & maiora ſunt, paria eſſe, ita circulum & quadratum eſſe paria: efficietur ex communibus quibuſdam, quæ falſa etiam ſunt. ac communia quidem ſunt, quia & numeris, & temporibus, & locis, & aliis communibus accommodari poſſunt: falſa autem, quia octo & nouem ſunt maiores & minores quam decem, & ſeptem, & tamen non ſunt pares. itemq; qui concludit, uirtutes doceri poſſe, ea ratione quod quæ doceri poſſunt, cum prius non ſunt, nobis poſtea adueniant, & uirtutes non ſunt prius, ac poſtea nobis adueniant, uirtutes igitur doceri poſſunt, eſt litigioſus & fallax: ſiquidem accommodate ad rem non concludit: præſertim cum id in aliis multis dici poſſit.

ITA QVAE in his, uel illis rebus uerſatur ratiocinatio, etſi ratiocinatio eſt, tamen litigioſa eſt oratio. cum enim ad rem accommodata uideatur, fit ut fallax ſit, & iniqua. Vt enim ea, quæ in certaminibus uerſatur iniuſtitia, ſpeciem quandam præ ſe fert iuſtitiæ, eſtq; iniuſta quædam pugna, ſic contraria oratio iniqua eſt, ad litesq; ſpectat. quemadmodum enim illic omnes, qui ſibi uictoriam proponunt, ſic hic qui pugnaces ſunt, experiuntur omnia, atque ij quidem qui uincendi ſtudio eos ſe præſtant, homines litigioſi & amantes litium uidentur: qui autem oſtentationis, & quæſtus cauſa, ſophiſtæ. eſt enim ſophiſtice, ut diximus, quædam ratio quærendi opes ſimulatione ſapientiæ. itaque ſtudio eſt illis apparens demonſtratio. ſuntq; orationum earundem amantes ij qui uincendi ſtudio diſputant, & ſophiſtæ: ſed non eundem ſibi finem proponunt. eademq; oratio litigioſa & fallax eſt, ſed non eadem ex parte: ſed quia uictoriæ ſpeciem ſequatur, litigioſa, quia ſapientiæ, fallax nominatur. eſt enim ſophiſtice quædam ficta ſapientia.

Cum dixerit ratiocinationes certandi ſtudio comparatas duas eſſe, alteram cuius uitium in forma eſt, alteram quæ non ex propriis initiis eius artis, quæ tractatur, progreditur, progredi tamen uideatur, nunc eas coniungit, uel potius ambabus unum nomen imponit. Litigioſa autem oratio eſt, quæ in his, uel illis apparens eſt. appellat autem apparentem, cuius forma ſibi non conſtet, ſed uitioſa ſit. apparens autem quatenus ad rem pertinet, erit etiam cum forma recta ſit. quod ipſe declarat, cum ait, & ſi ratiocinatio eſt, quæ uideatur ex initiis rei concludere, non concludat tamen, ſed concludere uideatur, & litigioſa eſt, cur uero litigioſa ſit, docet. cum enim ad rem accommodata uideatur, fit ut fallax ſit & iniqua, & propterea ſophiſtica. nam ut in certaminibus curſorum iniuſtitia quædam eſt, cum curſores è conſtituta mera recte emiſſi ut ſtadium currant, ſe ſe impediunt; ita etiam in diſputationibus eſt iniuſta quædam pugna, & ad lites ſpectans, cum ii qui diſſerunt, operam dant, ut impedimenta iniiciant, ne id quod quiſque meditatus eſt concludatur. Vel quemadmodum in hoc certamine iniuſtitia quædam exiſtit ex eo, quod cum aliquis cæteris præcurrat, ſitq; alius, qui itidem procedat, & alius procedentem retineat, a curſuq; impediat, & prohibeat, (oporteret enim ambos currere, ut uideri poſſet, quiſnam excelleret) ita in diſſerendo non eſt danda opera, ut cum qui contra diſputat, fallaciis circumuentum afficiamus iniuria. quod ſi non fiet, tunc quis excellens ſit in diſputando iudicabitur. atque ipſe quidem his uerbis, quæ nunc declarauimus, tradit fallacis & litigioſæ argumentationis differentiam. neque enim hæ omnino eædem ſunt, neque omnino diuerſæ: ſed in eo quod hæ argumentationes fallaces ſunt, ad litesq; pertinent, & utræque ſunt factæ ex iis quæ uidentur, & non ſunt probabilia, ſunt eædem inter ſe: quia uero litigioſæ uictoriam ſibi proponunt, & gloriæ ab iis qui audiunt adeptionem, fallaces uero ad quæſtum & diuitias diriguntur, diuerſæ ſunt.

QVI AVTEM certandi ſtudio diſputat, is eſt quodammodo ita affectus ad dialecticum, ut is qui uitioſe deſcribit, ad geometram. ex iiſdem enim, ex quibus dialecticus, fallacem concluſionem effecit: quemadmodum is qui uitioſe deſcribit, ex iiſdem, ex quibus geometra. ſed hic non certandi ſtudium ſequi dicitur;

quod

quod ex principijs, concluſionibusq́; artis uitioſe deſcribit, ille ex iis, quæ dialecticæ tributa ſunt. in alijs uero eum uerſari, qui certandi ſtudium ſequitur, non eſt dubium: ut quadratio quæ lunulis efficitur, non eſt litigioſa, Bryſonis litigioſa eſt. atque illam non ad alias artes transferri licet, niſi ad geometriam, quod ex proprijs initijs efficiatur: hanc ad multos licet, qui quid in quaque arte effici poſſit, quid non poſſit, non intelligunt. apte enim transferetur. aut quemadmodum Antiphon quadratum efficere ſolebat. aut ſi quis neget ad multitudinem ſalubrius eſſe, a cœna deambulare, Zenonis ratione ductus: ea quoniam late patet, non eſt medicinæ.

Sumit hoc loco quatuor, litigioſum, dialecticum, qui tentandi ſtudio diſputat, & geometram: & ait, quemadmodum is qui uitioſe deſcribit, ad geometram cuius perſonam induit, & ex propriis geometriæ principiis ducit argumenta, affectus eſt; ita quoque litigioſus ad dialecticum eſt affectus. adiunxit autem quodammodo, quia dialecticus & ex iis quæ eſſe uidentur, & ex iis quæ uere ſunt, concludit: litigioſus uero ex iis quæ uidentur, & non ſunt, uerorum tamen ſpeciem præ ſe ferunt. Hic autem uerborum contextus non perfectus eſt, erit autem, ſi legatur hoc modo: Ex eiſdem enim fallacem concluſionem litigioſus efficit, ex quibus facit etiam dialecticus: quemadmodum is, qui uitioſe deſcribit, iiſdem principiis utitur, quibus geometra. ex eiſdem autem progreditur, quia & dialecticus, & litigioſus ex probabilibus argumentantur, ſed, ut diximus, dialecticus ex probabilibus & ueris, litigioſus autem ex probabilibus & non ueris id facit. quam ob rem is, qui uitioſe deſcribit, litigioſus non eſt; quod non ex iis quæ probabilia uideantur, & non ſint, ſed ex principiis & concluſionibus artis uitioſe deſcribat: litigioſus uero ex iis, quæ dialecticæ ſubiecta ſunt. In aliis uero diſciplinis uerſari eum qui certandi ſtudium ſequitur, & litigioſus eſt, non eſt dubium. neque enim ex geometriæ principiis orbem in quadrati formam conatur redigere: ſed ex quibuſdam, quæ latius patent: quemadmodum Bryſo facere ſolebat: cuius quadratio eſt litigioſa. quæ uero ex lunulis quadratum efficit, non litigioſa eſt, quod ex geometriæ principiis progrediatur. quocirca ad alias artes transferri non poteſt: quia huiuſce diſciplinæ principia ad aliam transferri non queunt. at Bryſonis ratio ad multa transfertur. Atque ipſe quidem in poſterioribus analyticis ſcripſit, Bryſonis rationes, quia late patent, idq́; probant, quod in alio reperitur, ad alia etiam, quæ cognata non ſint, accommodari. quibus enim Bryſo uſus eſt ad quantitatem, ea ad qualitatem adhiberi poterunt. quod hoc exemplo clarum fiet, ſucus & ouum ſunt niue nigriora, & calce candidiora: quæ uero eiſdem nigriora & candidiora ſunt, eodem modo ſunt candida: ita ſucus & ouum eodem modo candida ſunt. itemq́; pulegium & allium ſunt igne frigidiora, & oleo calidiora: quæque ſunt eiſdem calidiora & frigidiora, pari ratione calida ſunt: ita pulegium & allium ſimiliter calida ſunt. ex quo fit, ut Bryſonis ratio ad alia transferri poſſit tum, cum ii qui reſpondent, aut qui audiunt, ignari ſunt, & nihil intelligunt. Eſt autem hic ſubaudiendum, ex quibuſdam uere concludit impoſſibile, ex quibuſdam autem non uere. Vel ita etiam confirmabis id, de quo ambigitur, Antiphontis uidelicet quadratum quod ex lunis conficitur, non poſſe ad alia transferri: quod uero a communibus ſumitur, quale eſt illud Bryſonis, poſſe transferri ad multos contra diſputantes: qui quid in quaque re uere effici poſſit, quid non poſſit, non intelligunt. atque hoc ad multos apte transferetur, Antiphontis non item. itemq́; ſi quis concludat, non ſalubre eſſe a cœna deambulare, quia motus non ſit, ut concluſit Zeno, eius ratio non proficiſcetur a medicina: quia a nullis medicinæ principiis, ſed a communibus quibuſdam progreditur, quocirca ea poteſt etiam ad alia multa transferri: cuiuſmodi ſunt, non conducere in forum, aut gymnaſium proficiſci: quia non ſit motus. at ratio, qua dicitur, non eſſe deambulandum a cœna, ne uenæ cibos non concoctos ad ſe trahant, medicinæ eſt: & ad alia traduci nullo pacto poteſt.

AC SI NON *omni ex parte eandem habet rationem is, qui pugnaciter diſputat, ad dialecticum, quam is qui uitioſe deſcribit ad geometram, nunquam is qui pugnaciter diſputat, in illis uerſaretur. nunc dialectico ad differendum nullum eſt certum propoſitum genus, neque ad demonſtrandum. neque uero talis eſt, qualis uniuerſalis. neque enim poſita ſunt in uno certo genere omnia. nec, ſi ſint, iiſdem poſſunt initijs ea quæ ſunt ſubijci. itaque ars nulla earum, quæ certam quandam naturam oſtendunt, interrogare ſolet: propterea quod non licet alterutram partem dare: & quod ex utraque parte non efficitur concluſio. at dialectica interrogat.*

His uerbis cauſam affert, quam ob rem litigioſus in diſciplinis uerſetur. atque id fieri ait, quia non omni ex parte eandem habet rationem litigioſus ad dialecticum, quam is, qui uitioſe deſcribit, ad geometram, quod hinc perſpici licet. geometra enim, & is qui uitioſe deſcribit, ex eiſdem geometriæ principiis ratiocinatur: litigioſus & dialecticus non ex eiſdem, ſed dialecticus ex probabilibus, litigioſus ex apparentibus, quæ non ſunt tamen. quo fit, ut in eo, quod de omnibus rebus propoſitis & litigioſus, & dialecticus differunt, ſimilitudinem quandam habeant inter ſe: quod uero non ex eiſdem principiis, differant. Verum quonam modo litigioſo, ex eo quia is non omni ex parte eandem habet rationem ad dialecticum, quam is qui uitioſe deſcribit ad geometram, relinquitur uitioſe deſcribendi locus? an quia uitioſa deſcriptio ex probabilibus fieri non poteſt, ſed ex iis, quæ geometriæ uidentur, & non ſunt? ob eamq; cauſam nullus dialecticus conatur uitioſe deſcribere: ſed id litigioſo curæ eſt.

Nunc inquit, dialectico ad diſſerendum nullum eſt certum genus propoſitum &c. eſt hoc non diſſimilitudinis & uarietatis, ſed potius ſimilitudinis & conuenientiæ ſignum. nam & dialectico & litigioſo non eſt ullum certum genus propoſitum. Iam uero cum dixerit, dialecticum in nullo definito genere uerſari, & ita neque eum qui demonſtrat quid, quiq; concludit; ſed in rebus omnibus uerſari eum, qui ex probabilibus quod uult, efficit: ait,

Neque uero talis eſt, qualis uniuerſalis: in quo uniuerſalem appellat theologum. neque enim aut dialecticus, aut litigioſus talis eſt, qualis theologus. quamuis enim dialecticus uerſetur in eiſdem, in quibus uerſatur theologus, cum utrique in rebus communibus uerſentur: non tamen eodem modo progrediuntur. uerum theologus communia, & ea quæ per ſe ſunt, quia eadem cum rebus ſint, conſiderat; dialecticus uero & litigioſus in ſingulis uerſantur; & non ex iis quæ per ſe ſunt, ſed ex probabilibus, aut quæ probabilia uidentur, argumentantur. Ac dialecticen non eſſe unius certæ & definitæ naturæ, neque item litigioſam, quæ dialecticen imitatur, in primo topicorum dixit: hocq; etiam hic docet,

Neque enim inquit, poſita ſunt in uno certo genere omnia. hoc eſt, ſi id quod eſt, unum commune genus omnium eſt, fortaſſis unum eſſe diceretur: & ita dialecticam & tentandi rationem in uno certo genere uerſari: nunc uero cum genera decem ſint, non dicendum eſt, eas in una definita natura contineri. uerum inquit, etiam ſi id quod eſt, unum eſſet commune omnium genus, tamen ea quæ ſunt in rerum natura, non poſſent iiſdem principiis comprehendi omnia: quoniam principia alia aliarum rerum, & alia aliis ſubiecta ſunt: ac naturalium rerum initia ſunt materia, forma, & priuatio: geometriæ, lineæ, pūcta, circuli: medicinæ, ignis, terra, & media: & item aliarum rerum alia ſunt principia. quam ob rem licet id quod eſt, unum omnium commune genus eſſet, tamen quia ea in quibus dialectica uerſatur, quæ ſub id quod eſt, ſubiiciuntur, ſunt diuerſæ naturæ, quia eorum quoque differentia ſunt principia, ſequitur dialecticen non eſſe unius certæ naturæ, ac determinatæ: & ita ne litigioſam quidem, quæ dialecticam imitatur. id quod aliter etiam demonſtrat, quaſi ita ratiocinationem conficiens. artes quæ unius naturæ, uniuſq; ſubiecti ſunt, non interrogant: dialectica autem & tentandi ratio interrogant, igitur dialectica & tentandi ratio non ſunt unius certæ naturæ, neque unius ſubiecti definiti: propterea quod inquit, non licet alterutram partem dare: ex quo maiorem propoſitionem probat: eas uidelicet, quæ unius definitæ naturæ ſunt, uniuſq; certi ſubiecti non interrogare. & illud uerbum, dare, intelligendum erit, pro concludere, & ratiocinari. neque enim licet, aut non poteſt is qui demonſtrat, probare tres angulos trianguli (ſi id proponatur demonſtrandum) duobus rectis minores eſſe: aut diametrū eſſe lateri cōparabilē. Demonſtratio enim fit ex iis, quæ propria ſunt eius rei, quæ probatur, quæque per ſe ſunt, quia ea ſint, ut ipſe in libris de Demonſtratione diſſeruit. aliquid autem uere demonſtratur ex iis, quæ per ſe conueniunt. quare cum non poſſit etiam quis ex iiſdem concludere contrarium, non interrogat. qui enim interrogat, ita interrogat, ut paratus etiam ſit contrarium eius quod propoſitum eſt, concludere. uel dixit,

Dare, pro eo quod eſt concedere: & pro eo quod eſt, unum uere ſumere. ei enim qui demonſtraturus ſit tres angulos trianguli duobus rectis pares eſſe, non licet tanquam uero uti hoc, tres angulos trianguli duobus reliquis eſſe impares: quia non ex hoc, ſed ex eo, quod anguli trianguli duobus rectis pares ſint, demonſtrabit. uel quod ait,

Non licet alterutram partem dare, eſt par huic, non licet ei qui reſpondet, in demonſtratiuis utram uelit repugnantiæ partem concedere: propterea quod ratiocinatio, hoc eſt demonſtratio & ratiocinatio demonſtratiua non fit ex ambabus partibus. nam ſi geometræ propoſitum ſit, utrunque concludere, & tres angulos trianguli duobus rectis pares eſſe, & eſſe etiam impares, interrogabit, idq; adeo, ut ſumendo tres angulos duobus reliquis pares, concludat tres angulos pares duobus rectis eſſe: & ſumendo tres angulos non pares duobus reliquis, non eſſe pares inferat. Qui autem ueritatis ſtudio diſputat, non interrogat quod uult concludere: ſed ſumit ea, quibus uerum eſſe doceatur. quare non licet falſum pro uero proponere. & ita ſi interrogationes adhiberi ſolent in illis, in quibus licet alterutram repugnātiæ partem concedere, & in demonſtratiuis id non licet, certe in his interrogationi nihil loci relinquitur.

QVOD ſi oſtendit, ſi minus de omnibus, at certe de perſpicuis, & ſuis

initiis

initijs nunquam quæſtionem interrogat. ſi enim ea minus det, iam quæ ad reſiſtendum proferat, non habebit.

Cum dixerit, dialecticam in interrogationibus uerſari, & ob eam cauſam non eſſe demonſtratiuam, quod is qui demonſtrat non interroget, quia non concludat repugnantiam, ſed ſumat id, quod uerum eſt, nunc idem uerum probat, non demonſtrare dialecticum. ait enim, ſi demonſtret dialecticus, non interrogat. ac ſi minus omnia, at ſaltem prima, & propria principia. cætera uerba perfecta erunt hoc modo, ſi demonſtrat inquit, non interrogat. quid ita? nimirum quia non interrogat, ſed ſumit is, qui demonſtrat, ut dictum in analyticis eſt. quam ob rem uel nihil omnino interrogat, ſed ſumit ea, quæ propria ſunt, & accommodata ad id, quod demonſtratur, atque ita concludit. Vel ſi omnino interrogat, certe de primis, & propriis principiis non interrogat, & ex quibuſdam probabilibus concludit, & momentum affert, ut ea concedantur. nulla enim ſcientia de propriis principiis diſputat: ſed utitur ipſis principiis quaſi eiuſmodi ſint, & cætera concludit. dialecticum uero de propriis principiis argumentari perſpicuum eſt: omnis terminus una dimenſione minor eſt eo, cuius eſt terminus: quemadmodum punctus lineæ terminus una dimenſione minor eſt quam linea: quia lineæ una dimenſio eſt, punctus magnitudinem nullam habet, & dimenſionis expers eſt. quod uero ait,

Si enim ea minus det, iam quæ ad reſiſtendum proferat, non habebit: eſt huiuſmodi. nam ſi demonſtrans uſus fuerit principiis non tanquam ueris, ſed interrogarit, ut exempli gratia, an lineæ, quæ a medio ducuntur inter ſe æquales ſint, idq; neget is, qui reſpondet, certe non habebit, quibus etiam diſputet, & æquales eſſe doceat. nam ſi demonſtrationes ex primis & cauſis oriuntur, & principiis nihil eſt prius, profecto non habebit, quibus pares eſſe demonſtret. quam ob rem qui demonſtrant, non interrogant. cum igitur is qui demonſtrat, non interroget, dialecticus autem interroget, ſequitur dialecticum non demonſtrare. ſyllogiſmus in ſecunda figura fit hoc modo, Nullus demonſtrans interrogat, omnis dialecticus interrogat, concluſio clara eſt & perſpicua.

QVAE quidem & ratio tentandi eædem ſunt. neque enim ratio tentandi talis eſt, qualis geometria: ſed eiuſmodi. qua etiam inſcius præditus eſſe poſſit.

Cum dixerit dialecticam in multis uerſari, nunc ait rationem tentandi & dialecticen eſſe eaſdem: cum ipſa quoque tentandi ratio in multis uerſetur. Tentandi rationem appellat hoc loco, non quæ fieri ſolet in mathematicis; quandoquidem ea in illis ſolis efficitur: ſed aliam quandam uniuerſalem, quæ & in mathematicis, & in aliis etiam artibus reperitur: quæque dialecticæ perſonam induit: & quæ conatur de quacunque re propoſita perinde ac dialectica, non tamen accommodare ad ſcientiam diſſerere, quemadmodum facit ratio experiundi in mathematicis: ſed id efficit non uere, & ut ſors tulerit. ac eiuſmodi eſſe tentandi rationem perſpicuum eſt ex iis, quæ ſubiungit,

Neque enim inquit, tentandi ratio in uno uerſatur, quemadmodum geometria, ſed eiuſmodi, ut etiam indoctus habere cognitionem eius queat. quod ita intelligendum eſt: ſæpenumero quidam inter ſe periculum faciunt, ſeq; experiuntur, & rogant, ut is qui iniuriam paſſus eſt, eum qui ei fecit iniuriam, dedi ne tibi hoc, an non? feciſtin' hæc nec ne, quo loco inſcius conatur repugnantiam concludere.

POTEST enim etiam is, qui rem ignorat, ex inſcio periculum facere, ſiquidem concedit, non ex ijs quæ nouit, neque ex proprijs, ſed ex conſequentibus ea omnia, quæ eiuſmodi ſunt. ut eum qui ea teneat, nihil prohibeat artis eſſe expertem: eum autem qui neſciat, neceſſe ſit ignorare.

Confirmat id, quod antea dictum eſt, eum qui inſcius ſit, poſſe facere periculum. quemadmodum enim nonnulli artis expertes, & legum ignari iudicant, & de eo, de quo fit iudicium, periculum faciunt ad ueri ſimilitudinem, rationesq; afferunt, cum artem rhetoricam ne ſummis quidem labris guſtauerint, ita etiam faciunt qui argumentantur, & ſyllogiſmos faciunt. enimuero inſcius ignarum interrogans & ab eo ſumens aliquid, ratiocinatur, etiam ſi neſciat quid ſit ratiocinatio. ita inſcius ratiocinatur, & periculum ſumit ab eo, qui æque inſcius eſt: quandoquidem cum hic aliquid concedit, ille ex iis, quæ data ſunt, concludit: quod quidem eſt quodammodo ratiocinationes facere. ſunt enim quædam ita perſpicue aliquorum conſequentia, ut iis a reſpondente conceſſis, & ab interrogante ſumptis aliquid, quaſi concluſio, inferatur. id quod probabitur ei, qui uulgo animum adhibeat, & præſertim iis hominibus qui cum aliquibus uerſantur, & tum dant ipſi, tum uero admittunt rationes cauſa congreſſionis. quare totus horum uerborum ſenſus eſt huiuſmodi: licet ei qui repugnantiam (hoc enim ſignificat

quod ait, qui rem ignorat) licet, inquam ei qui repugnantiam ignorat, periculum facere ex eo, qui eam ignorat: ſiquidem concedit non ex iis quæ nouit, quaſi ſcientia prædiſtus, neque ex propriis ſcientiæ, ſed ex iis quæ late patent, & omnibus uulgata ſunt, quæ tenere etiam poteſt aliquis, & artem minime callere. quod etiam ita poteſt intelligi. nihil prohibet, quin is, qui nouit conſequentia rei, de qua periculum facit, artem ignoret: quo in genere ſunt medici, qui empirici nominantur. nihil igitur uetat, quin artem neſciat aliquis, ſed & ſcire, & neſcire contingit. nam qui neſcit conſequentia, neceſſario quoque artem ignorat. at dialecticus & conſequentia contemplatur, & artem nouit: quia is qui arte periculum facit, dialecticus eſt. qui uero artis ignarus nouit conſequentia is ad certandi & contendendi ſtudium pertinet.

ITA FIT, ut ratio tentandi nullius ſit certi generis ſcientia. itaque omnibus in artibus uerſatur. omnibus enim artibus communes quidam loci propoſiti ſunt. quocirca omnes etiam idiotæ diſſerendi, tentandiq́; ratione quodam modo utuntur: quoniam eſt quatenus omnes defendere, ac refellere conantur. atqui hæc ipſa late patent. quæ tamen ipſi tenent, etiam ſi de ijs ſine arte dicere uideantur. refutant ergo omnes, quod ea tenent ſine arte, quæ arte tractat dialectica: & qui arte diſſerendi ualet ad faciendum periculum, dialecticus.

Finem dicendi facit de eo, qui tentandi & experiundi ratione utitur, deq́; dialectico, & ait, quemadmodum dialectica non habet certas res, in quibus uerſetur, ita quoque tentandi rationem, quæ dialecticam quaſi refert, non habere: & ita eam in omnibus uerſari. deinde cauſam affert, quare omnia contempletur is, qui periculum facit. ait enim eſſe quoſdam communes, & omnibus cognitos locos, qui nulli certæ ſcientiæ ſubiiciuntur: cuiuſmodi eſt, hunc iniuria affeciſti nec ne? &, in huius familiaritatem intraſti, an non? ſi adulteratus es, hoc ſequitur: ſin minus, illud. atq; omnes quidem participes eſſe eorum, quæ communia ſunt, ſignum eſſe ait, omnibus eſſe quatenus defendere, ac refellere conentur. addidit autem quodam modo, ut declararet, licet hæc communia nota ſint omnibus, tamen non eadem ratione cognita eſſe. dialecticus enim nouit id quod rogatur, eſſe repugnantiam, ac neceſſe eſſe, alteram eius partem eſſe ueram. ſed plebei artis expertes interrogationes faciunt. De hac uero ratione tentandi, quæ artis expers eſt, dictum a nobis eſt in ea explanatione, quam in artem rhetoricam conſcripſimus. ita fit, ut quæ communia ſunt, licet ſcientiæ expertia ſint, & ſine arte dici uideantur, tamen multi ſciant, quamuis ii ſine arte ea cognoſcant. proferunt enim repugnantiam, ut ſæpe diximus, quam ex arte & ſcientia dialecticus intelligit.

QVANDO AVTEM hæc multa ſunt, & in rebus uerſantur, nec ſunt eiuſmodi ut intra certam quandam naturam, genusq́; conſiſtant, ſed ut negationes: alia autem eam uim non habent, ſed propria ſunt, licet & illis inſtructum periculum facere in omnibus, & ex ipſis artem quandam efficere: quæ non eandem uim, quam eæ artes, quæ oſtendunt, habebit. quapropter is, qui certandi ſtudio diſputat, non eandem uim continet omnino, quam is, qui uitioſo genere deſcribendi utitur: propterea quod non ex certis cuiuſdam generis initijs decipit, ſed certandi ſtudio in omnis generis diſputatione uerſatur.

Quoniam autem inquit, hæc communia multa ſunt; & in artibus ſcientiiſq́; omnibus reperiuntur, nec ſunt eiuſmodi, ut ad unam definitam naturam, unumq́; genus referantur, (quomodo enim adducerentur?) idcirco non ſunt determinata, ſed ut negationes, hoc eſt indeterminata: ſiquidem negationes determinatæ non ſunt; ea enim negatio, qua dicitur, non album eſt, indeterminata eſt. cum igitur quædam ſint communia, & indeterminata, quædam autem non communia, ſed propria cuiuſdam ſcientiæ: ex iis communibus poſſumus de quacunque re periculum facere: eſtq́; ars quædam, quæ ex communibus argumentatur in eo ipſo, quod congreſſus facit, & interrogat: & tamen talis non eſt, quales ſunt eæ, quæ ſcientiam gignunt. quod autem ait,

Quapropter is qui certandi ſtudio diſputat, non eandem uim continet omnino, quam is, qui uitioſo deſcribendi genere utitur: referri poteſt ad ſuperiora. dixit enim eum, qui certandi ſtudio diſputat, in multis uerſari, perinde ac facit dialecticus, & non habere eandem ſimilitudinem cum dialectico, quam

habet

habet is qui uitioſe deſcribit, eum geometra: & propterea in diſciplinis etiam uerſari. Erat hoc etiam accommodatum ad ea, quæ proxime dicta ſunt. eſtq; quod ait, huiuſmodi. is qui certandi ſtudio diſputat, non eandem uim habet cum dialectico, quam is qui uitioſe deſcribit cum geometra. quod ſi haberet, & in definitis & certis rebus uerſaretur, quemadmodum facit is, qui uitioſo deſcribendi genere utitur, non poſſet de quacunque re propoſita falſo concludere. nunc uero efficitur, ut decipiat, quód de rebus omnibus argumentetur.

SVNT igitur hæc fallacium reprehenſionum genera. dialectico uero eſſe hæc propoſita, cumq; hæc præſtare poſſe, hinc facile perſpici poteſt, quod rationi, quæ in propoſitionibus uerſatur, hæc omnis propoſita tractatio eſt.

Cum dixerit, quot ſint fallacium reprehenſionum genera, omniaq; ad reprehenſionis ignorationem redegerit, & reſtiterit etiam iis, qui reprehenſiones diuidebant, ut alias ad nomen, alias ad ſententiam relatas uellent, explicaueritq; differentiam litigioſæ & tentandi ſtudio comparatæ argumentationis, diſtinxeritq; litigioſum in ſophiſtam, & periculum facientem, & cuiuſque differentiam docuerit, nunc cum explicaturus ſit, quomodo ſophiſtæ coarguunt eum, qui falſa proponit, qui dicit ea, quæ ſunt contra opinionem omnium, qui nugatur, qui barbare loquitur; prius dicit, dialecticum poſſe has omnes captiones contemplari, eaſq; diſcernere, ac refutare. ſtatuere enim propoſitiones, eaſq; coniungere dialecticæ eſt. ſi hæc dialecticæ eſt, etiam fallaces concluſiunculas iudicare ad eam attinebit. ita dialectice uniuerſam fallacium reprehenſionum tractationem continebit.

AC DE FICTIS quidem, & ſimulatis reprehenſionibus diximus. ea autem pars in qua falſum aliquid oſtendere, & ad ea quæ contraria ſunt opinionibus omnium compellere inſtituunt ſophiſtæ. (Eſt autem hæc pars altera inſtituti ſophiſtarum) primum ex quodam interrogandi genere naſcitur maxime. interrogatio enim nulla certa conſtituta re de qua agatur, ad hæc exquirenda ualet. qui enim temere loquuntur, fere errant uehementius. temere autem dicunt tum, cum nullum certum genus propoſitum eſt, de quo diſputetur. multas etiam quæſtiones ponere, etiam ſi certum, conſtitutumq; ſit id, de quo diſputetur, & poſtulare, ut quæ alteri uideantur. dicat, id certe ad compellendum eum ad ea, quæ ſunt contraria opinioni omnium, & falſa, copiam argumentorum ſuppeditat. quod ſi is qui rogatur, aliquid horum concedat, aut inficietur, utile eſt eò loci eum compellere, ubi magna ſuppetat argumentorum copia. ſed nunc rarius quam antea, locus his captionibus datur: propterea quod ſtatim quærunt, quid hoc ad rem, de qua agatur, pertineat.

Principio huius operis dixit ſophiſtas quædam, numero quinque, inueſtigare, dare operam ut reprehendere uideantur, ut ad falſum compellant eum, qui contra diſputat, ut coarguant dicentem aliqua, quæ ſint contra opinionem omnium, ut barbare loqui cogant, poſtremo faciunt, ut nugetur is, qui reſpondet. De ea uero parte, quæ in eo poſita eſt, ut reprehendere uideantur, dictum eſt hactenus: idq; ipſe orationem concludens, & perorans declarat his uerbis,

Ac de fictis quidem & ſimulatis reprehenſionibus diximus.] Secundum autem, quod nunc aggreditur explanandum, eſt poſitum in eo, ut is qui contra diſputat, aliquid falſi dicere oſtendatur. id quod maxime naſci dicit ex quodam interrogandi genere: hoc eſt ex genere occulte interrogandi. neque enim quiſpiam redarguet eum qui reſpondet, ut falſa dicentem, ſi ſimpliciter interroget, ſed tum denique id uſu ueniet uel maxime, cum quodam modo, hoc eſt, occulte, & hoc quodam interrogandi genere id faciet. ponere enim quæſtionem non certam & definitam, & de ea interrogare, ad hæc exquirenda ualet plurimum: ut ſi quis probare uelit, honeſtum eſſe in foro uerſari, idq; quod ait, non determinet, ſed ita quodam modo occulte proponat, an quod omnino honeſtum eſt, id etiam quodam modo non eſt honeſtum. deinde ſi id concedat is, qui reſpondet, efficiet quod uelit is, qui ponit quæſtionem. cum enim id, de quo argumentari uult is, qui interrogat, definitum & certum non eſt, tunc ii, qui reſpondent, temere loquentes errant uehementius. Verum etiam ſi certa ſit, & definita

quæſtio, poterit tamen quiſpiam compellere reſpondentem ad ea, quæ ſunt contraria opinioni omnium, ſi multas quæſtiones ponat. Videtur autem ipſe uerborum contextus mancus eſſe: qui perfectus erit, ſi legatur hoc modo. multas enim quæſtiones ponere etſi id de quo diſputetur, certum, definitum eſt, ualet ad compellendum ad ea quæ ſunt omnium opinionibus contraria: & deinde corrigatur id, quod ſequitur hoc pacto, poſtulare ut is, qui reſpondet, dicat ea, quæ multis uideantur, niſi definitum ſit id, de quo quæritur, continet ſophiſtas, ut minus decipiant, etiam ſi multa interrogent. minus enim capietur aliquis, quam prius, cum incertum & ignotum eſſet reſpondenti id, de quo diſſeritur. at quomodo ait tunc rarius dari locum captionibus? quia ſi reſpondens nouit quæſtionem, ſi incommodo aliquo urgeatur ab eo, qui interrogat, ſtatim petit, & quærit quid hoc ad rem, de qua agitur, pertineat.

HOC AVTEM eſt quaſi elementum ad eliciendum aliquid, quod aut falſum ſit, aut ſententijs hominum repugnet: nullam ſtatim poſitionem in quæſtionem uocare: ſed profiteri ſe diſcendi cauſa quærere. dabit enim hæc ratio argumento locum. ad falſum autem oſtendendum proprius locus eſt ſophiſtarum. ad ea eum, qui contra diſputat, compellere, in quibus magna argumentorum copia ſuppetit. quod ut ſupra docui, & recte, & ſecus facere licebit.

Nunc iterat id, quod ſupra dixit, hic tamen clarius rem ipſam tractat, atque apertius, cum dicat eſſe initium, & quaſi elementum ad reprehendendum aliquem, qui aut falſum, aut paradoxum aliquod proferat, nec declaret uoluntatem ſuam; nec quæſtionem aliquam ponat, aut roget: ſed profiteatur ſe diſputare non periculi faciundi gratia, uerum interrogare, ut diſcat. nam ſi dixeris te diſputare diſcendi cauſa, magna tibi copia ſuppetet, qua eum minime animaduertentem quid futurum ſit, decipias. itemq; hæc eſt uia & ratio ad aliquem falſo reprehendendum accommodata, qua etiam ſophiſtæ utuntur. ponere enim aliquam quæſtionem, deinde eam omittere, ad aliaq; ſe conuertere, quæ non ſint ad eam quæſtionem neceſſaria, argumentorum autem copiam ei qui interrogat, ſuppeditent, ſophiſtarum eſt officium: hocq; & recte, & uitioſe facere licet. nam ſi ad ea, quæ propoſitæ quæſtioni neceſſaria ſunt, orationem traducant, recte facient: qui non ita faciunt, ii certe non recte translationem facere uidentur. quemadmodum enim in primo topicorum docuit quatuor de cauſis aliquem a propoſito recedere, uel ut occultet, uel propter magnitudinem & difficultatem, uel cauſa inductionis, ut quod uniuerſum eſt detur; uel ut apertiorem orationem faciat: ita ſi nihil horum fiat, huiuſmodi uitioſe erunt capta, & ſophiſtica erit diſputatio.

RVRSVS ut cogamus alterum aliquid concedere, quod ſit contra opinionem omnium, cuius ſectæ ſit is, qui contra diſputat, uidendum eſt. deinde interrogare par eſt, de eo, quod contra opinionem multorum iſti eſſe fateantur. ſunt enim ſuæ cuiuſque eorum opiniones. in quo multum ualet in propoſitionem diſtribuiſſe poſitiones ſingulorum. explicatio horum locorum apta eſt exponere id, quod contra opinionem omnium eſt, non ex oratione effici: quod ſemper ei propoſitum eſt, qui certandi ſtudio diſputat.

Cum dictum ſit quonam pacto is, qui reſpondet, compellatur ad fatendum aliquid, quod falſum eſſe uideatur, nunc docet, quomodo cogi poſſit quis, ut aliquid concedat, quod ſententiis omnium repugnet. ſi uis inquit, ut is qui reſpondet, dicat ea quæ ſint contra opinionem omnium, inquire, & uide, cuius ſit generis, aut ſectæ is, qui contra diſputat, & cuius philoſophiæ ſtudioſus ſit: ut ſit ne is peripateticus, an ſtoicus. ac ſi peripateticus ſit, perquire quænam illi dixerint, quæ ſint cæterorum opinionibus contraria, cuiuſmodi eſt illud, quinti corporis eſſe cœlum, & de eo interroga. deinde multos eò adducito, iis enim abſurdum id omnino, & eorum opinionibus contrarium uidebitur. Vnicuique autem ſectæ eſſe aliquas opiniones aliorum opinionibus contrarias, declarauit his uerbis:

Sunt enim inquit, ſuæ cuiuſque eorum opiniones. Fons autem & principium cogendi eum, qui reſpondet, ad concedenda ea, quæ omnium ſententiis repugnent, eſt, non ſimpliciter quidem, & aperte, ac perſpicue, & nulla adhibita occultatione proponere opiniones ſectarum quæ aliorum opinionibus ſint contrariæ: ſed eas in propoſitiones diſtribuere. quia enim ſi de eis aperte interrogarentur, fortaſſe propter multitudinem non concederent, debemus eas paradoxas opiniones eorum, cum quibus

diſputa-

diſputamus, quas illi ad multitudinem quaſi decreta ferunt,in propoſitionibus aſſumere. quam ob rem Stagirites noſter non modo in tradenda methodo fallaciarum auctorem præſtat, ſed etiam in explicanda fallacia multo grauiorem. ſi quis igitur,o peripatetice,te eo adducat, ut cum dicas cœlum eſſe quinti corporis, aliquid contra opinionem omnium & dixiſſe fateare; tunc certe habebis dicere,id neque ex tua oratione, neque ex tuis demonſtrationibus effici: ſed eo, quod multi ſunt aliorum ſententiis addicti. atque is quidem qui certandi ſtudio diſputat, uult ſemper uideri non ex ſe, neque ex eius reſponſione adductum eſſe, ut aliquid opinionibus omnium contrarium diceret: ſed id ex iudicio multitudinis eſſe factum.

IDEM concludi poteſt ex uoluntatibus hominum, & perſpicuis opinionibus. non enim eadem uolunt, & loquuntur homines: ſed cum oratione honeſtiſſima utuntur, tum ea, quæ utilitatis ſpeciem præ ſe ferunt, ſequuntur: uelut mori per decus magis, quam iucunde uiuere, aiunt oportere: & iuſte uitam per inopiam agere melius, quam in opum abundantia turpiter. at contraria ſequuntur. atque is quidem, qui in reſpondendo uoluntates ſequetur: ad claras opiniones reuocandus erit: is autem qui has ipſas, ad obſcuras, utroque enim modo ea, quæ ſententiis omnium repugnant, dicant neceſſe eſt: quoniam uel de perſpicuis, uel obſcuris opinionibus loquentur contraria.

Hoc etiam pertinet ad id, ut aliquis cogat eum qui reſpondet, ut dicat quæ ſint omnium opinionibus contraria. ait igitur, quoniam alia ſæpe uolumus, alia loquimur, & cenſemus, ut uolumus omnes diuitiis affluentes eſſe, firmam corporis habere conſtitutionem, & præclaram de nobis eſſe famam: cenſemus uero honeſtum eſſe, uitam duriter agere, infirmo corpore eſſe, efficitur, ut ſi cum aliquo diſputes, conſiderare debeas, an is ex multorum uoluntatibus diſputet: ut ſi dicat, ex multorum uoluntate honeſtum eſſe iucunde uiuere, honeſtum eſſe turpiter uiuendo parare diuitias: tu contra, ex claris opinionibus argumentare, & doce honeſtum eſſe temperantem eſſe, & moderatum, & per decus mori, & per inopiam integre uitam agere. (id enim omnibus uidetur) atque ita eum qui contra diſputat, compelles ad ea, quæ ſunt opinioni omnium contraria: qui ſi ex uoluntatibus reſpondeat, tu ei perſpicuas oppone: ſin autem ex claris opinionibus reſpondeat,tu contra, affer incertas & obſcuras,hoc eſt uoluntates. has enim opiniones & occultas & obſcuras habemus.

PLVRIMVM autem ualet ad exprimendum aliquid quod ſit contra opinionem omnium id, quod Callicles in Gorgia commemorat. atque etiam ueteres omnes ex eo quod naturæ, & quod legi conſentaneum eſt, id effici putabant. naturam enim legi repugnare, & iuſtitiam lege honeſtam eſſe, natura non eſſe. debet igitur ei, qui natura conſentaneum aliquid dixerit, lex opponi, & natura ei, qui legem proferet. utroque enim modo aliquid dicetur admirabile. hi autem uerum quod naturæ congruit, ſequebantur: quod autem legi, id multitudini probabatur. perſpicuum eſt igitur etiam illos, quemadmodum huius quoque ætatis homines, conatos eſſe uel refellere eos, qui contra diſputabant, uel coëgiſſe, ut aliquid, quod eſſet contra omnium opinionem concederent.

Proſequitur etiam dicere, quomodo compellendus ſit is, qui reſpondet ad dicenda ea, quæ omnium ſententiis repugnent: & ait locum eſſe accommodatum ad id efficiendum, ut argumentemur ex iis quæ naturæ, quæque legi conſentanea ſunt. id quod Callicles in Gorgia, atque etiam ueteres omnes faciebant. Plato enim in eo dialogo, qui Gorgias inſcribitur, facit Calliclem dicentem, iuſtitiam non eſſe honeſtam, & bonam,quod non natura,ſed lege ſolum bona ſit:nimiarum uero opum potentiam potius eſſe honeſtam, quod natura ſit. cur autem inquit,alias beſtias fortes, imbecillas alias fecit? eſt autem eis natura inſitum,ut rapaces ſint, & ſingulis earum non lege utentibus, ſed ſola natura duce ſit,ut minores a maioribus rapiantur,ac dilanientur. ii autem qui leges tulerunt,iuſtitiam honeſtam eſſe cenſue runt propter timorem, ex quo factum eſt, ut legem hominum timidorum inuentionem eſſe

dixerint. cum enim formidarent, ne potentiores eis inferrent iniurias, leges ſtatuerunt. ita inquit, ex iis, quæ naturæ, quæque legi congruunt, argumentaberis. ſi uero is, qui reſpondet, ex iis quæ legi ſunt conſentanea, argumenta ducet, tu contra, ex iis quæ naturæ. ſin autem ille ex naturæ congruentibus, tu ex iis quæ legi cõueniunt copiam ſumes argumentorum. hi autem ueteres, hoc eſt Callicles & alii ſophiſtæ uerum & honeſtum quod naturæ congruit, magis probabant; quod autem legi, id multitudini, & concioni probabatur.

SVNT autem interrogationes quædam, ad quas ſi in alterutram partem reſpondetur, admirabile quiddam exiſtit: ut ſit ne parendum ſapientibus, an parenti? & ſint ne ea quæ utilia ſunt, facienda, an quæ iuſta? & accipere iniuriam præſtat, quam facere. compellendus eſt autem is, qui contra diſputat ad ea, de quibus ſapientes a multitudine diſſentiunt, ita tamen, ut ſi quid dicat de ſententia ſapientum, ad uulgi opinionem: ſin quod uulgus probat, ad ſapientum ſententiam reuocetur. aiunt enim hi beatum iuſtum eſſe neceſſario: multitudini autem non probatur, regem non eſſe beatum. compellere autem ad ea, quæ hoc modo non probantur, idem ualet, quod ad legis, & naturæ repugnantiam reuocare. nam & lex uulgi eſt opinio, & ad naturam ac uerum orationem ſuam ſapientes dirigunt. atque ea quidem, quæ opinionibus omnium repugnant: ex his locis petenda ſunt.

Alium etiam locum tradit, cuius uſu compellere poſſimus eum, qui reſpondet, ad dicenda paradoxa. Sunt autem inquit, quædam interrogationes per repugnantiam adhibitæ, in quibus utram partem uelit, ſi reſpondeat is, qui rogatur, contraria opinionibus omnium dicere iudicabitur; perinde atque alteram partem contemnat. Sunt autem huiuſmodi interrogationes, in quibus uulgus a ſapientibus diſſentit: cum alteram partem uulgus, alteram ſapientes imitandam cenſeant. quod huius exempli appoſitione planum fiet. Vulgus cenſet parendum eſſe parentibus, ſapiens uero ſapientibus: & item, ſapientis opinione accipere, quam facere præſtat iniuriam. quam ob rem cum in quibuſdam interrogationibus is qui rogatur, reſpondere alteram repugnantiæ partem non poſſit, ſequitur, ut utram uelit reſpondendo improbabilia dicere uideatur. cuiuſmodi illa eſt, parendum ne eſt ſapientibus, an parenti? ſi dixerit, ſapiẽtibus: certe improbabile erit, patri non parere: ſin autem dicat parenti parendum eſſe, quid iam tandem cauſæ erit, cur non ſapientibus? quibus quidem fit rebus, ut ſi reſpondeat ut ſapientes dicunt, & melius eſſe affirmet, pati iniuriam, quam inferre: ad uulgi opinionem, quæ contraria eſt, reuocandus ſit. ſin quid dicat, quod uulgus probet, ad ſententias ſapientum compelletur. Atque id quidem idem ualet, quod ad legis, & naturæ repugnantiam reuocare. nam quod multi probant, id legi conſentaneum uidetur: ſiquidem lex eſt multorum opinio; quod uero ſapientes anteponunt, id & natura ipſa, & ueritas dictat.

NVNC ſequitur, ut quomodo nugari cogant ſophiſtæ, diſſeramus. ac quid appellemus nugari, iam diximus. omnes autem hæ argumentationes hoc ita facere uolunt, ſi uerbum dicas, an orationem nihil intereſt. duplum autem & duplum ſimpli idem ualent. ſi igitur eſt ſimpli duplum, erit ſimpli ſimpli duplum. rurſum ſi pro duplum, duplum ſimpli ponat, ter dicetur: eritq́; ſimpli, ſimpli, ſimpli duplum. & ſit ne cupiditas uoluptatis? hoc autem eſt appetitio uoluptatis, eſt igitur appetitio cupiditas uoluptatis uoluptatis. ſunt autem eius generis captiones in iis, quæ cum aliquo conferuntur: quorum non ſolum genera, ſed ipſa etiam cum aliquo conferuntur, & ad unum, idemq́; referuntur: ut cupiditas alicuius cupiditas, appetitio alicuius appetitio, & duplum alicuius duplum, & ſimpli duplum dicitur. itemq́; in iis, quæ in genere eorum, quæ cum aliquo conferuntur, non numerantur, & de natura alicuius dicuntur, cum interim eorum definitio naturam eis ſubiectam complectatur, & uno nomine in iis, quorum habitus & affectiones, & ſiquid ſimile per ſe de ſubiectis

ctis naturis dicuntur, ut impar numerus eſt, qui medium habet: eſt autem numerus impar: eſt igitur numerus, numerus qui medium habet. & ſi ſimitas naris eſt concauitas: eſt autem etiam naris ſima, eſt igitur naris, naris concaua. Sophiſtæ autem uidentur cogere nugari, nec cogunt interdum, propterea quod non ante quærunt, utrum (exempli cauſa) duplum aliquid, an nihil per ſe dictum, ſignificet: & ſi quid ſignificet, idem ne, an aliud; ſed continuo concluſionem efficiunt: quæ ſequi uidetur, quod nomen idem quod oratio declarare uideatur.

Sophiſtæ, ut ante diximus eò compellere conantur eum, qui contra diſputat, ut nugari uideatur. idq; ipſe uerbis ſuis docet. atq; ſupra dictum eſſe, quid ſit nugari: quod fecit initio huius operis, cum dixit, nugari eſſe, idem ſæpe iterare. quæ cum dixerit, addit:

Omnes autem hæ orationes hoc ita efficere uolunt: quod ita eſt intelligendum, omnes orationes, quas deinceps dicam, eò pertinent, ut quomodo cogatur quis nugari, doceatur. item quomodo uolunt cogere nugari. quod in illis fit, in quibus nihil intereſt, nomen ne, an definitionem dicas, quale eſt duplum, & ſimpli duplum, quæ eſt dupli definitio. quia enim duplum ad ſimplum dicitur, (nam cum ſit de iis, quæ ad aliquid ſunt, efficitur, ut id ipſum quod eſt, ad aliud referatur) ſi duplum per ſe dicatur, omnino ſimpli duplum eſſe intelligetur. quocirca ſi pro nomine, quod eſt magnitudo, duplum dixeris, & magnitudinem ſimpli duplam dixeris, nugatus eris. cum enim diceres duplum, idem declaraſti. nam ſi ſimplum in duplo intelligitur, ſi actu uerbum ſimpli dicas, bis ſimpli dixeris. quare ſi dicas duplum ſimpli, nihil aliud dixeris, quam duplum ſimpli ſimpli. ſemel enim intelligitur uerbum ſimpli, cum dicis duplum: alterum uero tu addis, cum duplum ſimpli profers. Præterea ſi pro duplo duplum ſimpli ponas, ter dicetur ſimpli duplum hoc modo, ſimpli, ſimpli, ſimpli, duplum.

Sunt autem inquit, omnes eius generis captiones in iis, quæ cum aliquo conferuntur. Nunc declarat, ex quibus fiant, & in quibus uerſentur eæ argumentationes, quæ nugari faciunt: eaſq; eſſe ait in iis, quæ cum aliquo conferuntur. quorum non ſolum genera, ſed ipſa etiam cum aliquo conferuntur: qualis eſt cupiditas uoluptatis cupiditas, quæ ex iis eſt, quæ cum aliquo conferuntur: itemq; eius genus appetitio, quæ eſt alicuius appetiti appetitio, in iis eſt. Præterea ait has captiones eſſe in iis, quæ non numerantur in genere eorum, quæ cum aliquo conferuntur, & de natura alicuius dicuntur: cum interim eorum definitio naturam eis ſubiectam contineat, & ut ſummatim dicam, in iis, quorum habitus & affectiones per ſe de ſubiectis naturis dicũtur: ut ſimitas eſt affectio, quæ per ſe de nare dicitur, & in eius ſumitur definitione, & res ſubiecta de qua dicitur, eſt naris. is enim qui hanc in nare ſimitatem definit, hoc definit modo, ſimitas eſt naris concauitas. quod ubi fecit, nugatus eſt: propterea quod, cum ſimitatem dixiſſet, etiam naris uerbum dixerat. at is aſſumpto naris uocabulo, bis naris, dixit. eius etiam generis eſt, numerus impar eſt qui medium habet. cum enim hæc ſit affectio, quæ de numero dicitur, ut cum impar definitur, etiam numerus adhibeatur, bis ſumptum eſt uerbum numeri: quia qui impar dicit, etiam numerum quodam modo dicit. re enim ipſa uerbum numeri adiunctum eſt. ita idem bis eſt dictum.

Sophiſtæ autem, inquit, uidentur cogere nugari, nec cogunt interdum. Sophiſtæ cum non uere reprehendant quenquam nugantem, uidentur ſæpe cogere nugari. quomodo autem id faciant, ipſe docet. neque enim interrogant eum, qui reſpondet, an arbitretur uerbum dupli per ſe ſine uerbo ſimpli prolatum aliquid, an nihil ſignificare. ac ſi forte dicat, aliquid per ſe ſignificare, non ante interrogant, utrum idem ſignificet perinde, ac ſi dictum eſſet ſimpli duplum, an aliud. uidetur ergo ſophiſta cogere nugari, quia nihil horum interrogat, ſed continuo concludit duplum ſimpli, ſimpli duplum. quod ſi is, qui reſpondet, rogetur, an duplum ſit uox ſignificans, aiat eſſe, iterumq; interrogetur, an ſumptum ſine uerbo ſimpli in ſe ſimplum comprehendat, idq; etiam affirmet, tũ proprie nugari arguetur, quia hæc faſſus eſt: ob eamq; cauſam uidetur reprehenſus, quia nomen idem eſt, quod definitio, idemq; ſignificat. quod quidem uſu uenit, cum nihil differt, ut ſupra commemoraui, utrum dicas. interrogationi autem, qualem diximus, an duplum ſine uerbo ſimpli pronunciatum contineat in ſe ſimplum, ita adhibenda eſt reſponſio: duplum per ſe potentia quidem ſimplum comprehendit, actu uero non comprehendit. ſi quis uero ita reſponderit, non coarguetur, quaſi eadem ſæpe dixerit.

SOLOECISMVS autem quid ſit, ſupra dictum eſt. fieri autem poteſt, ut is qui non facit, ſolœciſmum facere, & is qui facit, non facere uideatur: quemadmodum Protagoras dicebat, ὁ μῆνις, & ὁ πήληξ id eſt iracundia, & galea, maſculini eſſe generis. nam & qui οὐλομένην, hoc eſt pernicioſam dicit, is illius ſententia ſolœ-

cis

ciſmum facit, & alijs non uidetur: & qui ὀλέθριον, id eſt pernicioſum, uidetur ſolœciſmum facere, nec facit. ex quo perſpicuum eſt artem aliquam ſolœciſmum facere poſſe. itaque multæ orationes, quæ non efficiunt quod ſumitur, ſolœciſmum uidentur concludere, quod fit in reprehenſionibus.

Nunc docet de ſolœciſmo, in quo ſophiſtæ magnum ſtudium ponunt. quid autem ſolœciſmus ſit, dictum eſſe initio ſcribit. ſupra enim dixit, ad ſolœciſmum impellere, eſſe cum ſophiſtæ faciunt, ut is qui contra diſputat, barbare ex diſputatione loquatur. Committi ſolet ſolœciſmus tribus modis, primo cum quis uere ſolœciſmum facit, ut cum dicit, λαχὶς λαχῶ. deinde cum non facit, ſed facere uidetur, in quo genere argumentantur ſophiſtæ ad hunc modum: num quod tu dicis, id eſt? dicis autem lapidem eſſe, tum concludunt, ergo eſt lapidem. hoc quidem uidetur eſſe ſolœciſmus, non eſt tamen re uera: propterea quod ita fuerat concludendum, eſt igitur eſſe lapidem. poſtremo cum quis facit ſolœciſmum, nec uidetur facere, quod Protagoræ uſu uenit. hic enim τὸν μῆνιν, & τὸν πήληκα, id eſt iracundiam & galeam maſculini generis eſſe dixit: qui cum faceret ſolœciſmum, non facere tamen putabat: aliis autem facere uidebatur. ita uidebantur ei ſolœciſmum facere illi, qui τὴν μῆνιν καὶ τὴν πήληκα fœminini eſſe generis dicebant: cæteris non item. qui uero dicebant, iracundiam pernicioſum aliis barbare loqui uidebantur, non item uero Protagoræ. quibus tribus modis explicatis, ait perſpicuum eſſe, artem aliquam ſolœciſmum facere poſſe. quod ita intelligendum eſt, quaſi dicat, in ſyllogiſmo poſſe aliquem uere, & ficte ſolœciſmum facere. appellauit autem artem ſyllogiſmum, quod is arte & ratione, & non ut ſors tulerit, conficiatur. ac poſt quidem docet, aliquem oſtendere eum qui reſpondet, in ſyllogiſmo facere ſolœciſmum, non tamen uere. multæ enim inquit orationes, quæ non concludunt uerum ſolœciſmum, eum uidentur concludere.

OMNES autem ſolœciſmi ficti non ueri, fere ex illo pronomine hoc oriuntur: cum caſus nec uirile, nec muliebre nomen, ſed medium horum declarat. nam & hic uirile ſignificat, & hæc muliebre; at hoc neutrum uult illud quidem declarare, ſed tamen ſæpe utrunque illorum ſignificat. ut ſi quæratur, quid ſit hoc? & Calliope, lignum, uel Coriſcus reſpondeatur. ac maris quidem ac fœminei caſus omnes differunt: medii alij differunt, alij non item. quocirca plerunque cum illud hoc datur, hunc, quaſi illud dictum ſit, concludunt. itemq́ alium caſum pro alio. fallax autem concluſio propterea efficitur, quod illud hoc commune ſit multorum caſuum. quandoquidem hoc alias idem quod hic, alias quod hunc efficit.

Cum explicauerit quomodo quiſpiam ſolœciſmum faciat, nunc docet qua de cauſa id fiat. quod effici ait ex illo pronomine hoc. quod uero ait, cum caſus nec uirile, nec muliebre nomen, &c. oſtendit id quod dixit, ſolœciſmum fieri ex illo pronomine hoc. quaſi dicat, cum caſus neque maſculinum. neque fœmininum, ſed neutrum ſignificant, ſolœciſmum oriri. nam hic ſignificat maſculinum, ac fœmininum, hoc uult ipſum quidem neutrum ſignificare, ſed tamen ſæpe & maſculinum, & fœmininum declarat. quam ob rem maſculini & fœminini nominis caſus inter ſe omnes differunt: neque quiſquam in eis falli poterit, ut accuſatiuum pro datiuo, aut maſculinum pro fœminino accipiat. neutrorum autem alii differunt & inter ſe, & a maſculinis, & a fœmininis: alii nihil differunt. ex quo etiam factum eſt, ut grammatici dixerint in neutris rectum caſum, accuſatiuum, & uocatiuum eſſe eoſdem: quod illud pronomen hoc declarat. ſumitur enim id etiam pro maſculino & fœminino & in recto, & in quarto caſu. quocirca nonnulli falluntur, & ſolœciſmum facere uidentur. Cum enim hoc, ſæpe, ut in neutris fit, concedatur, ſophiſtæ hunc in maſculino concludunt. itemq́ ſi detur in recto, ad accuſatiuum transferunt, eademq́ ratione ſi in alio caſu conceſſum ſit, ad alium reuocant. quod unde fiat, docet: ex eo uidelicet, quod illud hoc eſt commune multorum caſuum. nam & hoc ſignificat Socrates, & hoc ſignificat Socratem.

SED uiciſſim declarare hoc debet, ſi cum uerbo eſt coniunctum ſit hic: ſin cum eſſe, hunc: ut Hipponicus eſt: Hipponicum eſſe. quod de fœmineis iudicandum eſt eodem modo, & nominibus ſupellectilium, quæ uirilium, uel muliebrium inflexionem habent. quorum enim O & N extremæ ſunt literæ, ea ſola ſupellectilis

lis

lis nominum inflexionem retinent: ut ξύλον, id eſt lignum: χοινίον funis. quæ autem non in eas literas deſinunt, maſculinorum, uel fœmininorum: quorum nonnulla ad ſupellectilem referimus: ut ἀσκὸς id eſt uter, nomen eſt maſculini generis: κλίνη id eſt lectica, fœminini. itaque in his etiam talibus nominibus eodem modo & uerbum eſt, & eſſe ſimilitudinem faciunt.

Cum dixerit, illud pronomen hoc, quod neutrum eſt, multa ſignificare, & maſculinum, & fœmininum, & diuerſos etiam caſus declarare: & ob eam cauſam ualere ad decipiendum, & faciendum, ut ſæpe homines ſolœciſmo uti uideantur: nunc uiam & rationem nos docet, qua fallaciam declinemus. ait autem, quoniam hoc ſignificat hic, & hunc, debes uiciſſim unicuique horum duorum cōiungere hoc, quod & cum eſt, & cum eſſe declarabitur. & ſi uis dicere hoc in recto, adde eſt. & dicito ſic, hoc eſt, ſin autem in accuſatiuo dicere uelis, adde uerbum eſſe, & dicito, eſſe hoc. quod in fœmineis & maſculinis nominibus eodem modo faciendum eſt. nam ſi per pronomen hoc uolueris ſignificare aut maſculinum, aut fœmininum caſum, accuſatiuos dicere debebis hoc modo, hoc eſt Coriſcum, hoc eſſe Calliopen: ſin per rectū caſum, hoc modo, hoc Coriſcus eſt. quod in nominibus ſupellectilis fit etiā eodē modo. Appellat autem nomine ſupellectilis neutra, quia inanimata ſunt. & tamen in eis ſunt etiam, quæ maſculini, uel fœminini ſint generis. ac proprie neutra ſunt, quæ in O & N deſinunt. ſimiliter etiam aliqua maſculina nomina inter inanima referimus, cuiuſmodi ſunt ἀσκὸς id eſt uter, & πρίων hoc eſt ſerra: & cætera eius generis: in quibus uel rectus caſus, uel accuſatiuus cognoſcitur, cum uerbum eſt, uel eſſe adiunctum eſt: ſiquidem uerbum ipſum adiunctum magnam facit differentiam.

ATQVE ſimilis eſt quodammodo ſolœciſmus in reprehenſionibus, quæ ex diſsimilitudine, aut ex forma euenire dicuntur. ut enim in illis ex rebus: ſic in his ex uerbis accidit, ut ſolœciſmus fiat, quod homo, & albus & res, & nomen eſt. perſpicuum eſt igitur dandam eſſe operam, ut ſolœciſmum ex ijs caſibus, quos expoſuimus, concludamus. ac genera quidem argumentationum, quæ certandi gratia tractantur, & generum partes, modíq; expoſiti ſunt.

Quodam modo inquit, ſolœciſmus ſimilis eſt iis orationibus, quæ ex forma orationis eueniunt. ut enim in illis ex rebus decipitur, ita in his ex uerbis accidit, ut ſolœciſmum faciat. illic enim ſophiſta interrogat, an non ſimili forma uerbi profertur uidere, & audire: certe, inquit is qui reſpondet. poſtea eadem eſſe concludit. at hoc perabſurdum: quia unum actionem, alterum paſſionem ſignificat. quocirca in iis facta eſt in uerbis reprehenſio. hic uero ex uerbis euenit, ut ſolœciſmus fiat. quod enim in recto eſt, ſophiſta in accuſatiuum transfert, & ita ex nomine fit ſolœciſmus. Ac reprehenſionem quidem quæ oritur ex forma, quadam ex parte ſimilem eſſe ſolœciſmo, perſpicuum fit eo exemplo, quod addit. homo enim inquit, & albus & res eſt, & nomen. quæ ſi quis, ut res, tractarit, ex hypotheſi faciet reprehenſionem ex uerbi forma: ſi ut nomina, ſolœciſmum. & tamen in homine & albo nemo faciet reprehenſionem eam, quæ ex ſimilitudine uerbi naſcitur, ſed in aliis. Ipſe tamen hominem & album exempli gratia poſuit, quaſi dixerit tale uel tale. & res ſunt, & nomina. quam ob rem ſi quis ea, ut res, ſumat, fiet ex ſimilitudine reprehenſio, ſi ut nomina, ſolœciſmus. Perſpicuum eſt igitur, inquit, dandam eſſe operam, ut ſolœciſmum ex iis caſibus, hoc eſt ex illo pronomine hoc, quod & accuſatiuum, & rectum caſum declarat, itemq; maſculinum, & fœmininum genus ſignificat, concludamus.

Ac genera quidem inquit, argumentationum, quæ certandi cauſa tractantur, & partes generum, modíq; expoſiti ſunt. ſupra docuit eſſe duo genera argumentationum, quibus ſophiſtæ utuntur: de quibus nunc iterum uerba facit: & ait, genera fallacium concluſionum eſſe ea, quæ expoſita ſunt. ac ſpecies unius generis, quod eſt earum captionum, quæ in uerbis ſpectantur, ſunt ſex, homonymia, ambiguitas, ac cætera quatuor. alterius uero generis, cuius ſunt fallaces rerum concluſiunculæ, ſpecies ſunt ſeptem, iam ſæpiſſime numeratæ: modi autem ſunt tredecim. nonnulli uero dixerunt etiam modos eſſe (non ſatis quidem, ut mea fert opinio, commode) ea quorum ſtudio conantur ſophiſtæ illud agere, ut uideantur reprehendere. ea ſunt ad aliquid falſum & quod contra opinionem omnium ſit dicentem compellere: & facere ut is, qui contra diſputat, nugetur. itemq; cætera, quæ diximus.

PERMAGNI autem intereſt ad occulendum, ut in dialectica, ſic hoc in loco, quemadmodum diſponantur ea, quæ ad interrogationem pertinent. his igi-

tur ita conſtitutis, deinceps de ijs loquemur. Ad reprehendendum quidem multum ualet prolixitas: propterea quod difficile eſt ſimul multa perſpicere. Vt autem prolixitatem aſſequamur, ab ijs locis, quos ſupra expoſuimus, præſidium petendum erit. Celeritas etiam in concludendo multum poteſt. qui enim tardi ſunt, minus res prouident. iam uero ira, & diſceptatio adiuuant: quoniam qui aliqua perturbatione animi commoti ſunt, minus uirium habent ad obſeruanda omnia. ad iracundiam autem impellemus, ſi alterum, qui nobiſcum diſputat, & nobis iniuriam uelle facere, & multo affici pudore docebimus. Iam utile erit uiciſſim interrogationes facere, ſiue ad eandem probandam, aut refellendam, cui multa argumenta ſuppetant, ſiue in utranque partem. Sic enim fiet, ut uno tempore uel plura, uel contraria defendat. atque uno uerbo, omnia quæ ualere ad occultandum, dicta ſunt prius, ad ea etiam, quæ certandi cauſa tractantur, ualent. nam & occulere latendi cauſa uolumus, & latere decipiendi.

Cum dicturus ſit, quemadmodum ſophiſta diſponit, & ordinat interrogationes ſuas, deq; hac re copioſius uelit differere, ait, queadmodum iis qui diſputant, magno adiumento eſt apte ponere quæſtiones, ut in dialectica, octauo libro topicorum oſtenſum eſt; ita etiam in argumentationibus, quæ certandi ſtudio tractantur, uſu uenire. Cum igitur adiuuet eum qui certandi ſtudio differit, hoc aut illo modo quæſtiones ponere, non incommodum uidetur de hac re aliquid dicere. diuerſi enim ſunt modi reprehendendi. unus eſt ut oratio producatur: propterea quod difficile eſt ei, qui reſpondet, mente conſtare, & omnia ſimul, & quaſi uno aſpectu proſpicere, & non ea concedere & dare, quæ uult is, qui interrogat.

Vt autem inquit, prolixitatem aſſequamur, ab iis locis, quos ſupra expoſuimus, præſidium petendum erit, &c. eſt enim perſpicuum, eum nunc ſignificare eos locos, eaq; elementa, atque principia, quæ octauo topicorum libro commemorauit. ea erant, interponere, & interrogare non ſolum cauſas conclusionis, ſed ea etiam, quæ cauſæ non ſunt: & orationem comparationibus, & exemplis uariare. itemq; hoc clarum fecit, eo quod paulo poſt adiungit, cum ait, omnino quæ ualere ad occultandum dicta ſunt prius, ad argumentationes etiam, quæ certandi cauſa tractantur, ualere plurimum. alter modus reprehenſionis eſt celeritas & feſtinatio interrogationum. ii enim qui reſpondent, cum tardi ſint, nequeantq; omnia diligenter conſiderare, in errorem inducentur. ſi enim moram interponerent, uellentq; accurate perpendere, dementes haberentur. tertius modus reprehendendi eſt facere, ut is qui reſpondet, iraſcatur, & iracundia corripiatur: quoniam inquit, omnes qui animi perturbatione commoti ſunt, minus poſſunt ſibi cauere. In quibuſdam etiam codicibus ſcriptum eſt omnia: ſicq; ita legatur, intelligitur, non poſſe eos qui irati ſunt tueri, & obſeruare omnia ea, quæ rogantur, & ita in errorem induci. ut autem cognoſcamus eos eſſe ira percitos, ſigna & elementa nobis ſic perſpicue demonſtrat, ut ſi alter ita rem tractet, non poſſit nobis eſſe dubium, quin iracundia commotus ſit.

Iam inquit, utile erit, uiciſſim interrogationes facere. Iam inquit, ad reprehendendum ualet uiciſſim quæſtiones ponere. qua de re & in ſecundo priorum, & in octauo topicorum dictum eſt copioſe. Valet autem inquit, ad efficiendam reprehenſionem, multa argumeuta ſuppetere ad eandem rem uel confirmandam, uel refellendam. docebit autem aliquis uoluptatem eſſe in bonis tum ex eo, quod ſecundum naturam ſit, tum ex eo, quod uoluptatem appetant omnia. ac non ſolum hoc ad reprehenſionem efficiendam ualet, ſed etiam utile eſt habere magnam copiam argumentationum, quibus in utranque partem diſputemus, ut uoluptatem eſſe in bonis eo, quod ſecundum naturam ſit, uel ex eo, quod ad eam omnia referantur: & non eſſe in bonis, quia ſit generatio in naturam ſenſilis: & quia ſit impedimentum, ne quis ſapiens efficiatur. Ita ſi magna copia argumentorum tibi ad utranque partem ſuppetet, fiet ut ei qui reſpondet, multa defendenda ſint, atque obſeruanda. is uero, cui multa defendenda, atque obſeruanda ſunt, perturbatur. quod idem de eo, qui contraria defendit, iudicandum eſt. is enim ipſe quoque contrariorum multitudine occupatus decipitur. & ut uno uerbo finiam, quæ octauo topicorum libro ualere ad occulendum dicta ſunt, ea ad argumentationes, quæ certandi cauſa tractantur, itidem ualent. & maxime inquit ualent hoc loco: quia qui certat, operam dat, ut decipiat, & captet. occultatio autem obliuionem gignit. ex obliuione naſcitur captio. ex quo perſpicuum eſt ea quæ ibi de occultando præcepta tradidimus, ad rem, qua de nunc agimus, ualere plurimum.

QVOD autem attinet ad eos. qui negant ea, quæ argumentationi prodeſſe

putant,

putant, ij interrogandi ſunt a nobis per negationem, quaſi contrarium efficere uelimus: aut etiam ex æquo facienda interrogatio eſt. cum enim dubium eſt, quod ſumere uelimus, minus ſe difficiles præbent. Iam uero ſi quis quaſi membratim concedat res ſingulas per inductionem, ſæpe id an in toto genere uere dicatur, non eſt rogandus: ſed eo, quaſi datum ſit, utendum eſt. interdum enim illi ſe dediſſe hoc putant, & auditoribus uidentur propter inductionis recordationem, quaſi illa non temere rogata ſint. in quibus etiam totum genus non ſignificatur, & appellatur ullo nomine, ſimilitudine utendum erit, quo ad res poſtulabit: propterea quod ſæpe latet ſimilitudo. Vt autem ſumamus propoſitionem, contrarium per comparationem quærere debemus: ueluti ſi concludendum ſit, patri in omnibus parendum eſſe, utrum in omnibus parendum ſit parentibus, an in omnibus non parendum? & illud ſæpe, ſint ne multa concedenda an pauca? multa enim potius, ſiquidem neceſſe eſt, tribuenda parentibus uidebuntur. contraria enim inter ſe compoſita, & comparata, & maiora, & magna, & deteriora, & meliora hominibus uidentur atque etiam cauillatio eorum qui interrogant, facit plerunque, ut ij, qui contra diſputant, refelli uel maxime uideantur: propterea quod cum nihil effecerint, tamen non uocant in quæſtione id, quod extremum, & concluſum fuit: ſed quaſi concluſerint, ita concludunt: non igitur hoc, & illud.

Quoniam ſæpe contingit, ut is, qui reſpondet, rogatus de quibuſdam quæ uideat prodeſſe interroganti ad confirmandum id quod uult, ea non concedit, ſed negat; idcirco Ariſtoteles docet, quomodo interrogare debeamus: atq; tunc debere nos per negationem interrogare. ut ſi is qui interrogat ſumere uelit, uoluptatem eſſe ſecundum naturam, neque ita interroget, num uoluptas ſecundum naturam eſt? ſed hoc modo, an non tibi uidetur, uoluptatem non eſſe ſecundum naturam? & cum neget, patebit eum dicere non: & tum dicendum erit, ſi uerum non eſt, uoluptatem non eſſe ſecundum naturam, profecto eam ſecundum naturam eſſe uerum erit. Vel etiam ex æquo facienda eſt interrogatio ut, an uoluptas ſecundum naturam eſt, an non eſt ſecundum naturam? cum enim obſcurum eſt, utrum horum ſumere uelimus, ſæpe fit, ut ii qui reſpondent, concedant id, quod uolumus, & minus proteruos ſe, ac difficiles in reſpondendo præſtent: quia quid nam uelit is, qui interrogat, non ſit perſpicuum.

Iam uero inquit, ſi quis quaſi membratim concedat res ſingulas per inductionem, ſæpe id an in toto genere uere dicatur, non eſt rogandus. Cum inquit, interrogans inductionem facit rerum ſingularum, & reſpondens aliquid concedit, & interrogaturus eſt uniuerſum, non debet illud interrogare, ſed ſumere per enunciationem quaſi id a reſpondētibus conceſſum ſit. interdum enim illi uniuerſum concedunt propter ſolam inductionem nulla facta uniuerſalis mentione: & auditoribus uidentur uniuerſale conceſſiſſe, propterea quod nec temere, nec ſine ratione facta ſit inductio: ut ſi ponatur omnem hominem eſſe rationis participem, dicendum erit hoc modo, Socrates non eſt rationis particeps cum homo ſit? Plato, & Alcibiades? etiam, inquit reſpondens; deinde nulla adhibita interrogatione concludendum eſt, omnis igitur homo eſt rationis particeps. ita.n. non erit difficilis reſpondens cum ſingula cōceſſerit.

In quibus etiam inquit, totum genus non ſignificatur, ſimilitudine utendum erit, quo ad res poſtulabit. quoniam is, qui in quibuſdam inductionem facit, non facile poteſt uniuerſum genus interrogare, quia nullo nomine appellatur: docet quomodo tunc quoque uniuerſum concludamus. & ait, in quibus non eſt ullum nomen, quod eorum ſimilitudinem comprehendat, ut in animalibus quadrupedibus (iis enim non eſt unum nomen impoſitum) ſimilitudine utendum erit, prout res poſtulabit hoc modo; quoniam capra, quæ cornua habet, non habet utrinque dentes, itemq; ceruus, & bos, ideo etiam omnia huiuſmodi ſunt. occultat enim interdum propter ſimilitudinem is, qui ita argumentatur. ac quidam etiam dixit, hæc uerba ita eſſe explicanda (in quo acumen ingenii Ariſtotelis maxime attigit) ut dicatur, in quibuſdam uniuerſum concludi & declarari nomine poteſt: in quibuſdam uero nomine declarari uniuerſum nullo pacto poteſt, ſed oratione. huiuſmodi ergo uniuerſum, quod non nomine, ſed oratione concluditur, quodq; interdum eſt ita, ut ei occurri poſſit, concludas, ut tibi roganti uſu fuerit. quod ſi tu inducas, ipſum dicito ut uerum, & quod ita ſe habeat: ſin alter id dicat, tu ei occurrere debebis. Sed hæc res exemplis declaranda eſt ita, ut intelligatur. atque ex nomine quidem infertur, & declaratur uniuerſum hoc modo: Socrates bipes, latos habens ungues, eſt ridens, itemq; hic, atque ille: omnis igitur

homo latos ungues habens ridens eſt.uiden' ut ex nomine hominis inductum ſit uniuerſum? cum uero nomine explicari non queat, dicesq́; pecudem terreſtrem quadrupedem non habere in utraque oris parte dentes,itemq́; ceruum,& capellam, & ita omnes beſtias cornigeras non habere in utraque parte oris dentes; quia corniger non nomen ſit, ſed oratio; ſimilitudine utendum erit, ut uniuerſale concludatur. quia enim hoc, & hoc, quæ habent cornua, ſimilia ſunt, ſequitur ut omne quodcunque habet cornua,ita eſſe inferatur. huic obiicere poſſemus, ſylueſtrem aſinum in India,ut ferunt, naſci cum cornibus, & in utraque parte oris dentes habere. ſed ſimilitudine utendum erit, quo ad res poſtulabit. ſi ipſe facias inductionem, dic ut ueritas, utilitasq́; poſtulat; ſin faciat alius, inducito aſinum illum ſylueſtrem,qui & cornua,& dentes in utraque parte oris habet. quod uero ait,

Propterea quod ſæpe latet ſimilitudo.eſt huiuſmodi.obſcurum eſt,orationem & ſimilitudinem, qua dicitur,quicquid habet cornua,non habet dentes in utraque oris parte,eſſe uniuerſum,cum talis non ſit: quandoquidem non uerum eſt,quicquid cornua habet,non habere dentes in ambabus oris partibus.

Vt autem ſumamus inquit, propoſitionem,contrarium per comparationem quærere debemus. Vtile etiam eſt ei, qui ponit quæſtionem ad ſumendam propoſitionem,non rogare illud ſolum, quod ſumere uult,ſed adiungere etiam illius contrarium:ut ſi uelit ſumere hanc propoſitionem, Patri in omnibus eſſe parendum, debebit ita coniuncte interrogare:utrum in omnibus patri parendum ſit,an in omnibus non parendum? itemq́; ſi ſumere uelit, ſæpe in multis parendum eſſe patri; id quoque a communi ſumendum erit, atque interrogandum: utrum ſæpe ſit in multis parendum parentibus, an in paucis. in quibuſdam autem non adiunctum eſt uerbum,concedenda, & quod dicitur,clarum eſt.ſi uero hoc uerbum adiungatur,ita ſumendum erit:utrum cõcedendum eſt,patri in multis parere,an in paucis? multa enim potius, ſiquidem neceſſe eſt,tribuenda parentibus,quam pauca,uidebuntur. Quæ cum dicta ſint,cauſam affert philoſophus,quam ob rem in propoſitionis interrogatione utile ſit,eius contrarium adhibere.ait enim;contraria inter ſe comparata, & maiora & magna, & deteriora,& meliora hominibus uidebuntur:quod idem ualet,ac ſi dixiſſet, contraria inter ſe comparata atque compoſita maiora uidentur.color enim albus apud nigrum ſi uideatur, magis albus uidebitur. Vt igitur in his ſit, ita etiam in iis,quæ ſupra diximus, fiet.hoc enim,parentibus in omnibus rebus parendum eſſe, probabilius uidebitur,ſi comparetur cum interrogatione,an in omnibus non parendum? quam ſi per ſe enunctetur hoc modo,utrum in omnibus parendum eſt parentibus.

Atque etiam inquit,cauillatio eorum,qui interrogant,facit plerunque ut ii,qui contra diſputant, refelli uel maxime uideantur.hic eſt horum uerborum ſenſus.Sæpenumero cauillatio eorum,qui interrogant,facit ut is,qui contra diſputat, maxime reprehendi uideatur. quod ait huiuſmodi eſt.qui interrogant,faciunt,ut maxime fieri uideatur reprehenſio:propterea quod cum nihil effecerint,tamen non uocant in quæſtionem quod extremum eſt:hoc eſt concluſionem:ſed enunciando, hoc eſt perinde ac concluſerint,ita concludunt.Sed quid cauſæ eſt,cur non concluſionem, ſed extremum in quæſtionem non uocari dixerit? an quia concluſio proprie dicitur ea,quæ per ſyllogiſmum,ac uiam,rationemq́; ratiocinatiuam efficitur.nam quod ita non efficitur,quo nam modo concluſio uocabitur? quod enim dicitur, quod eſt præter ens,eſt non ens:quod eſt non ens,nihil eſt:unum igitur eſt ens:id quidem extremum dici poteſt,quippe quod extremo loco inductum fuit:at concluſio non dicetur: eſſet autem per concluſionem efficiendum ſic, igitur ens non multa ſunt:non ergo finitum eſt ens.apparet enim te,tanquam demonſtraris, & demonſtratione ſis fretus, ita intuliſſe: ut etiam in propria demonſtratione illata eſt huiuſmodi concluſio, igitur media linea non eſt cum latere comparabilis. ſi uero interrogando ita inferas, an tibi ex iis non uidetur id quod eſt, eſſe unum, & non multa? certe uidebere interrogare, quod neque demonſtraris, neque fidem habeas tuæ demonſtrationi: ſiquidem is, qui demonſtrat,non interrogat.ſin uero demonſtratione utatur,reſiſtet fortaſſe is,qui reſpondet, & dicet eum non rite concludere,& abducet ab eo,ex quo eſt inducta concluſio.

ILLVD etiam ſophiſticum eſt, propoſita re, quæ ſit contra opinionem omnium, uelle id, quod uideatur, reſponderi, propoſito eo initio diſputationis quod probetur, de iis quorum ea uis ſit, quærere hoc modo: tibi ne uidetur? ſi enim in iis ſit interrogatio, ex quibus ſyllogiſmus efficitur, certe uel reprehendat alter, uel concedat id quod ſententiis repugnet, neceſſe eſt. ſi enim dederit reprehendetur: ſi non dederit, neque id probabile dixerit, aliquid quod ſit contra opinionem omnium dabit. ſi non concedat, probabile autem fateatur, incurret in reprehenſionem.

Sophiſticum etiam inquit eſt; propoſita re, quæ ſit contra opinionem omnium, petere ut id, quod propoſitum eſt, reſpondeatur. nam dixit, quod uideatur, pro eo quod eſt, quod propoſitum eſt. &

quo modo propoſitum petatur, ipſe explicans adiunxit: propoſito inquit eo initio diſputationis, quod probetur. quaſi dicat, cum propoſitio interrogata contineat id quod initio propoſitum eſt, patet peti ut reſpondeatur id, quod fuit propoſitum, ut propoſitum contra opinionem omnium eſt, iniuſtitiam eſſe beatitudinem, quod ſophiſtæ confirmare uolentes interrogant, & uolunt reſponderi ab eo, qui rogatur, id quod uideatur eſſe omnium ſententiis repugnans. ipſi uero ita quodammodo interrogant. tibi ne uidetur Archelaus rex beatus eſſe, an non? quod ſi concedat id, quod omnibus probabile eſt, Archelaum eſſe beatum, in hac propoſitione comprehendetur quod initio dictum eſt omnium ſententiis contrarium, uidelicet iniuſtitiam eſſe beatitatem. ita quoque in Platonis Gorgia facit Polus. is enim cum dixiſſet inferre iniuriam, & occidere eſſe in bonis, quod omnino eſt ſententiis omnium repugnans, idq; uellet probare, Socratem hoc pacto interrogat: Archelaus Perdiccæ filius Macedoniæ rex beatus ne tibi, an miſer uidetur? hic enim Archelaus cum omnes eius cognatos ſuſtuliſſet, & multa præterea ſcelera commiſiſſet, exortus eſt rex Macedoniæ. ita hac propoſitione, uideturne tibi Archelaus beatus eſſe, propoſitum ſententiis omnium contrarium, quod initio dictum eſt, continetur. quod quidem propoſitum Ariſtoteles dixit, propoſito eo initio diſputationis quod probetur. ac id quidem, quod initio propoſitum eſt, in ea propoſitione contineri perſpicuum eſt. nam ſi beatum eſſe eſt in bonis, Archelaus autem iniuſte agens beatus eſt, ut rebatur Polus, Archelaus hoc eſt iniuſtus, & iniuſte agere in bonis eſt. ex quo fit, ut qui petit ſibi reſponderi Archelaum eſſe beatum, quod propoſitum eſt, petat. nam dicere iniuſtum Archelaum eſſe felicem, idem eſt; ac ſi dicas, bonum eſſe res iniuſtas agere. quocirca in iis ita eſſe interrogandum cenſet: utrum tibi uidetur beatus ne, an miſer eſſe Archelaus? ac ſi is, qui reſpondet, dicat malum eſſe ſcelera committere, & Archelaum eſſe beatum, reprehendetur: quod non ſit malum, ſed bonum. ſin autem non concedat, neque id probabile dixerit, eum eſſe beatum: aliquid quod ſit improbabile & contra opinionem omnium dicet: quod multi fere beatum fuiſſe Archelaum dixerunt. ſi non concedat, & tamen aiat, probabile eſſe, illum uideri beatum, in reprehenſionem Incurret.

IAM QVEMADMODVM in arte rhetorica, ſic in ratione refutandi contraria elicienda ſunt, uel ex ſermone eorum qui contra diſputant, uel ex eorum, quorum dicta & facta honeſta eſſe concedunt: itaque ex eorum dictis, qui eiuſmodi, uel ſimiles habentur, uel ex plurimorum, uel ex omnium ſermonibus. iam quemadmodum ij, qui reſpondent, ſæpe cum refelluntur diſtinguunt, ſi futurum eſt, ut coarguantur; ſic ij, qui ponunt quæſtionem, hinc præſidium petere debent contra eos, qui reſiſtunt: ſi hoc modo efficiatur, illo non item, ſe hoc modo intellexiſſe, quod etiam Cleóphon facit in Mandrobulo.

Quemadmodum inquit oratores, (appellat autem Oratores eos, qui alicuius cauſam agunt, & tuentur,) dant operam, ut cogant eos qui contra dicunt, proferrre aliquid legibus, aut moribus ciuitatis contrarium: ita etiam ii, qui uolunt reſpondere, facere & conari debent ut is qui contra diſputat, aliquid dicat, quod propoſitioni, quam ipſe poſuerit, repugnet. hoc enim declarat ipſe cum ait, uel ex ſermone eorum, qui contra diſputant, uel ex eorum quorum dicta & facta hónesta eſſe concedunt. Quos enim bene dicere concedimus, eos, ſi contraria dicere docuerimus, reprehendemus. Atque etiam quod ait, quorum dicta honeſta eſſe concedunt. poteſt intelligi hoc modo. Si quis concedat Zenonem recte dicere cum negat motum, neque percurri ſtadium poſſe, conandum erit oſtendere, ex eius ſermone, effici ut, & motus ſit, & percurri ſtadium poſſit. quod contrariũ eſt Zenonis rationi, quẽ bene dicere cõceſſit. Itemq; inquit, danda opera eſt, ut doceamus eum qui reſpondet dicere contraria dictis eorum qui eiuſmodi uidentur. in quo appellat eiuſmodi, eos qui in ſingulis rebus excellunt, ut ſunt medici. ut quæ dicis, contraria ſunt iis, quæ bonis, aut prudentibus medicis, aut quæ omnibus, aut quæ plurimis, aut quæ certe ſapientibus uidentur: ut in Gorgia contra Calliclem facit Socrates. Eodemq; modo ipſe dixit, ut ſi medicus ſit reprehendendus, reprehendatur quód contraria medicis, muſicus, quod muſicis, geometra quod geometris pugnantia dicat.

Iam inquit, quemadmodum ii, qui reſpondent, ſæpe cum refelluntur, diſtinguunt, ſi futurum eſt, ut coarguantur: ſic ii, &c. Quod ait eſt huiuſmodi. Hæc oratio, ſcit hoc, multa ſignificat, unum, hoc animal habet ſcientiam, ut Socrates: alterum, hoc animal utitur ſcientia. (Aliud enim eſt habere ſcientiam neque ea uti, neque ei conuenienter quicquam agere: & aliud uti, & agere.) tertium huius eſſe ſcientiam. Dicere enim hoc ſcit, ueluti triangulum, idem ualet ac ſi dicas, huius ſcientia eſt, triangulum habere tres angulos duobus rectis pares. quapropter cum eius ſcientia ſit, & ſit etiam aliquid quod ſub ſcientiam cadat, id ſcire dicitur, non tamen quod ſcientiam habeat triangulum, quod cum ita ſit, ſi quis in-

terroget hoc modo, An aliquid ſcit, etiam, quod ſcit habet ne ſcientiam? certe. triangulum autem ſcit, ſcientiam igitur habet. Dicendum erit, ſcire non unum ſignificare. & hoc quidem modo accidere ut cum dicitur, hoc ſcit, habeat ſcientiã ſi de animali dicatur, ſin de triangulo, non item. Vel potius cum dicitur, hoc ſcit, accidit ut habeat ſcientiam: cum uero dicitur, eius eſſe ſcientiam, non accidit. & ſe dediſſe & conceſſiſſe, hoc ſcire, de eo quod habet ſcientiam: non quod eius ſcientia ſit. quæ ſi dicat is qui reſpondet, debebit etiam qui rogat, dicere ſe non rogaſſe de eo, quod eius ſcientia ſit, ſed de eo, quod ſcientiam habeat; & id ſumpſiſſe. Explicari illa uerba hoc modo poſſunt. Iam inquit, ii qui reſpondent, ſæpe cum refelluntur, in concluſione non concedunt, ſed cõtendunt ut ipſi in alia ſignificatione propoſitionem dent: in alia concludat is qui interrogat. ex quo fit, ut cum reprehenduntur, diſtinguant illud nomen, in quo ſunt reprehenſi. & aiunt ſe hoc dare. Veluti ſi de cane diſſererent, dicat alter canem facere æſtus, conaretur is qui interrogat eum reprehendere, & orationem ad terrenum canem transferret: tum certe is qui reſpondet, diſtingueret canis ſignificationes. Quemadmodum igitur ii qui reſpondent, faciunt cum redarguuntur, ita etiam facere debent ii, qui interrogant & cum redarguuntur dicere debent contra eos qui reſiſtunt, ſe ita accepiſſe, ſi exempli cauſa, de cane ſit diſceptatio, & is qui reſpondet, eum gignere æſtus fateatur: ſi futurum eſt ut is qui interrogat, refellat eum, qui reſpondet, debebit eum eo producere, ut oſtendat eum de cane terreno uerba facere, cum ab eo gigni æſtus dicit.

ATQVE etiam a propoſito aberrantes, reliquas argumentationes concidere debemus. Quod ſi is qui reſpondet, præſentiat; ei occurrendum, & prædicendum erit.

Quoniam ſæpe uſu uenit ut ii qui reſpondent utantur munere eorum qui interrogant; (cum enim aliquis propoſitionem rogat quæ ad ipſius interrogantis propoſitum confirmandum ualeat, tum ii qui reſpondent contra eam propoſitionem argumenta dirigunt, & quædam rogant, quibus ſe eam propoſitionem rogatam falſam eſſe putant oſtendere.) ait eum qui propoſitionem interrogat, aberrare ab ea ratione quæ propoſitionem eſſe falſam docet: id quod Callicles fecit. Hic enim cum propoſitionem falſam rogaſſet, Socratesq́; uellet eam reprehendere, ac falſam eſſe demonſtrare, aberrauit a propoſito, dixitq́; Socrati, ſe quid diceret, nihil intelligere, alium rogaret. Aberrare igitur a propoſito debemus, cum cognoſcimus inde magnam argumentorum copiam reſpondenti ſuppetere, quibus docere poſſit propoſitionem falſam eſſe: & reliquas argumentationes concidere, quod ſi ille præſentiat nos aberrare & recedere a propoſito, debemus prædicere, nos a propoſito non aberrare, quem ad modum Callicles fecit, roga tu inquit, hæc pauca, & breuia, tantum non dicens quid a propoſito recedere opus eſt, cum ita facile refelli poſſint, & imperfecta ſint ea, quæ rogas? Vel quod ait, eſt eiuſmodi. Cum res propoſita pluribus uerbis concludatur, quia breuibus cõcludi nõ queat, (facile enim deprehenditur id, quod ex paucis concluditur) aberrandum eſt a propoſito, hoc eſt, debemus omittere prolixitatem in dicendo, & præcidere reliquas argumentationes. ſique alter præſentiat quid futurum ſit, occurrat, & dicat illud non eſſe concludendum, prædicere debemus, non ne hoc & illud ante conceſſiſti? Huius generis multa inueniri poſſunt apud Platonem, ſed aptior eſt, ut ego puto, prior explanatio. Ac diſtinguere quæ prius conceſſa, & oſtenſa ſunt non ad ſophiſtam quidem, ſed ad dialecticum pertinet. Atque is qui diligentius & accuratius ſcire uult, quonam modo is qui reſpondet, aberret a propoſito, & argumentationes concidat, primum politiæ Platonis librum legat. In eo enim Thraſymachus ſophiſta diſputans & præuidens quænam ſit futura concluſio, reſpondere non uult, ſed interrogantis officio functus argumentationem concidit. Ita enim in eo libro ſcriptum reliquit Plato: Quoniam hic Thraſymachus a propoſito aberrare propoſuit, hoc eſt reſpondere declinat, dic mihi, inquit, o Socrates. & cætera quæ ſequuntur. deinde addit, quæ cum dixiſſet uoluit diſcedere: & aberrare a re propoſita. cumq́; ii qui aſtabant, dixiſſent, curabis, itemq́; Socrates rogaſſet, cur recederet, & id quod dicebat, non probaret ita eſſe: Tum Thraſymachus, non diſcedo, inquit. (hoc enim ualet quod ibi ait Thraſymachus.) Nam inquit, ſi iis quæ dixi, non perſuaſi, qui tibi perſuaſero? quaſi dicat, quomodo aberro, & argumentationes concido, qui eiuſmodi dixi, quæ & perſuaderi & probari poſſent ei, qui ea non accuſaret.

INTERDVMQVE ex ijs quæ ſunt aliena a propoſito, argumenta ducere licebit, ſi quis ex eo de quo agitur, argumenta non poterit ſumere. quod Lycophron fecit, cum lyram laudandam ſuſcepiſſet.

Fallax etiam & captioſum eſt, non dirigere argumentationes ad rem quæ propoſita eſt, ſed orationem eo transferre, quo ad probandum, uel refellendum magna argumentorum ſuppetat copia: id quod Protago-

Protagoras apud Platonem facit in cognomine dialogo, qui cum fabulas quaſdam narrat, tum de uerſibus poetarum uerba facit, in quibus abundare argumẽtis poterat. Quamobrem uel ait nos debere diſputationem eo deducere, ubi multa argumenta nobis ſuppeditentur; uel ad aliquid, quod a propoſito alienum ſit. ut ſi propoſitum ſit, philoſophum eſſe curioſum, idq; concedat is qui reſpondet, & intelligat de eo, qui diligens eſt & ſtudioſus in rerum natura inueſtiganda: debemus curioſitatem illam & curioſum in cupidum negociandi commutare hoc pacto. Philoſophus eſt curioſus, curioſus eſt cupidus negociandi, cupidus negociandi amore pecuniæ ducitur: Philoſophus igitur amore ducitur pecuniæ. ſed hoc eſt falſum. illud etiam, philoſophum eſſe curioſum, falſum eſt. quod Callicles etiam fecit. Cum enim Socrates oſtendiſſet, turpius eſſe facere iniuriam quam accipere; Callicles ad aliud orationem tranſtulit hoc modo. natura quidem inquit turpius omnino eſt iniuriam pati, lege autem, inferre. & tamen homines nequam & timidi leges ſtatuunt, & quod ii ſtatuunt, eſt malum: quod cum natura facit, non huiuſmodi eſt. igitur iniuriam facere non eſt malum. Quocirca orationem transferre debemus ad aliud, quod a propoſito alienum ſit: quemadmodum facit etiam Iſocrates. Cum enim Helenam per ſe laudare non poſſet, eius amatores celebrat: & ita laudationem in eam conuertit: quam enim Heroes adamarunt, quinam poterit non eſſe digna laudibus? Atque etiam ſophiſta Lycophron cum Lyricos poetas laudibus extolleret, ad lyram laude afficiendam ſe conuertit. Vel potius, cum a nonnullis ei iniunctum eſſet, lyram ut laudaret, cum non ei ſuppeteret ſatis magna copia, parum admodum hanc quam cernimus lyram laudauit; deinde ad cœleſtem lyram gloria & prædicatione efferendam aggreſſus eſt. Eſt enim in cœlo aſtrum quoddam ex multis aſtris concretum & compactum, cui lyræ nomen eſt: cuius nomen ampliſſimis & ad eam rem accommodatiſſimis uerbis Lycophron illuſtrauit & celebrauit.

QVOD uero ad eos attinet, qui aliquid argumentis probari uolunt, quoniam placet cauſam afferri oportere; certe quibuſdam poſitis, minus tutum eſt ad defendendum id quod uniuerſum eſt, in reprehenſionibus, affirmare, ſequi repugnantiam ut quod affirmarunt negare eos, aut quod negauerint concedere. quale illud eſt, eandem in contrarijs artem uerſari, aut non eandem. Concluſiones autem quæri non debent more propoſitionum. Et quædam quærenda non ſunt, ſed pro conceſſis accipienda. Atque ex quibus interrogationes conſtant, & quemadmodum interrogandum ſit, certando dictum eſt.

Sæpenumero ii qui reſpondent, neque omnino negant, neque omnino concedunt eas propoſitiones, quæ proponuntur ab iis, qui interrogant, ſed petunt ut ii qui eas ponunt, demonſtrent, & æquum eſſe cenſent auditores, ut cauſa afferatur, quamobrem ita ſit, ut ipſi rogauerint, & non contra ſe res habeat, ut quid cauſæ ſit cur animus moueatur, potius quam non moueatur, ſæpenumero inquam ii qui reſpondent, petunt, ut ii, qui rogant, probent propoſitiones ab eis rogatas, & propoſitas. hoc ita fit, ut reprehenſionem ad uniuerſum non eſſe dirigendam cenſeat: cum ei facilius reſiſti poſſit. ſi quis, enim interroget hoc modo, tibi ne uidetur eadem eſſe ſcientia ualentis & imbecilli? is uero qui reſpondet, dicat, non eſſe: & petat ab interrogante, ut propoſitionem ſuam probet. eueniet inquit, ut is qui interrogarit, probet propoſitionem, quæ non ita eſſe putatur, & demonſtret propoſitionem, & hoc modo dicat: concinni & inconcinni eadem ſcientia eſt, itemq; acuti & grauis, muſice uidelicet. paris quoque & imparis. eſt enim eorum ſcientia arithmetica. dimenſi itidem, & non dimenſi geometria eſt. quare omnium contrariorum eſe eadem ſcientia. ita ualentis & imbecilli eſt eadem. occurretur enim uniuerſo; & dicetur cogniti & incogniti, quæ contraria ſunt, non eſſe eandem ſcientiam. & ita non eſſe eandem omnium contrariorum ſcientiam: ſi non omnium, neque etiam ualentis & imbecilli. Quid enim prohibet, cum cogniti & ignoti eadem ſcientia non ſit, ita etiam ualentis & imbecilli non eandem eſſe? Ex quo fit, ut non uniuerſum genus, ſed partes reprehendendæ ſint hoc modo. Si non eſt eadem ſcientia ualentis & imbecilli, certe neque paris & imparis erit eadem. uerum paris & imparis eadem eſt, ualentis igitur & imbecilli eadem erit; & non eadem, ut tu ais. quamobrem ſimul uera erit repugnantia: & quod non eſſe dixiſti, id erit & non erit. Atque hæc eſt uerborum ſententia. Quod uero ait certe quibuſdam poſitis minus tutum eſt ad defendendum id quod uniuerſum eſt in reprehenſionibus &c. eſt perobſcurum. & quod illud uerbum certe, redundat in oratione: & quod nonnulla deſunt. Eſſet autem clarum, ſi ita legeretur, certe quibuſdam poſitis minus tuta eſt ad defendendum uniuerſalis concluſio in reprehenſionibus, dicere ſequi repugnantiam. eritq; quod ait eiuſmodi. quorundam poſitorum, ut congruentis & non congruentis, paris & imparis eadem ſcientia eſt: his inquam poſitis minus facile & tuto reprehendi poteſt is, qui reſpondet. Nam quod ipſe ait, in reprehenſionibus.

dixit pro eo quod eſt,ſi reprehendere uelimus.his uero ita conſtitutis ſani & ægri eadem eſt ſcientia. & non eſt eadem, ut tu cenſes. quocirca ſimul uera erit repugnantia. Minus igitur tutum eſt ad defendendum dicere, ueram ſimul eſſe repugnantiam, quam dicere uniuerſum ſequi. hoc eſt, dicere,his poſitis ſequi id quod uniuerſum eſt. Vniuerſum autem eſt huiuſmodi, omnium contrariorum eſt eadem, uel non eadem ſcientia. Concluſiones autem inquit, quæri non debent. more propoſitionum,& quædam quærenda non ſunt, ſed pro conceſsis accipienda. Atque ex quibus interrogationes conſtarent, & quemadmodum interrogaremus certando dictum eſt. Quæ nunc dicit, utraque ſuperius expoſuit: ea tamen nunc clarius explanat.In quibuſdam inquit concluſio non proponenda eſt more propoſitionum, hoc eſt per interrogationem, ſed more concluſionis. Quod uero ait, Et quædam quærenda non ſunt. nonnulli ita accipiunt, ut de concluſionibus ſit dictum,non debere interrogari concluſiones: ſed re uera,hoc dictum eſt de propoſitionibus: quædam enim propoſitiones ſunt,quæ non quærendæ,ſed pro conceſsis accipiendæ ſunt.

DEINCEPS de reſponſione, & quemadmodum argumenta explicanda ſint, & quid ſit diſcutiendum, & quis ſit horum argumentorum uſus dicendum eſt. Valent quidem ad philoſophiam duabus de cauſis: primum quod cum fere ex uerbis naſcantur, faciunt, ut quot modis quidq; dicatur, & quæ ſimiles ſint, quæ diſsimiles res, & uerba facilius intelligamus. Deinde ualent ad quæſtiones, quas quiſque per ſe tractat. Qui enim facile capitur ab alijs, neque id ſentit, id etiam ſæpe ei per ſe res conſideranti accidit. Poſtremo ualent ad opinionem, quod in rebus omnibus exercitati, & nullius imperiti uidemur. Nam ſi ita quis diſputet cum altero, ut argumenta refellat, neque eorum uitia poſsit exponere, is alijs opinionem affert, ſe non a ueritate coactum, ſed imperitia ductum, iniquum eſſe in diſputando. Quo autem pacto ij qui poſcunt quæſtionem, armati eſſe debeant, ut his talibus argumentationibus poſsint occurrere, facile intelligi poteſt, ſi modo recte ſupra expoſuimus, ex quibus fallaces concluſiones conſtarent, & interrogationes nimiæ, ſatis explicauimus.

Interrogationes fallaces tredecim modis, quos expoſuimus fieri, dictum a nobis ſupra eſt. itemq; quomodo fallaciter interrogare debeamus: deinceps ſequitur, ut de reſponſione, ac quonam pacto argumenta explicanda ſint,& quid diſcutiendum ſit, dicendum eſſe uideatur. Nam ſi ratiocinatio propoſita conſtet ex duabus propoſitionibus falſis,oſtendetur quæ explicanda & diſſoluenda ſit: ſi minorem ſoluas, nihilo minus reſtat id, quod erat etiam prius. maior igitur explicanda erit omnino. Docebit etiam philoſophus quam ad rem fallaces argumentationes utiles ſint. Ac primum quidem quis ſit horum fallacium argumentorum uſus docet: quæ ait ualere ad tria. ad theologiam, & uniuerſalem philoſophiam, ad eius quæſtiones, & ad opinionem. Ad philoſophiam ualent ob hanc cauſam. quia enim, inquit,diximus fallaces reprehenſiones ex uerbis fere naſci, hoc eſt ex uerbis & nominibus effici, ſi quis nouerit quomodo fiant,& de rebus diuinis diſputare incipiat,decipietur nunquam. quandoquidem ibi ſunt res,quæ & ſenſum,& oculorum fugiunt obtutum, orationes autem ſolæ, & nomina ſunt, quæ cum quis norit, ſi cum aliquo de theologia diſputabit, qui nam circumuenietur? Quod uero ait, faciunt ut facilius intelligamus. id ſignificat. Fallaces inquit reprehenſiones ex uerbis plerunque ortæ faciunt ut is, qui cum aliquo diſputat, melius intelligat quot modis quidque dicatur: itemq; quæ ſimiles, quæ diſſimiles res & uerba ſint; quemadmodum re diuerſa ſunt uidere & uerberare, uerbo ſunt ſimilia, ſiquidem ambo ad actionem referuntur. Deinde uero utiles etiam ſunt ad philoſophiam, cum quis non diſſerit cum aliquo, ſed per ſe & ſecum de re quadam quærit. poſtremo ualent ad opinionem. & quænam ea opinio ſit ad quam ualent, exponit.quod,inquit,in rebus omnibus exercitati, uidebimur. Nam ſi quis fallaces reprehenſiones cognitas habeat, is certe de iis etiam rebus quas penitus ignorat, dicere conabitur: & aliis diſputantibus ipſe fallaciarum ope, in quibus exercitatus eſt, uerbum aliquod reprehendet. ac non ſolum uitio uertet alicui quod non recte diſſerat, ſed etiam quamobrem illum accuſet, cauſam exponet. ſi quis enim ita diſputet & congrediatur cum aliquo, ut illius argumenta improbet,neque cauſam afferat, cur ea uituperet; opinionem affert aliis,ſe & imperitum, & contentionis eſſe ſtudioſum. Quo autem pacto inquit, ii qui poſcunt quæſtionem, armati eſſe debeant, ut his talibus argumentationibus poſsint occurrere: facile intelligi poteſt.&c. Patet inquit ex

iis,

ſis, quæ dicta ſunt nobis prius, ex diſtinctione XIII. modorum quibus fallaces concluſiunculæ fieri ſolent; quomodo occurrendum ſit reprehenſionibus. Nam ſi ſatis explicauimus quo pacto, & quam ob cauſam eæ fiant, & expoſuimus nimias interrogationes,(Re enim uera nimiæ interrogationes ſunt, cum quis cogit eum qui reſpondet,concedere ea quæ multis modis dicuntur)certe perſpicuum eſt,quo pacto ſit reſpondendum.

ALIVD autem eſt, cum quis argumentationem ſumit, perſpicere & diſcutere eius uitium: alıud cum interrogatur, celeriter poſſe reſiſtere. Quod enim ſcimus, id ſæpe cum ordo uerborum mutatus eſt, ignoramus. Iam uero ut in cæteris rebus, ſic fere in argumentis exercitatione celeritatem maiorem, tarditatemue comparamus. Itaque ſiquid nobis apertum ſit, neque id meditatum babeamus, in eo fere fit,ut opportunitatibus deſtituamur.

Nunc docet exercitationes & diſputationes cum aliis magnam afferre utilitatem: ac non idem eſſe, cum aliquis per ſe argumentationem ſumit, perſpicere ac diſſoluere eius uitium; & poſſe celeriter reſiſtere cum rogatur: quandoquidem is qui per ſe argumentationem ſumit, argumentatur placide, ac prout uult:at cum rogatur,tum diligenter animum attendat neceſſe eſt,quia ſæpe fit,ut quæ quis ſimpliciter interrogatus non daret, ea modo quodam interrogatus concedat. & ita illud interrogationis genus facit quodammodo ut is qui reſpondet, ignarus & imperitus uideatur. quod enim ſcimus, id ſi uerba traiiciantur & commutentur & alio modo quærantur,ignoramus. ut cognitum nobis eſt, neminem uerberare oculis. nam quis eſt hic qui aliquem uerberare oculis queat? hoc uero ignoramus propter interrogationem, & concedimus aliquem uerberari oculo, ſed non uirga, aut flagello. ut an quo tu uidiſti hunc uerberatum,eo ne hic uerberatus eſt? ſi ita interrogetur oratio, ratiocinabitur is qui reſpondet, & reſpondebit etiam. his datis, ſi inferamus, ſed uidiſti hunc uerberatum oculo, concluſio erit, oculo igitur uerberatus eſt. Ita quod ſcimus, alio modo præter eum, qui nobis eſt cognitus, interrogati ignoramus, propterea quod exercitati non ſumus. Præterea quemadmodum in aliis artibus exercitatio ualet plurimum, ita quoque ualet in argumentationibus. & ex eo fit, ut ſi exploratum habeamus id, de quo quæritur, exercitati tamen non ſimus, neque reſpondere celeriter ualeamus, tardiores ſimus in reſpondendo.cum uero longum tempus in exquirenda reſponſione conſumimus, tum etiam quidem ab iis qui cito reſpondent circumuenimur.

QVOD autem in deſcriptionibus uſu uenit, ut propoſitiones in partes tributas interdum retexere non poſſimus, ſic in reprehenſionibus nonnunquam ſcimus, unde concluſio efficiatur, & argumentum explicare non ualemus.

De eadem re nunc quoque ſermonem inſtituit;in quo accuſat,& reprehendit eum, qui ſeſe non exercuit. Vt autem in deſcriptionibus inuenimus propoſitiones quibus theorema demonſtretur, & eas componere, & ad unam formam redigere non poſſumus, quia non ſatis facile ſit quæ maior,quæ minor propoſitio ſit, animaduertere, quod intelligi poteſt ex hoc, latus non eſſe mediæ lineæ comparabile, atque ex aliis quamplurimis; ſic in reprehenſionibus uſu uenit. nam cum multa uitia ſunt in argumentatione, cognoſcere non poſſumus ex quo naſcatur reprehenſio. quod ut clarum fiat, ponatur Socratem neque ſedere, neque ſcribere, & dicat aliquis, Socrates ſedet, qui ſedet ſcribit, Socrates igitur ſcribit. hoc certe falſum eſt. in hoc ſi quis dicat falſum effici ex eo quod Socrates ſedeat, is quidem explicauerit quantum ad hominem pertinet, ſed quantum attinet ad ipſam rem,non explicauerit propterea quod falſum non effectum eſt ex propoſitione, qua Socratem ſedere dictum eſt, ſed ex ea, qua dictum fuit, ſcribere eum qui ſedeat. propterea quod ſi Coriſcus forte ſedeat, non ſcribat,cum Socrates ſtat, & dicat quiſpiam, Coriſcus ſedet,qui ſedet ſcribit,Coriſcus igitur ſcribit,quod falſum eſt, non dicendum erit in hac argumentatione factam eſſe reprehenſionem,quod ſumptum ſit Coriſcum ſedere, cum eum ſedere fuerit propoſitum.

PRIMVM ergo quemadmodum dicimus, interdum præſtare diſſerere probabili argumentatione quam uera, ſic probabili explicatione potius, quam uera, argumentorum captiones nonnunquam diſſoluere debemus. Omnino enim pugnandum eſt contra eos, qui contentionis cauſa diſputant, non tanquam refellant,ſed tanquam

refellere uideantur. Cum enim eos concludere negemus, certe ad ſimulationem illam noſtra omnis dirigẽda eſt reſponſio. Cum enim reprehenſio ſit oratio repugnans, non ambigua, qua ex quibuſdam efficitur, nulla certe ad ambigua, & homonymiam adhibenda erit diſtinctio. neque enim ratiocinationem argumentando tractat. Sed nulla alia de cauſa ante diſtinguendum erit, niſi quod concluſio ſpeciem præ ſe fert reprehenſionis.

Quemadmodum inquit, diximus, præſtare diſſerere probabili argumentatione quam uera cum is, qui reſpondet, non admittit, & concedit uera, ita quoque is qui reſpondet debet diſſoluere & explicare captiones argumentorum non uera quidem explicatione, ſed ea, quæ ueram fallaciter imitetur; præſertim cum captiones non ſint ueræ reprehenſiones, ſed uerarum ſimulacra. ac quomodo captiones ſint ſimulacra uerarum reprehenſionum probat & dicit eos non concludere. Ex quo fit, ut cum non ueræ ſint, debeat is qui reſpondet, dirigere reſponſionem ad ſimulationem, hoc eſt, debeat explicare quamobrem reprehendere uideantur, & non reprehendant, & de ea re auditores certiores facere. Si enim dixerimus quare uideantur reprehenſiones, cum non ſint, corrigemus auditores, eosq; de illa falſa opinione deducemus. is enim qui aliquem a falſa ad ueram opinionem traducit, illum dicitur corrigere. ac nos ſi docuerimus quid cauſæ ſit ut, cum non ſit reprehenſio, eſſe tamen uideatur, corrigemus & admouebimus audientes, eisq; perſuadebimus ne eam quæ reprehenſio non eſt, eſſe reprehenſionem putent. Omnino enim inquit, contra hos pugnandum eſt non tanquam refellant: dicendum enim eſt non eſſe reprehenſionem id quod efficitur, ſed uideri: & explicandum, quare non ſit, ſed eſſe uideatur. ut uel ex coniunctione, uel ex homonymia, uel ex uerbo, uel ex ambiguitate uideri effectam eſſe reprehenſionem, ſed non eſſe. Cum enim uera reprehenſio ſit oratio repugnans non ambigua, certe is qui reſpondet, non debet aliud quicquam in homonymis, aut ambiguis reprehenſionibus diſtinguere: ſed ſolum dicere, rogata eſſe homonyma & ambigua, & concluſionem uideri reprehendere, ſed id non facere cum ſit homonyma.

NON igitur hoc loco refutatio nobis extimeſcenda eſt, ſed eius ſolum ſimulacrum. quippe cum interrogatio ambigua, & homonymia, cæteraq; eius generis captiones, & ueram reprehenſionem obſcurent, & faciant, ut eos, qui refellant, ac non refellant neſciamus. Nam quoniam licet tota argumentatione concluſa dicere, ſe non quod alter affirmauerit, negare, ſed homonyme uel ambigue; & ſi eo toto impetu ferretur; incertum erit an ſit reprehenſus. dubium eſt enim an uerum nunc dicat. Quod ſi diuiſione adhibita interrogaſſet id, quod homonymum, aut quod ambiguum eſt, certe reprehenſio perſpicua fuiſſet.

Is qui reſpondet, nullo pacto inquit, timere debet, ne reprehendatur, ſed ne uideatur reprehendi. præſertim cum uere reprehendi a ſophiſtis, quæ falſa ſumunt, nullo modo poſſit. Ob id autem non uere reprehendit ſophiſta eiuſmodi interrogationibus: quo circa & ſi quis ſæpe propter ignorantiam reprehenditur, uult eum latere, neque ſeſe patefacere: interrogatio enim homonyma, & ambiguitas, & aliæ captiones & obſcurant ueram reprehenſionem, & incertum reddunt an quis ſit reprehenſus. Sæpe enim ſi diſtinguit ſophiſta, & interrogat, facit ueram reprehenſionem. ut ſi diſtinguat canis ſignificationes, & de una eius ſignificatione aliquis quærat; certe fefellit. nunc uero cum id non faciat, ſæpe concludit aliquid abſurdi, & ita is qui reſpondet, ei occurrit, & ait ſe non id affirmare quod ſophiſta negauit, & fortaſſe etiam id, quod ipſe reſpondens conceſſit, concludet is qui quæſtionem ponit. ex quo fit, ut incertum ſit an reprehenſus fuerit. dubium enim eſt an is qui reſpondet ueraci mente dicat ſe non concedere id, quod ſophiſta concluſit. id quod certe non eſſet factum, ſi diſtinctis homonymis interrogaſſet.

NAM quia uolunt ij, qui certandi ſtudio diſputant, hoc quidem tempore rarius, quam ſuperiore eum qui rogatur, aut etiam, aut non reſpondere, id fieri poteſt. Nunc autem propter uitioſum morem interrogandi, neceſſe eſt ante reſpondere,

dere, corrigendo interrogationis uitio. Quod quidem ſi tolerabilis partitio adhibita ſit, cum neceſſe ſit quæ reſpondet aut etiam, aut non dicere.

Si ſophiſta adhibita homonymorum diſtinctione interroget, fiet id, quod nunc minus ſophiſtæ quærunt, & magis Platonis temporibus quærebant. quid autem tunc quærerent declarat, uolebant enim ut is qui rogatur, aut etiam, aut non reſponderet. olim enim cum ambigua & homonyma Platonem interrogarent, ipſe repugnantiam reſpondebat, & dicebat partim eſſe, partim non eſſe. ex quo factum eſt, ut coactus ſit unum reſpondere, & dicere aut etiam, aut non more dialecticorum. Hoc igitur inquit, quod ſophiſtæ magnæ curæ erat, hoc etiam tempore eueniet, ſi ſophiſtæ diſtinguentes & explicantes ambiguorum ſignificationes aliquam earum interrogabunt: ut de cane terreno, an calores gignat. Omnino autem is qui reſpondet, aut etiam, aut non dicet. Nunc autem cum non explicent, neceſſe eſt eum qui aliquid homonymum interrogatur, ante aliquid homonymum reſpondere: hoc eſt oportet dicere illud quidem uideri, ſed non eſſe: aut fortaſſe, aut quippiam eiuſmodi. Ita enim declarabit ſe non aſſentiri iis, quæ rogata ſunt, quia uera non ſint. Hoc eſt neceſſe eſt eum, qui rogatur ante reſpondere, uel dicere repugnantiam, uidelicet partim eſſe, partim non eſſe, & ita interrogationis uitium corrigere.

QUOD ſi quis putet eam reprehenſionem, quæ ex ambiguitate naſcitur, ueram eſſe, quodam modo reprehenſionem effugere non poterit is, qui reſpondebit: quippe cum in ijs rebus, quæ aſpectabiles ſunt, neceſſe ſit eum & quod nomen intelligi dixerit, id rogare: & affirmare id quod negarit. Nihil enim adiuuat quorundam emendatio, qui Coriſcum non confirmant eſſe & muſicum & muſicæ expertem. ſed hunc quem monſtrant muſicum, & hunc eundem expertem muſices.

Cum paulo antè dixerit ſophiſtas non uere, ſed fallaciter & ſimulate reprehendere: nunc ait, ſiquis putet ſophiſtas uere reprehendere: & eam reprehenſionem quæ ex ambiguitate naſcitur, itemq; alias, ueras eſſe, certe effectum iri ut omnes, atque adeo intelligentes ac docti uiri reprehendantur. Capiuntur enim ii quoque a ſophiſtis in quibuſdam ambiguis, aliisq; huius generis. quod ſi ita eſt, & ea reprehenſio, quæ ita efficitur uera eſt, nullo modo effugere poterit reprehenſionem is qui reſpondet. ii enim qui captionem, & apparentem reprehenſionem ueram eſſe dicunt, uitare non poſſunt quin reprehendantur. & fieri nullo pacto poterit ne is qui reſpondet, reprehendatur. Adiunxit autem, Quodam modo, quia non eſt illa uera reprehenſio. quomodo uero omnes reprehendi accidat, inducit. quippe cum inquit, in iis rebus quæ aſpectabiles ſunt, hoc eſt quæ ſub aſpectum cadunt, neceſſe ſit, ut ſæpe is qui interrogatur id neget quod affirmauerit: & affirmet quod negauerit: ſed operæprecium me facturum putabo, ſi totam huius captionis rationem expoſuero: ut ita uerba ipſa diligenter perpendantur. ſophiſtæ cum occultent muſicum Coriſcum amiculo aut alia re quadam, interrogant, Noſtin' Coriſcum eſſe muſicum? etiam. Noſtin' eum qui occultatus eſt, eſſe muſicum? non. deinde amiculum quo Coriſcus tegebatur, auferunt, & aiunt, Noſtin' quis ſit hic? etiam; igitur hunc eſſe muſicum noſti, & non noſti. Eum enim non noſti quis eſſet cum occultaretur, etiam muſicus ne eſſet minime cognouiſti. quare noſti eundem muſicum & non muſicum, hoc eſt muſicum, & expertem muſicæ. ita in quo nomen muſici negaſti, id in eodem affirmaſti. Præterea, noſtin' eum qui occulitur, quis ſit? non. deinde aperiunt, & aiunt, noſtine hunc? etiam, eſt.n. Coriſcus. atqui eum non eſſe Coriſcum dixti. quem enim omnino quis ſit ignoras, certe neque an Coriſcus ſit, cognoſces, quo fit ut idē nomen de eodem affirmaueris & negaueris. Captio hæc ex accidēte eſt. accidit enim Coriſco, ut occultus eſſet. nec neceſſe eſt, ut quod ineſt accidenti, id inſit etiam rei, cui ineſt accidens. cum licet conueniat albo ut ſit nomen duarum ſyllabarum, albumq; accidat Alcibiadi, non tamen neceſſe ſit, ut Alcibiadi conueniat eſſe duarum ſyllabarum nomen, cum Alcibiades duabus ē ſyllabis non conſtet. quod idem fit in his. neque enim ſi occultum ignoro, & accidit Coriſco ut occultus ſit, neceſſe eſt, ut Coriſcum ignorem. quamobrem dicendum eſt hanc opinionem aut ex accidenti. (eiuſmodi enim eſt ea, in qua euenit ut aliquid occultetur.) aut ex homonymia, aut ex ambiguitate, aut ex aliquo alio genere naſci: quam illi ſoluebant hoc modo. Coriſcum hunc noui eſſe muſicum & Coriſcum cum uidetur: cum uero occultatur, & muſices expertem & non Coriſcum. Atque hæc eſt ſententia, & confectio captionis. quæ uero in contextu uerborum ſunt, hæc ſunt. Aſpectabiles res dicit eas, quæ actu ſub aſpectum cadunt: quas uidentes cognoſcimus: tectas, ignoramus: in quibus neceſſe eſt, quod affirmarit quiſpiam, negare; & quod negarit affirmare: ut quem muſicum uidens dixit, eundem cœlatum, & non uiſum muſicæ expertem dicat: quemq; muſicæ expertem dixit cum tectus eſſet, hunc remoto operculo quo tegebatur, muſicum dicat. Quocirca inquit, in iis rebus quæ ſub uidendi ſenſum cadunt, neceſſe eſt eum & quod nomen intelligi dixerit, id de eodem negaret

& quod negauerit, id affirmare. Et quod album eſſe affirmauerit, neceſſe eſt id ut neget, & non eſſe album dicat. Quibus quidem fit rebus, ut ex captiones non ut illi faciebant, ſed, ut dixi, explicandæ ſint, & diſſoluendæ, ut ex accidente, aut alio quodam genere ſumi dicantur. id quod ipſe Ariſtoteles nos docebit, cum tradet quonam modo diſcutere & explicare captiones debeamus.

EADEM enim erit oratio hæc; Coriſcum muſicum eſſe, quæ illa, hunc Coriſcum eſſe muſicum: quod ſimul & confirmabunt, & negabunt: Sed fortaſſe dicent non idem ſignificare, cum in altera nomen collocatum ſit, ita aliquid inter eas intereſſe. Sin autem hoc omnino dixerit, illi aliquem uel hunc adiunxerit, abſurdum erit. nam nihilo magis alteri addet, cum præſertim nihil interſit, utrilibet addat.

Quod ait eſt huiuſmodi. Hæc oratio, Coriſcum noui, eadem erit quæ illa, hunc Coriſcum noui. nam hæc, num ſcis Coriſcum eſſe muſicum? certe, eadem eſt, atque hæc, num ſcis hunc Coriſcum eſſe muſicum? quem enim nunc muſicum aut Coriſcum dicis, cum ablatum eſt uelamen, hunc etiam dixiſti cum eſſet uelatus. Iam clarius de eadem re uerba faciam. Nonnulli captionem ſoluebant dicentes hunc Coriſcum noſſe muſicum, hunc uero muſicæ expertem, & interrogationem in diuerſis perſonis adhibebant & duo ſubiecta capiebant. quos inutiliter ait diſſoluere. eadem enim inquit, erit oratio hæc, Coriſcum muſicum aut non muſicum eſſe, quæ illa, hunc Coriſcum eſſe muſicum uel non muſicum. quibus uerbis hoc ſignificat: cum dicimus, an Coriſcum muſicum noſti? nos dicere hunc unum numero, & non multos, ſed hunc operculo tectum de quo affirmatur & negatur. Nunc uero reprehenſa & reiecta ſententia eorum qui male captionem explicabant, ait, ſed fortaſſe dicent, non idem ſignificare, &c. quod eſt huiuſmodi. Fortaſſe non ita corrigendum eſt, hunc Coriſcum eſſe muſicum, hunc non muſicum: ſed dicendum, non idem ſignificare, hoc eſt, Coriſcum non unum ſignificare. hoc enim nomen, Coriſcus, non unum declarat, quemadmodum etiam neque Socrates & albus Socrates. licet enim Coriſcus, & cœlatus Coriſcus unum ſubiectum ſit, ut & Socrates & Socrates albus, tamen ratione non eſt unum. ex quo fit, ut dicere debeamus id præ ſe ferre ſpeciem reprehenſionis, & ex accidente oriri. Iam uero cum ſupra dixerit, quod ſi quis putet eam reprehenſionem, quæ ex ambiguitate naſcitur, ueram eſſe, &c. & nunc ponit exemplum captionis quæ ex accidente exiſtit, addit hæc ipſa uerba, cum in altera inquit, nomen collocatum ſit. in altera inquam, hoc eſt in captione ambiguitatis. In ea enim nomen non idem ſignificat, ita aliquid intereſt, ſi de Coriſco abſolute interrogabis, & de Coriſco uelato. Quod uero ait, ſin autem hoc omnino dixerit. referendum eſt, ut dictum ſit contra eos qui male diſſoluunt, & explicant, & ad eorum improbandam ſententiam. dicit enim concluſionem accommodatam propoſitionibus eſſe debere. nos igitur non rogati, an hunc, uel hunc Coriſcum nouerimus, quonam modo id in concluſione inducemus? ſi enim in hoc, id eſt in propoſitionibus, ut illi dicunt, abſolutum dicendum eſt Coriſcum eſſe muſicum, in concluſione uero addatur, hunc, abſurdum erit. Quod uero ait, nam nihilo magis alteri addet, ſignificat, æque & in propoſitionibus & in concluſione adiungi debere hunc. Nam uel etiam in propoſitionibus hunc adiungere debent, uel ſi non in propoſitionibus, ne in concluſione quidem.

SED quoniam incertum eſt, utrum is qui ambiguitatem non diſtinxit, reprehenſus nec ne ſit (conceſſum eſt enim in diſputando ambigua diſtinguere) certe dare rogatum omnino nulla adhibita diſtinctione eſt in uitio. Itaque ſi minus is qui dat, at certe oratio eius reprehendetur, fit autem plerunque ut qui ambiguitatem cernunt, tamen eam non auſint diſtinguere, propter eorum qui talia proponunt acerbitatem, ut ne ſe in omnibus difficiles præbere uideantur. Deinde quod nunquam putaſſent ex hoc concluſionem poſſe effici, ſæpe occurrit aliquis contra opinionem omnium. Quapropter quoniam conceſſum eſt, ut ſupra dixi, non dubitamus diſtinguere.

Hoc loco docet, cum is qui reſpondet aliquid ambiguum rogatus ſit, debere eum illud diſtinguere, & quærere in qua ſignificatione illud poſuerit is qui interrogat, hoc enim niſi fecerit, incertum erit, utrum reprehenſus ſit nec ne. Cum igitur incertum ſit, an is qui orationem ambiguam non diſtinguit, reprehenſus nec ne ſit, conceſſum eſt ei, qui reſpondet, diſtinguere. Itaque ſi minus is, qui reſpondet, diſtinguat rogatum, ſed omnino & ſimpliciter accipiat, errabit. & ipſemet in cauſa erit, ut reprehenſus

ſus eſſe uideatur. ex eo enim fiet, ut ſi minus ipſe, at certe eius oratio reprehendatur. ut ſi quis rogetur hoc modo, num canis facit æſtus? is uero qui reſpondet,dicat etiam, cum ad cœleſtem animum aduertat,non diſtinguat autem canis ſignificationes:ipſe quidem ſibi non uidetur reprehendi, utpote qui de cœleſti cane id concedat: at eius ſermo atque reſponſio reprehenſionem non effugit. quia non eſt adhibita diſtinctio.Fit autem inquit plerunque, ut is qui interrogatur, cernat & cognoſcat orationem quæ proponitur eſſe homonymam,uel ambiguam,tamen eam non diſtinguat,qua quidem in re torpet & hæret ut ne iniquus & difficilis uideatur continuo diſtinguens. Cum enim ſophiſtæ homonymas & ambiguas quæſtiones continenter ponant, cauet is qui reſpondet ne difficilis putetur ſi omnia tentauerit diſtinguere.Deinde,quoniam ii qui reſpondent,nihil inde abſurdum effici arbitrantur, ſi rogatum nulla adhibita diſtinctione conceſſerint: fit,ut ſæpe occurrat aliquid contra opinionem omnium.Quocirca obſeruare debet is qui reſpondet,ne ita reſpondeat.ſed poſteaquam ei conceſſum eſt rogata diſtinguere,erit id ei celeriter faciendum.

SI QVIS autem duas interrogationes, non unam ponat, non ea exiſtet captio, quæ ex homonymia, & ambiguitate naſcitur. Quid enim intereſt utrum nunc roges, an Callias & Themiſtocles ſint muſici, an tum, cum idem nomen utrique impoſitum eſſet, nec ijdem forent. Nam ſi plura uno declarat, plura interrogauit.

Nunc docet quomodo homonymia, atque ambiguitas fiant. quas ait effici, cum multa rogata pro uno ponuntur.ut enim illis plura rogata unum prædicatum habent,ita etiam hic,licet unum nomen ſit, tamen multa declarat.Si igitur non eſt falſa concluſio ea, quæ ex multis interrogationibus unam facit, certe non ea quoque exiſtet, quæ ex homonymia,& ambiguitate naſcitur.quod niſi eſſet ambiguitas, aut homonymia, profecto uel uera reprehenſio fieret,uel non fieret omnino. Vt ſi canis non eſt nomen multiplicis ſignificationis,ſed unum modo ſignificet,uidelicet cœleſte ſidus, ſi roget quis, num canis latret,neget autem is qui rogatur,ille ſane non uere reprehendetur. cum enim canis ſolum ſidus ſignificet,ſiſciſcitetur quis ab aliquo, an latret, & is reſpondeat eum non latrare:non erit omnino reprehenſus.ſin autem affirmat,reprehendetur. Iam uero quo modo multa roget is, qui aliquid homonymum interrogat, ipſe declarat.Quid enim intereſt,utrum dicas, an Callias & Themiſtocles ſint muſici, an utrum canis latret: cum in utroque ſint res multæ? omne enim quodcunque rogatur,ſi ſimplex non eſt,ſed homonymum,& plura uno declarat,& in ipſa interrogatione adhibetur;multa interrogat.

QVOD ſi iniquum eſt ad duo rogata uelle reſponſum unum dari omnino, profecto ad ambiguum nullum ſemel reſponderi conuenit, ne ſi in omnibus quidem id uere dicatur quorundam ſententia. Nihil enim hoc intereſt, an ſi quis rogaret, utrum Coriſcus & Callias ſint domi, nec ne ſint domi, ſiue adſit uterque, ſiue abſit. utroque enim modo plures erunt propoſitiones. neque enim ſi uere dici poteſt, propterea una eſt interrogatio. Poſſunt enim ſexcenta alia quæri, ad quæ aut etiam, aut non reſpondere uere liceat. Attamen non unum reſponſum dandum eſt. Sic enim diſputatio tollitur.

Quoniam minime accommodatum ad dialecticam eſt,ad duo rogata unam reſponſionem dare,profecto etiam homonymorum non una erit reſponſio,(ut enim ſupra diximus is qui homonymum interrogat,multa interrogat,)uerum neque etiam ſi de omnibus iis rebus,quæ ab homonymo ſignificentur,prædicatum uere dicatur.ut ſi quis roget, an Aiax ſit animal bipes, id uerum quidem erit in utroque Aiace.non autem una reſponſio adhibenda eſt, cum propter propoſitionis rationem, qua dicitur, uni interrogationi unam adhibendam eſſe reſponſionem, & hic ſunt duplices interrogationes,quæ non ſimplicem reſponſionem recipiunt: tum uero ne ſi unam reſponſionem multis ueris interrogationibus dare conſueſcamus idem etiam in aliis non ueris faciamus. Nihil enim intereſt, utrum homonymum quid interroges,an hanc interrogationem proponas.utrum Coriſcus & Callias domi ſint, nec ne: ſiue enim uerum eſſet eos eſſe domi, ſiue utrunque non eſſe, multæ erunt interrogationes. neque enim una interrogatio eſt,ſi eos domi eſſe,uere dicatur.

HOC AVTEM ſimile fiat, ac ſi quis idem nomen diuerſis imponat. Cum ergo ad duo rogata non ſit ſemel reſpondendum; perſpicuum eſt, aut etiam aut

non, non eſſe dicendum in ambiguis. Neque enim qui dixerit, reſponderit, ſed dixerit. Sed hoc uolunt in diſputando, quia quid eueniat incertum eſt. Quoniam igitur, quemadmodum diximus, quædam ſimulacra ſunt reprehenſionum, reprehenſiones nullo modo: ſic quædam ſunt ſimulatæ explicationes, nec explicationes ſunt, quas quidem interdum afferri oportere dicimus potius quam ueras explicationes, ut cum diſputatur pugnaciter, & cum rei, quæ duobus modis dicitur, occurritur. Atque in iis quidem diſputationibus, quæ ſpeciem præ ſe ferunt uerarum, reſpondendum eſt, Eſto. ſic enim nullus erit reprehenſioni locus. ſiquid autem contra opinionem omnium cogatur concedere, tum uel maxime addendum eſt, id uideri. Sic enim nec reprehenſioni, nec ei quod admirabile ſit dare locum uidebitur.

Quod ait, ad multas quæſtiones poſitas unam dare reſponſionem, idem eſt, ac ſi diceret, ſemel reſpondendum eſſe ei, qui aliquod ambiguum interrogarit. id quod declarat, cum ait ſiquis idem nomen diuerſis imponat. diuerſis enim rebus unum atque idem nomen imponitur. Ad multas igitur quæſtiones ſemel reſpondere idem eſt, atque interroganti aliquod ambiguum, ſemel reſpondere. Quemadmodum igitur dialectici non eſt ad multas interrogationes unam reſponſionem adhibere, ita etiam ad eundem non pertinet, ad aliquod ambiguum ſemel reſpondere. Cum uero dixerit, in homonymis non eſſe reſpondendum aut etiam, aut non: affert cauſam quamobrem is qui reſpondet, aut etiam aut non, nequaquam dicat. Quod uero ait, eſt huiuſmodi. Quoniam res multis modis dicitur, & reſpondēdo aut etiam aut non, omnia ea, quæ nomine ſignificantur, declarari non poſſunt; certe perſpicuum eſt, non reſponderi. quandoquidem ſi in alia ſignificatione interrogarit is qui ponit quæſtionem, & in alia aiat aut neget is, qui reſpondet, nihil reſponderit. Neque enim is qui in ambiguis ſemel reſponderit, proprie reſponderit, ſed dixerit is quidem aliquid, & uidebitur multis ex eo, quod etiam aut non dixerit, ſed non reſponderit. Reſponſio autem eſt, cum quis rogatur, id ipſe aut concedit, aut negat, quod ſi aliud quærat is qui interrogat, aliud affirmet aut neget is qui reſpondet, certe aliquid dixit, & ita ut uoluit locutus eſt, non reſpondit tamen. Quod uero ait, ſed hoc uolunt in diſputando, eſt pene huiuſmodi. Quamuis in ambiguis non uere reſpondeant, cum aut etiam, aut non, dicunt, tamen uolunt, hoc eſt putant, & arbitrantur ſe reſpondiſſe: putant autem, quia lateat eos, qui audiunt, quid efficiatur, hoc eſt, unius interrogationis unam eſſe reſponſionem, & multas multarum. uel maxime, quia eos latet, in homonymis non eſſe reſponſioni locum. id quod ipſe dixit, quid eueniat. fit enim in homonymis, ut ea quæ exiſtimetur eſſe reſponſio, non ſit reſponſio. quodq́; octauo Topicorum dixit, hic etiam commemorat, ſæpenumero adhibendas eſſe reſponſiones falſas potius, quam ueras. quia eas facilius admittet is qui interrogat. Quemadmodum enim ait, quædam ſunt ſimulacra reprehenſionum, reprehenſiones nullo modo, ſic ſunt quædam ſimulatæ explicationes, nec explicationes ſunt, ſed uidentur, quas quidem interdum afferri dicit oportere potius, quàm ueras explicationes. Nam contra eum qui omnino repugnat, ut idem præceptum habet, omnibus rationibus occurrere debemus, ſed ait non eſſe omnino reſpondendum, ſed ut ipſe ſæpe dixit, reſpondendum eſt, aut Forte, aut Eſto, aut Videtur. hæc enim ſi prædicantur, fallax reprehenſio fieri nullo pacto poterit. quam captionem ipſe παρεξέλεγχον appellat, quod procul ſit a uera & propria reprehenſione.

PERSPICVVM eſt quidem, quemadmodum quod principio propoſitum eſt repetatur ſi qua autem proxime ad id accedant, ea ſententia omnium refellenda ſunt, non concedenda, quod id quod principio propoſitum eſt repetere uideatur. Cum uero aliquis eiuſmodi a nobis petet, quod ex poſitione neceſſario efficiatur, ſed quod falſum ſit, aut improbabile: idem reſpondere debebimus. Quæ neceſſario ſequuntur, eiuſdem eſſe poſitionis uidentur. 1

Quoniam inquit, perſpicuum eſt, quemadmodum id quod initio propoſitum eſt, repetatur: (tunc enim putamus eum qui interrogat id quod principio poſitum eſt poſtulare, cum interrogatio proxime ad quæſtionem accedit, & eadem eſt ac quæſtio,) ait in eiuſmodi nonnullas interrogationes ſtatim euertendas eſſe & non concedendas a reſpondente, qui quidem dicat ei qui interrogat, tum repeti id, quod initio fuerit propoſitum. rogata enim proxima ſunt & uicina propoſitæ quæſtioni, & eadem cum illa ſunt. Vt ſi proponatur concludendum, uoluptatem eſſe in bonis, quæratur, an gaudium bonum eſt:

non concedendum erit; ſed dicendum, tum peti id quod initio propoſitum eſt. Itemq; ſi quis uelit aliquam concluſionem falſam & minime probabilem quæ ex falſis propoſitionibus effecta ſit neceſſario, falſum enim ſemper ex falſis efficitur tunc etiam de propoſitionibus dicendum erit, eas eſſe & falſas, & improbabiles, ex quibus eiuſmodi ſit effecta concluſio. Concluſiones enim quas ipſe dicit, neceſſario ſequi, eiuſdem ſunt cauſæ. Cauſas hoc loco appellat propoſitiones. quales enim fuerint propoſitiones, talis erit etiam concluſio. ita ſi minus ſit probabilis concluſio, erit etiam dicendum propoſitiones non eſſe probabiles.

IAM uero cum res uniuerſa non nomine ſuo, ſed ſimilitudine tractabitur, reſpondendum erit nobis, eum nec quo modo a nobis data ſit, nec quemadmodum ipſe propoſuerit, ſumere. Ex hoc enim plerunque exiſtit reprehenſio. Qui autem his commoditatibus deſtitutus eſt, is confugere ad uitioſam probationem debebit, ut ei occurrat eo genere diſtinctionis, de quo ſupra diximus.

Quemadmodum octauo Topicorum dixit ſimilitudine tractari aliquid, cum id quod ſumere uolumus, ita rogamus non ut ipſum, ſed ut ex eo aliud capiamus. ueluti ſi uelimus concludere cõtinentiam eſſe uirtutem, non dicemus, an continentia uirtus ſit, ſed hoc modo, an quemadmodum continentia uirtus eſt, ita etiam eſt fortitudo & iuſtitia? Ita ſi philoſophus hoc loco ſimilitudinem appellat, profecto id quod ait erit huiuſmodi: cum res uniuerſa non nomine ſuo tractabitur, hoc eſt niſi ipſa per ſe ſumatur, neque ut propter ſe. (nomine enim aliquid tractatur, cum nomen ipſum per ſe ſumitur, ut in contrariis unam artem uerſari, uel continentiam eſſe uirtutem; ſimilitudine autem, cum aliquid oratione & non propter ſe capitur, ſed alterius cauſa) cum inquam res uniuerſa ſimilitudine tractabitur, dicendum erit, eum nec ita dediſſe, nec quemadmodum dederit, ſumere. neque enim dedit continentiam eſſe uirtutem, ſed fortitudinem. Quod ſi hoc loco ſimilitudinis nomen non ita capiendum eſt, certe quod ait, tale erit, cum res uniuerſa non nomine tractabitur, ſed oratione & ſimilitudine, dicendum erit, eam non nomine ſed oratione tractandam iri hoc modo. An ceruus qui quadrupes eſt, bifidus eſt? etiam. an capra? certe. an bos? tantundem. an pecus? & ipſa quidem. omne igitur quod huiuſmodi eſt, bifidum eſt. Atqui equus qui eſt huiuſmodi non eſt bifidus. igitur nõ omne bifidum eſt. Hoc enim loco, id omne quod huiuſmodi eſt, bifidum eſt, oratione ſumptum eſt. hæc enim, omne quod huiuſmodi eſt, oratio eſt, & non nomen. Quod ſi dictum eſſet, ergo omne quadrupes, res uniuerſa nomine fuiſſet tractata. quia quadrupes eſt nomen. in quo dicendum eſt, id quod ille ait, omne igitur quod eiuſmodi eſt, eum non dediſſe de quadrupede, ſed de cornigero. quod omne id quod cornua habet, ſit bifidum. Ita cum iis ſit impeditus, compellendus erit ad reprehenſionem. quod neque demonſtrauerit, neque concluſerit eo genere diſtinctionis, de quo ſupra dictum eſt. Appellat autem diſtinctionem, homonymiam, diſtinctionem, adiunctionem, & cætera genera quibus ſimulata ſit reprehenſio. Docebimus ergo eum nec demonſtrare, nec concludere, nec reprehendere, ſi modum captionis declarabimus.

ATQVE IN iis quidem diſputationibus, in quibus propriis nominibus utetur, aut omnino reſpondendum erit nobis, ut certe adhibenda diſtinctio. Quæ autem aliquid in mente reſeruantes proponimus ad diſputandum, qualia ſunt ea omnia, quæ non plane, ſed truncatim interrogantur, ex iis reprehenſio naſci ſolet. cuius generis eſt illud, an quicquid eſt Athenienſium poſſeſſio, id Athenienſium eſt? certe, itemq; in cæteris: atqui homo eſt animalium? certe, poſſeſſio igitur animalium eſt homo. hominem enim animalium eſſe dicimus, quod ſit animal. & Lyſandrum Lacedæmoniorum, quod ſit Lacedæmonius. Ergo illud quidem perſpicuum eſt, cum dubium eſt id quod proponitur, tum non eſſe omnino dandum.

In iis inquit nominibus, quæ proprie & ſua ui dicuntur, (Propria enim nomina appellat ea, quæ accommodata ſunt rebus ſubiectis, ut homo, ut equus.) reſpondendum eſt aut etiam aut non. aut omnino, & nulla adhibita diſtinctione, niſi nomen ſit homonymum aut cum diuiſione coniunctum. In iis autem, quæ truncatim interrogantur, non reſpondendum eſt omnino aut etiam aut non. ex iis enim reprehenſio naſci ſolet. In mente autem reſeruata ſunt ea, quæ in memoriam rediguntur ex iis quæ prius rogata ſunt. ut, an quod Athenienſium eſt, Athenienſium eſt poſſeſſio? certe. An homo

eſt animalium? certe, homo igitur poſſeſsio animalium eſt; hoc enim loco neceſſe eſt ſimul intelligi poſſeſsionem. Quemadmodum enim quod Athenienſium eſt, poſſeſsio eſt Athenienſium, ita etiam quod eſt animalium, erit animalium poſſeſsio. atqui homo animalium eſt, igitur eſt poſſeſsio animalium. quo quidem loco cum non plene propoſita eſſet quæſtio, facta reprehenſio eſt. Dicendum enim erat, igitur quod Athenienſium poſſeſsio eſt, poſſeſsio eſt Athenienſium. & quod Lacedæmoniorum poſſeſsio eſt, id eſt eorum poſſeſsio.

CVM autem duo erunt huiuſmodi, quorum ſi alterum ſit, ex eo alterum neceſſario concludetur; ſin hoc ſit, illud ex eo non concludetur neceſſario, debebit is qui interrogabitur, id dare quod minus eſt. Difficilius eſt enim ex pluribus concludere.

Quod nunc ait, perſpicuum erit, ſi ad memoriam reuocabimus ea, quæ dicta ſunt in ea reprehenſione, quam ex conſequentibus naſci docuit. Dixit enim ex eo quod ortum eſt, ſequi, ut habeat principium. & cum ſit id quod ortum eſt, neceſſario etiã eſſe id quod habet principium. quia ſi ortum eſt, principium habuit. non tamen ſi habuit principium, ortum eſt. quandoquidem multis modis principium dicitur. In iis autem ait eum qui rogatur debere concedere id quod eſt magis ſingulare, (id enim ſignificat, quod ait, minus eſt) cum illud ſit uerum: alterum autem non concedere. (eſt enim id ſubaudiendum) minus enim patet, & ad pauciora pertinet quod ortum eſt, quam quod habet initium. ut etiam homo minus patet quam animal. ſi enim homo ſit, neceſſario eſt animal; at ſi ſit animal, non neceſſe eſt eſſe hominem. ita quia eſt uniuerſale, non eſt concedendum. hoc enim declarat, quod ait, debebit is qui rogatur id dare quod minus pateat, hoc eſt, ſi in ipſa quæſtione quæratur, utrum dandum ſit, minus erit concedendum. Eademq; ratione in definitionibus, & ratiocinationibus ſemper ea danda ſunt, quæ minus patent & ſerpunt. Difficilius enim eſt ex pluribus, hoc eſt ex iis quæ minus patent, ratiocinari, atque concludere. Nam ſi uniuerſale non ſit, nulla fiet ratiocinatio, ut explicatum eſt ſupra. Dixit autem ea, quæ minus patent, plura, uel quia ſunt magis compoſita & ſunt plurium. etenim homo ex pluribus eſt, quam animal. cum habeat etiam ea quæ animalis ſunt, ut ſubſtãtiam, ut animatum atque etiam ſenſus particeps; & item rationis particeps, & ut aptus ſit ad ſcientiam, quæ animal non habet. Vel dixit uerbum, plura, quia uniuerſale quodam modo unum eſt: & ſingularia plura. ſed multo melior eſt prior explanatio.

QVOD ſi argumentando concludat, alicui datum eſſe contrarium, alicui non eſſe; ſi uera ſit oratio, contrarium eſſe, dicendum eſt, ſed non eſſe nomen impoſitum alteri.

In libris qui Topica inſcribuntur, dictum eſt, ſi generi ſit contrarium, etiam ſpeciei illius generis ſpeciem eſſe contrariam neceſſe eſſe. uirtuti enim quæ genus eſt, uitium eſt contrarium, & fortitudini quæ eſt uirtutis ſpecies contrarius eſt timor. Hoc cum ita ſit, ſiquis uere demonſtrauerit harmoniam non eſſe genus animæ, quod harmoniæ contraria ſit diſcrepantia, & animæ quæ ſubſtantia eſt, nihil ſit contrarium, dicendum, inquit erit, animæ etiam eſſe contrarium, ſed ei non eſſe nomen impoſitum, cum ſit uacans nomine.

QVONIAM autem nonnulla plerique concedunt, quæ ſi quis minus det, eum falſum putare fatebuntur; alia non item. cuius generis ſunt ambigua omnia, (utrum enim animantium animus intereat, nec ne non eſt multis exploratum) in quibus non eſt certum, utro modo ſoleat concedi id de quo agitur: utrum ut ſententiæ ſolent, quorum nomine appellant & ueras opiniones, & uniuerſas negationes, qualis eſt illa, diametros menſura definiri non poteſt.

Quoniam inquit, ſiquis non concedat nonnulla, quæ plerique dant & concedunt, eum falſa dicere aiunt; alia uero ſi non concedat, ut ſunt ambigua omnia: non dicunt falſum dicere. ut etiam ex animo animalium poteſt intelligi: in iis quæ ſunt controuerſa, non eſt omnino reſpondendum (hoc enim deeſt, ad ſententiam uerborum quæ explanamus perficiendam) ſed conſiderandum eſt, quidnam uelit ſibi dari is qui interrogat, ut ne tu idem ſumas atque concedas. Veluti ſi quæſtio ſit, num animus mortalis

mortalis ſit, an immortalis? quia id controuerſum eſt, uide utram partem uelit is qui ponit quæſtionem, & tu alteram concede. nemo enim reprehendit eum, qui in controuerſis utram partem uelit concedat. In contextu autem uerborum cum ait, in quibus non eſt certum, utro modo ſoleat concedi id de quo agitur, deeſt hoc totum, in iis non concedendum eſt, ut ita ſit perfecta oratio, In quibus incertum eſt utro modo concedi ſoleat, in iis non eſt reſpondendum aut etiam, aut non. Sed ipſe abſolute dicit, in quibus incertum eſt id de quo agitur. Ait autem ſententias appellari etiam ueras opiniones, quales ſunt quæ omnibus, aut pluribus, aut certe ſapientibus, atque iis, uel omnibus, uel plurimis, aut iis quorum ſpectatá eſt & cognita ſapientia; probantur. de quibus primo Topicorum libro diſſeruit. & dicit etiam uniuerſas negationes; hoc eſt negationes uniuerſales, cuiuſmodi eſt eá quæ de toto genere negat.

PRAETEREA cuius de ueritate plurimæ ſunt ambiguæ opiniones, eius ſi nomina ex alio transferas, non id perſpicuum erit. Nam quoniam dubium eſt, utra in parte inſit ueritas, ſophiſtarum partes agere non uidebere: quoniamq́ue ambiguum eſt, non mentiri. Translatio etiam faciet, ut ne reprehendatur oratio. Præterea ut quiſque rogata præſenſerit, ita eis ante occurrere, eaq́ue prædicere debebit. ſic enim ei qui rogabit, reſiſtet facillime.

In quibus inquit, non eſt perſpicua ueritas, ſed de eorum ueritate ſunt opiniones ambiguæ, in iis ſi quis transferat, & accommodet nomina ad id, quod eius propoſito conducit, latebit uel maxime. Nam ſi uerum eſt animum a ſe moueri, & motu interiore cieri ac ſuo; ambiguæ autem ſint opiniones, & pares in utranque partem, animum ſe ipſum mouere & non mouere: (nihil enim prohibet, quin id, cuius non habeas plenam cognitionem, putes æque ita eſſe, & ſecus.) ſi is qui reſpondet mutabit nomen motus in motus priuationem, & dicat, animus eſt immortalis ille quidem, ſed non mouetur, ut tu rogaſti, certe hic non uidebitur ſophiſtarum partes agere, nec ſophiſtarum more reſpondere. Probabitur enim animum eſſe immortalem ex eo quod moueatur a ſe: mortalem autem, ex contrario, propterea quod ſi non mouetur, non ſeparatur a corpore, ſi non ſeiungitur, una occidit. Vel quod ait, transferre, ſignificat translationibus uti. ſi quis enim ponat animum eſſe caducum, utatur translatione, & dicat, ſi animi eſt concinnitas cum uita ſit, ut in Phædone ſcribit Plato, nunquam fiet inconcinnitas hoc eſt mors. nam ſi anima quæ uita eſt, concinnitas & harmonia eſt, certe inconcinnitas & diſcrepantia mors eſt omnino. ſi harmonia non fiet diſcrepantia, ne mors quidem fiet unquam, ergo anima immortalis eſt. Verum prior expoſitio melior eſt, & magis accommodata, ut intelligi poteſt ex iis, quæ ſequuntur. ait enim præterea ut quiſque rogata præſenſerit, ita eis ante occurrere, eaq́ue prædicere debebit. quæ omnia ipſe tradit reſpondenti, ut cauere poſſit, nequid ei impedimento ſit quin reſpondeat, ne'ue capiatur. quæ inquam dicit, ut ſuperiorem ſententiam declaret, atque confirmet. Eſt etiam talis dictorum ſenſus. Cum is qui reſpondet nouit quæ rogantur, prædicere debebit, rogata eſſe ambigua, & dicere non eſſe eiuſmodi, ut interrogans ait, ſed contraria. ita enim ſi faciat & tantum non os aperiens dicat, non ita ſe res habet ut tu ais, ſed potius contra, prohibebit, ne is qui quæſtionem ponit, id quod uult concludat.

SED quoniam uera explicatio, expoſitio eſt falſæ ratiocinationis, quacunque ex interrogatione falſum efficiatur, falſa autem ratiocinatio quoniam duplex eſt, altera, cum falſum concluſum eſt; altera, cum ſi minus eſt ratiocinatio, attamen uidetur eſſe; certe hæc ipſa explicatio eius etiam quæ eſſe ratiocinatio uidetur, explicatio ſit neceſſe eſt, ex quo proſpicitur interrogationum correctio. Ita fit, ut orationes, quæ concluſæ ſint, refellendo: eæ autem quæ uidentur concludere, diſtinguendo explicentur. Rurſus quoniam argumentationum quæ concluſæ ſunt, aliæ ueram, aliæ falſam concluſionem habent, eas quibus falſum concluditur, duobus modis licet diſſoluere, tum refellenda aliqua interrogatione, tum docendo eam eſſe naturam concluſionis: Eas autem quorum uera concluſio eſt, aliquid ſolum refellendo, præſertim cum uera ſit concluſio. Quare iis qui argumentationem diſcutere uelint, hoc primum uidendum eſt, ſit ne concluſa, an minus concluſa. Deinde utrum uera

ſit, an falſa concluſio, ut eam aut diſtinguentes, aut refellentes diſtinguamus. & refellentes uel hoc, uel illo modo, quemadmodum ſupra diximus.

Cum aggreſſurus ſit, ad tradendam nobis uiam & rationem, qua fallacias diſcutiamus & explicemus ſiue eæ ſint ex homonymia, ſiue ex ambiguitate, ſiue alio quouis modo ex iis XIII. quos explicauimus ſint factæ: huius rei demonſtrandæ altius principium petit. atque ait, quoniam omnis ratiocinatio captioſa uel conſtat ex falſis propoſitionibus in materia, uel in forma, & ex eo non concludit, fit ut in ea cuius forma ualens eſt, & firma, falſæ autem propoſitiones ſunt, ſit adimenda una ex propoſitionibus ex qua falſum inducitur: uel ſi contigerit, auferendæ ſint ambæ, ſed maior potius, ut ſæpe diximus: atque ita explicanda: in cuius autem forma uitium ineſt, ea ſtatim quod non concludat, reprehendenda ſit. & ita reücienda. Atque omnis quidem dictorum intentio eſt huiuſmodi, uerba autem ita etiam breuiter percurri poſſunt. Quoniam uera explicatio & expoſitio omnis captioſæ ratiocinationis; eſt declarare ex qua propoſitione maiore ne, an minore efficiatur falſum, falſa autem ratiocinatio duplex eſt, altera cuius forma recta eſt, qualis eſt ea qua dicitur, lapis omni animali, animal omni homini, & concludit ex omni & omni falſam concluſionem, omnem hominem eſſe lapidem: altera cuius uitioſa eſt figura, & propoſitiones ueræ ſunt: cuiuſmodi eſt ea, quæ in ſecunda figura ex duabus aientibus, hominem eſſe equum concludit; quæ quidem non eſt ratiocinatio, eſſe tamen ignaris uidetur: certe explicatio ratiocinationis quæ ita concludat, erit hæc ipſa explicatio quam diximus. explicatio uidelicet quæ proxime dicta eſt, ſcilicet ratiocinationem non concludere, idq; quia homonyma, aut ambigua, aut alia eiuſmodi ſint rogata, uel eam ratiocinari ex duabus ſingularibus, uel ex duabus negantibus, aut tale quippiam. atque etiam correctio propoſitionis non apte ſumptæ, ex qua falſum efficitur. Ita fit ut ratiocinationes quæ concluſæ ſunt, auferendo, & refellendo: eæ autem quæ uidentur concludere, diſtinguendo explicentur. Quod autem ait, eæ autem quæ uidentur concludere, diſtinguendo, idem eſt, ac ſi diceret. Ei qui huiuſmodi ratiocinationes in propoſitiones diſſoluit, conſiderandum eſt, quomodo eæ propoſitiones ſunt adhibitæ, & utrum rogata ſint homonyma, aut aliud quid ex quo naſci ſoleat falſa concluſio. eas autem quæ concluſæ ſunt, & proprium figuræ, in qua ſunt factæ conſeruant, refellere debemus, & genus captionis oſtendere: eas uero quæ non concludunt diſtinguere, & docere duas aientes propoſitiones eſſe in ſecunda figura. aut aliquid aliud eius generis. Hactenus autem de ratiocinatione in cuius forma uitium ineſt, & cuius materia in qua uerſatur falſa eſt, diſſeruit: nunc de ea ſola, cuius forma recta eſt, ſed non ita exquiſita eſt, uerba facit. & ait, ex iis ratiocinationibus, alias eſſe quarum eſt uera concluſio, ut illæ, homo eſt lapis, lapis eſt animal, homo igitur eſt animal, alias quarum eſt falſa concluſio, quæ claræ & notæ ſunt: eas autem quæ falſam habent concluſionem, duobus modis ſolui poſſe: etenim cum falſa ſit concluſio, propoſitiones quoque falſæ erunt neceſſario. quã ob rẽ in iis & concluſio & propoſitiones ex quibus ipſa conficitur tollendæ ſunt: eas autem, quarum falſæ ſunt propoſitiones, uno tantum modo licet diſſoluere. Cum enim ex falſis etiam uerum efficiatur, in iis ratiocinationibus propoſitiones quidem auferentur, concluſio non item. cum ea uera ſit. Quocirca is qui uoluerit hanc captioſam ratiocinationem diſſoluere, primum uidere debebit, an in forma, an'ne in materia ſit uitium. ſi in materia ſit, quærere, an in propoſitionibus, an in concluſione ſit falſum. id ſi in concluſione fuerit, in propoſitionibus quoque erit neceſſario. quod non uiciſſim retro dicitur. quæ omnia quo modo ſint, inueſtigandum erit. Quod ſi in forma peccet ratiocinatio, eam diſtinctione adhibita diſſoluemus. ſi in materia, eam ſublata falſa propoſitione explicabimus. in eo uero quod ait, Deinde utrum uera ſit, an falſa concluſio, ut eam aut diſtinguentes aut refellentes diſtinguamus, dicit diſtinguentes pro eo quod eſt, in propoſitiones redigentes. ut etiam ait refellentes hoc uel illo modo, hoc eſt uel concluſionem ſolam, uel concluſionem & propoſitiones refutemus.

PERMVLTVM autem intereſt, utrum interrogati ab alio, nec ne argumentationem explicemus. Nam & prouidere difficile eſt, & facile eſt cum ocioſi ſumus uidere explicationem.

Quod ait, idem eſt, ac ſi dicat, Permagni intereſt argumentationis uitium cognoſcere. Eſt enim explicatio argumentationis, inuentio uitii quod in ea ineſt, quod fit cum ocioſi & ſoli conſideramus quo nam modo ſit effecta ratiocinatio; ac quo modo ſumptæ ſint propoſitiones, & cum ab aliis interrogamur. Eſt enim difficile & multo uſu, ac longa exercitatione opus ut ſimulatq; aliquis interrogatur prouidere poſſit, quid ſit ex ea argumentatione efficiendum.

ATQVE reprehenſiones quidem, quæ ex ambiguo, & homonymia oriuntur,

tur,

tur, partim habent aliquam interrogationem, quæ plura declarat, partim concluſionem, quæ multis modis dicitur. ueluti in ea reprehenſione, quæ σιγῶντα loqui concludit, concluſio duobus modis dicitur. in ea autem qua efficitur eum qui ſciat aliquid, neſcire, qualis eſt hæc: an is qui ſcit dicere aut facere, illud etiam ſciat quod dicit aut facit? hic autem ſcit iambica dicere, hic igitur ſcit iambica: in hac, inquam, una interrogatio ambigua eſt. Et quod duplex eſt interdum eſt, interdum non eſt; ſed ambiguum aliqua ex parte eſt, aliqua ex parte non eſt in illa argumentatione.

Quatuor modi ſunt, quibus confici ſolent duo captionum genera, quorum alterum ex homonymia, alterum ex ambiguitate naſcitur. Primus modus eſt, cum nomen aut oratio multa ſignificat, qui quidem modus & ei captioni quæ ex homonymia, & ei, quæ ex ambiguitate naſcitur, communis eſt. Alter eſt, cum ſoliti ſumus ita dicere. atque is quoque eſt communis. Tertius quando coniunctum multa ſignificat, ſeparatum uero ſimplex eſt, quale eſt ſcire literas. neque enim ſcire multa ſignificat, neque literæ: coniuncta autem multa ſignificant. qui quidem modus eſt proprius eius ſolum, quæ ex ambiguitate oritur. Quartus eſt tertio contrarius: quando coniuncta uerba unum ſignificant, ut homo mortuus eſt, ſeparata uero, multa declarant. ut ſi dicatur, Homerus poeta eſt, unum ſignificat, ſin autem ſeiungatur hoc pacto, Homerus eſt, multa: ut uel poetam eſſe, uel uiuere, atque eſſe. Quæ cum ita ſint, ait, reprehenſionum quæ ex homonymia & ambiguitate ducuntur, alias eſſe quæ ex homonymia ductæ, habent aliquam interrogationem quæ plura declaret, nomen uidelicet. cumque id habeant quod multa declarat, etiam oratio, quæ ex eo nomine effecta eſt, duplex erit. quamobrem adiungendum erit uerbum orationis, ut totum ſit huiuſmodi: Reprehenſiones quæ ex homonymia ſumuntur, habent nomina & orationem quæ multa ſignificat. in hac enim, canis incedit, & nomina & oratio multa declarant. ſiquidem inceſſus in animalibus quæ ſerpunt, quæque uadunt, dicitur. ex quo fit, ut ſi canis nomen multa ſignificat, etiam oratio, cui coniungitur, duplex ſit. aliæ ſunt quæ concluſionem habent, quæ multa ſignificat. Captiones inquam, quæ ex ambiguo exiſtunt, habent ambiguitatem in oratione, quam orationem ipſe concluſionem appellauit: quod ea quoque ſit oratio. Nam ſi ambiguitas proponitur quaſi propoſitio, efficiturque concluſio, certe reprehenſiones quæ ex ambiguo oriuntur habent orationem, quæ multa ſignificat, nomen non item. ut liceat me nunc perdere. hic enim nullum nomen eſt, duplex aut multa ſignificans. oratio enim ipſa ſignificat uos ipſos tollere, & interimi. Atque etiam fortaſſe dicet quiſpiam, ut dictum eſt in reprehenſione, quæ ex ambiguitate ducitur, & nomina & oratio multa ſignificant. In hoc enim licet ne σιγῶντα loqui, & oratio multa ſignificat, & item σιγῶντα. in quo primum dicendum eſt, σιγῶντα non eſſe nomen, ſed participium, eodemque modo ὁρῶντα. at in iis quæ ex homonymia oriuntur, ſemper ambiguitas eſt & in nominibus, & in orationibus. in captionibus uero quæ ducuntur ex ambiguitate, ipſa ambiguitas eſt proprium in oratione, ut inuenire eſt apud philoſophum idem ſub initio dicentem. ac quandoque etiam in nominibus habetur ambiguum, quandoque non habetur. Quæret hoc loco aliquis, qua ratione prius dixerit, in eo quod dicitur σιγῶντα loqui, cauſam captionis eſſe in repugnantia, & non in ratiocinatione, hoc eſt concluſione, nunc uero ait, in eo quod dicitur σιγῶντα loqui, concluſionum duobus modis dici. An quia in quibuſdam captionibus concluſio eſt eadem atque altera e propoſitionibus, propterea accipit interdum pro exemplo eius quod duplex ſit, propoſitiones duobus modis dici; interdum uero concluſionem? Clarum enim eſt in eo quod dicitur σιγῶντα loqui, & propoſitiones, & concluſionem duobus dici modis. Cum autem concluſio ſit aliud quid diuerſum a propoſitionibus, certe non ſumit concluſionem pro exemplo propoſitionis, quæ duobus modis dicatur; ſed ut concluſionem ſolum. Quod autem ait, in ea autem quæ efficitur eum qui ſciat, aliquid neſcire, eſt exemplum reprehenſionis, quæ ex ambiguitate oritur. nullum enim nomen habet interrogationem quæ dicatur multis modis, ſed orationem. Captio eſt huiuſmodi. An is qui ſcit dicere aut facere, illud etiam ſciat quod dicit aut facit? certe. hic autem ſcit dicere iambica, hic igitur ſcit etiam iambica. ſed ignorat ea quæ ab illis ſignificantur, cum de puero, aut de plebeio loquimur. Igitur ſi hic ſcit iambica dicere, neſcit autem ea quæ ab illis ſignificentur, (nihil enim uetat aliquem memoriter ſcire, & ſine libro iambica dicere ac pronunciare, & quid ſignificent, ignorare) certe falſum eſt, eum ſcire. Iam uero cum dixerit reprehenſiones quæ ex homonymia oriuntur, habere nomina & orationem quæ multa ſignificant; eas uero quæ ex ambiguitate, habere concluſionem & orationem quæ multa declarant, ſiue propoſitio ſit oratio, ſiue concluſio, earum quæ ex homonymia conſtant, exemplum nullum poſuit; earum uero quæ ex ambiguitate, duo exempla ſuppoſuit, quorum alterum habet propoſitiones & concluſionem quæ multis modis dicuntur; alterum, propoſitionem ſolum. Scire enim debemus, in eo quod dicitur σιγῶντα loqui, & concluſionem & propoſitionem dici duobus modis. eius uero quod dicitur, eum qui ſciat aliquid neſcire, propoſitionem quidem eſſe duplicem, ſed concluſionem non item.

ſiquidem concluſio, hic igitur ſcit iambica, non dicitur duobus modis. Verba ipſa clara erunt ſi quod ait, in ea autem qua efficitur eum qui ſciat aliquid neſcire, ita legantur: In reprehenſione quæ ait, an is qui ſcit, etiam ſciat, interrogatio duplex eſt & ambigua, concluſio ſimplex. Quod uero ait, Et quod duplex eſt, interdum eſt, interdum non eſt; dictum eſt de duobus modis, ex quibus conſtant ea quæ dicuntur multis modis, de eo uidelicet in quo uerba ſeparata ſunt ſimplicia, & coniuncta non ſunt ſimplicia, & de eo, in quo uerba coniuncta ſimplicia ſunt, ſeparata, non ſunt. eſtq; quod ait huiuſmodi. Duplex non eſt, ſi ſcire & literas ſeparatim dicantur, ſin autem coniuncte, duplex erit. interdum uero ambiguitas eſt in coniunctione uerborum, interdum in diſtinctione, Duplex quoque in captionibus quæ ex ambiguitate naſcuntur, ita intelligi poteſt, ut interdum ſit in ipſis interrogationibus, & in propoſitionibus, interdum non ſit. Diximus enim has duas ſpecies inter ſe differre, quód eæ quæ ex homonymia oriuntur, ſemper habeant duplex & in interrogationibus, & in nominibus: eæ uero, quæ ex ambiguitate, non ſemper, ſed partim habeant, partim non habeant. Quod uéro ait, ſed ambiguum aliqua ex parte eſt, aliqua ex parte non eſt; idem eſt, ac ſi dicat, aliqua pars ambigui eſt, & uera eſt, aliqua non eſt, & ſalſa eſt. In hac autem, an is qui ſcit dicere illud etiam ſciat dicere, aliqua pars uera eſt, ſalſa aliqua. Nam ſi dicatur de eo qui ſciens eſt, uerum erit; ſi de puero & plebeio, falſum. quandoquidem ille ſcit, hi neſciunt.

ATQVE IN quarum fine aliquid multis modis dicitur, niſi contrariam enunciationem aſſumpſerit, non erit reprehenſio: ut in ea, qua quis cæcus uidere dicitur, neque enim ſublata contradictione eſſe reprehenſio ullo modo poteſt.

Verba hæc clara ſunt, ſi modo in memoria habemus ea, quæ in hanc ſententiam ſcripſit ſecundo priorum analyticorum libro, cum docet quonam pacto ex contrariis fiat argumentatio. ibi enim prope finem eius tractationis eſt ſcriptum his fere uerbis. Aduertendum autem, inquit, eſt, hoc pacto ex una ratiocinatione concludi non poſſe contrarium: ut concluſio ſit quod non eſt bonum in bonis eſſe. aut aliud huius generis, &c. Quæ cum illic ita ſcripta ſint, faciunt ut perſpicuum ſit, ut id quod ait, Atque in quarum fine, idem ſit, ac ſi dicatur, atque in quarum concluſione. ſiquidem concluſionem finem appellauit. Atque in quarum concluſione cernitur aliquid multis modis dictum, hoc eſt repugnantia, ſcire debemus ſumptam eſſe propoſitionem quæ habeat repugnantiam. niſi enim aſſumatur in propoſitione repugnantia, non erit reprehenſio, quæ ex una ratiocinatione contraria concludat. Deinde quaſi nobis in memoriam redigens ea quæ ſecundo priorum dixit, adiungit, Neque enim ſublata contradicente pronunciatione eſſe reprehenſio ullo modo poteſt. In eo enim etiam libro, dictum eſt, non fore reprehenſionem quia efficiatur bonum nõ eſſe in bonis, niſi aſſumatur repugnantia. ſecundus enim priorum liber continet initia fallacium reprehenſionum. Vel potius quod ait, tale eſt. Atque in quarum concluſione eſt ambiguitas, (id enim ſignificat quod ait, multis modis dicitur) niſi repugnantiam aſſumpſerit, nondum perſpicuum eſt an reprehenderit. hoc enim ſignificat quod ait, non erit reprehenſio. ut, an licet cæcum uidere? non. quid? cum cæcum uides, non'ne cæcum uides? licet igitur cæcum uidere. ambigua eſt hæc oratio. ſignificat enim uel eum qui cæcus eſt uidere, uel eum qui uidet, uidere cæcum. cui reprehenſioni ſi declarari debet, addenda eſt repugnantia hoc modo. Licet igitur cæcum uidere, & non uidere, uel ſic, cæcus igitur uidet & non uidet. Quia enim id ambiguum eſt propterea quod multa ſignificat, profecto niſi aſſumatur contraria enunciatio, quid horum concluſum ſit, incertum erit: ſiquis alteram ſignificationem reſpiciens, alteram non reſpiciens cõcluſerit. ea enim qua dicitur licet igitur σιγῶντα loqui, dubium eſt an ſit reprehenſio. ſin autem aſſumatur contradicens pronunciatio hoc modo, licet igitur σιγῶντα loqui, & non loqui, perſpicuum fiet eſſe reprehenſionem. quo ſane modo ſecundo priorum analyticorum libro reprehenſionem effici docuit. quod nunc innuens ait, ſublata repugnantia reprehenſionem nullam fore.

IN QVARVM autem interrogationibus ambiguum eſt, non eſt neceſſe plane illud negare: quoniam non ad illud argumentatio adhibenda eſt, ſed huius cauſa eſt omnis comparata.

In quarum autem inquit interrogationibus, ambiguum eſt, non neceſſe eſt plane hoc eſt omnino illud negare, & dicere non eſſe. cum autem quadam ex parte uerum, quadam ex parte falſum eſt, tum in iis non neceſſe eſt omnino negare, propterea quod falſo negaremus. at cum omnino ſit falſum, tum negandum erit, ut an Aiax ſingulari certamine cum Therſite manum conſeruit? non. hoc enim loco omnino negandum eſt. cum neuter Aiax cum Therſite ſolus dimicauerit. In ea autem, qua dicitur, An is

qui

qui ſcit dicere, illud etiam ſcit, quod dicit, non neceſſe eſt negare. quia de eo qui ſcit falſum eſt negare, quandoquidem is qui ſciens eſt ſcit ea quæ dicit. ita in his non neceſſe eſt negare, at in concluſione eſt neceſſe, ut an uero ſcit illud quod ſcit dicere? reſpondendum eſt, non. falſum enim eſt ſi dicatur, homines ſcientes & intelligentes neſcire ea quæ dicere ſciunt. Iam uero cum dixerit non eſſe plane negandum ambiguum, eius rei cauſam affert his uerbis. Quoniam non ad illud argumentatio adhibenda eſt, ſed huius cauſa eſt omnis comparata. hoc eſt, quoniam non ad illud rogatum argumentatio adhibenda eſt, ſed cauſa concluſionis eſt omnis comparata. cauſa enim concluſionis fit rogatum. cumq; cauſa concluſionis rogatum fiat, atque in rogato dubium ſit, quid futurum ſit, & quid concludi debeat, (neſcimus enim utrū de puero, an de ſciente concludat orationem) non neceſſe eſt plane negare. ſed reſpondendum eſt, Fortaſſe, uel partim eſſe, partim non eſſe, ut ipſe facit.

INITIO ergo argumentationis ſi quod ſit ambiguum uerbum, uel ipſa oratio ſit, ita reſpondendum eſt, ut quodammodo eſſe, & quodammodo non eſſe dicamus. ut σιγῶντα loqui, aliqua intelligentia uerum eſſe, aliqua non eſſe. & cum quæritur, ea ne quæ oportet, facienda ſint? alia eſſe, alia non eſſe dicendum eſt. Quod enim oportet multis modis dicitur. Quod ſi ambiguum lateat, id in fine, interrogatione adiuncta, corrigendum erit. Licet igitur σιγῶντα dicere, non, ſed hunc σιγῶντα. De iis etiam in quarum propoſitione ambiguum eſt, iudicandum eſt eodem modo. Non igitur ſciunt quod ſciunt? etiam, ſed non hoc modo. Aliud eſt enim nihil ſciri poſſe, aliud eos qui hoc uel illo modo ſciunt, non poſſe. omninoq; pugnandum nobis, etiam ſi plane argumentum concluſerit, cum non eam rem, quam conceſſerimus, ſed uerbum ſolum refelliſſe. ex quo efficitur, ut illa non ſit reprehenſio.

Cum dixerit quomodo non oporteat reſpondere his uerbis, in quorum autem interrogationibus ambiguum eſt, non eſt neceſſe plane illud negare: nunc quomodo reſpondendum ſit docet. & ait, cum initio, hoc eſt in propoſitione, ſit ambiguum uerbum, uel ipſa oratio ſit ambigua, debere nos, ſimulatq; facta ſit interrogatio, eam non concedere, & affirmare: ſed dicere quodammodo eſſe, quodammodo non eſſe. quod ut declaret adiungit hoc exemplum, σιγῶντα loqui. Quemadmodum enim inquit in hoc, cum rogamur, liceat'ne σιγῶντα loqui, dicendum eſt, aliquo modo id uerum eſſe, aliquo non eſſe. ita in cæteris omnibus eſt faciendū. Quod ſi plerunque eueniat, ut cum quis ignoret orationem eſſe ambiguam, concedat rogatum: dicit id eſſe poſtea corrigendum in concluſione. Appellat enim ut ſæpe diximus, concluſionem, finem. In concluſione uero cum id ab eo qui ponit quæſtionem concludetur, adiuncta interrogatione impediunt ne is qui ratiocinatur, concludat. cuius rei exemplum adiungit, interrogat ſophiſtes, an liceat σιγῶντα loqui; is uero qui reſpondet, non dicit id quodammodo uerum eſſe, quodammodo non eſſe, ſed negat omnino. ille uero concludit, ergo licet σιγῶντα loqui. quonam modo effugiat is qui reſpondet, quin reprehenſus ſit quotieſcunque ille efficiet hanc concluſionem, ergo licet σιγῶντα loqui, ipſe uero addat, non? Socrates enim hic σιγῶν id eſt ſilens non loquitur. Idem faciendum eſt in iis in quarum propoſitionibus ſit ambiguum, niſi is qui reſpondet, ante diſtinguat. quæ ſequuntur, plana ſunt, & prædictis fere ſimilia.

PERSPICVVM etiam eſt, quemadmodum diluendæ ſint eæ, quæ ex diſtinctione, & coniunctione exiſtunt reprehenſiones. Etenim ſi diſtincta & coniuncta uerbis aliquid declaret, quæ concluditur argumentatio, contrarium dicendum erit. ſunt autem hæ argumentationes ex coniunctione, & diſtinctione, an quo uidiſti tu hunc uerberari, eo ipſe uerberatus eſt? quo uerberatus eſt, eo ne eum uerberari uidiſti? Habent illæ quidem aliquid ſimile ambiguarum interrogationum: attamen ex coniunctione ſumuntur. Neque enim ambiguum eſt id quod exiſtit ex diſtinctione, præſertim cum coniuncta, & diſtincta non eadem ſit oratio. ſiquidem nec hora & ora, eodem accentu pronunciata aliud efficiunt: ſed quemadmodum in ſcripto idem eſt uerbum, ſi iiſdem literis ſcriptum ſit, ſic etiam illic efficiunt notæ.

In uoce autem non ſunt eadem nomina. Quapropter reprehenſio ea, quæ ex diſtinctione eſt, non ambigua eſt. Atque etiam illud perſpicuum eſt, non omnes, ut quidam dicunt, reprehenſiones ex ambiguo exiſtere. Diſtinguere ergo uerba a uerbis debet is, qui reſpondet. Neque enim idem efficit, oculis uidere uerberari aliquem, quod oculis uerberari aliquem uidere.

Cum docuerit quo modo reſpondendum ſit in reprehenſionibus quæ naſcuntur ex homonymia, & ex ambiguitate, cumq; de eis ſatis locutus ſit, nunc de captionibus quæ ex diſtinctione, & coniunctione exiſtunt, uerba facit: explicatq; quemadmodum diluendæ ſint. Nam ſi, inquit, eadem oratio aliud ſignificat diſtincta aliud coniuncta uerbis, cum id de quo agitur concluſum eſt, tu contrarium dicito. Dixit autem reprehenſiones quæ ex coniunctione & diſtinctione exiſtunt eaſdem eſſe. quia idem ab uno diſtinctum alteri coniungitur, & coniunctum uni, diſiungitur ab altero. ut, Socrates ſedet, qui ſedet poteſt ambulare, Socrates igitur ambulat. in quo ambulat ſeiunctum a uerbo poteſt, coniunctum eſt Socrati, & exorta eſt captio qua efficitur, Socratem ambulare. ita in eodem uerbo ambulare & diſtinctio facta eſt & coniunctio. ſed ab alio diſtinctio, ut a uerbo poteſt, alii uero coniunctio, ut Socrati. quod in cauſa fuit, ut dixerit, ſunt autem hæ argumentationes ex coniunctione & diſtinctione. nihil enim intereſt hoc an illo modo dicas. quocirca Ariſtoteles eas quæ ex coniunctione & diſtinctione oriuntur, tanquam unum genus ſumpſit, cum dixit perſpicuum eſſe quomodo diluendæ ſint quæ ex diſtinctione & coniunctione exiſtunt, cum hoc ſignificationis differentiam facit. Atque hanc quidem captionem, an quo tu uidiſti hunc uerberari, eo ipſe uerberatus eſt? eſſe ex coniunctione, perſpicuum erit, ſi totam exponemus, eſt enim huiuſmodi. An quo uidiſti tu hunc uerberari, eo ipſe uerberatus eſt? etiam. Vidiſti autem ipſum oculo uerberari, oculo igitur uerberatus eſt, & non flagello, quod quidem eſt falſum. Veritas enim erat, igitur oculo uidiſti hunc eſſe uerberatum. quæ captio orta eſt ex eo, quod hunc uerberatum eſſe a uerbo uidiſti diſtinctum eſt, & additum, oculo. neque enim dicendum erat, hic fuit oculo uerberatus, ſed hic uiſus oculo eſt uerberari. uel oculo uidiſti hunc uerberari. cumq; id quod a diſtinctione ſumitur, non ſit ambiguum, quod ipſe ſignificauit his uerbis, neque enim inquit ambiguum eſt id quod exiſtit ex diſtinctione, id uero quod ducitur a coniunctione ambiguum ſit, certe fit, ut captio ex coniunctione efficiatur. diſtinctum enim uerbum, uerberatus eſt, ab oculo cum uerbo uidiſti, aut uiſus eſt, coniunctum; deinde totum hoc, uidiſti uerberare, coniunctum oculo, uerum concludit hoc modo, oculo uidiſti hunc uerberatum. ex quo perſpicuum eſt quod eſt ex diſtinctione, eſſe etiam quodammodo ex coniunctione, quodq; ex coniunctione eſt, id ex diſtinctione itidem eſſe. Dicit autem captionem habere aliquid ſimile ambiguarum interrogationum. nam quod dicitur, eo ipſe uerberatus eſt, ambiguum eſt. quia dicendo eo, poteſt intelligi flagello, & poteſt etiã intelligi oculo, niſi quod eſt ex compoſitione, præſertim cum diſtincta uerbis oratio ambigua non eſt. Quod enim inducitur, tu autem uidiſti hunc uerberari, & coniungitur, facit ut ambiguum ſit id, an quo tu uidiſti hunc uerberatum eo ipſe uerberatus eſt? quia ſi per ſe dictum eſſet, non eſſet ambiguum. Atq; ambiguum eſſe ortum ex coniunctione poſterioris cum priore, declarauit philoſophus his uerbis. ſiquidem nec hora & ora eodem accentu & pronunciatu aliud efficiunt, quaſi dicat, quemadmodum hora & ora eodem accentu pronunciata, non diuerſum ſignificant, (horum enim uerborum ſententia abſoluta, erit hoc modo, cum & ipſa, & accentus differentes coniunguntur, tunc fit ambigua oratio) ſic etiam fit in re de qua agitur. ambigua enim oratio ex coniunctione orta eſt. Nam ſi quis in his duobus nominibus ὄρος & ὅρος quorum primum montem, alterum definitionem ſignificat, ſcribat aut dicat, an ὅρος ſit ὄρος? is interrogationem ambiguam faciet. poteſt enim intelligi ſic, an ὄρη hoc eſt montes ſint definitiones & orationes? itemq; hoc modo, an ὅρη .i. montes ſunt petræ cum arboribus, & aliis quibuſdam eius generis. ſed ſi ſcribantur ſine accentu tenui & aſpirato, ambigua erit oratio. Quæ enim in huiuſmodi ſcripta ſunt ſine accentu, ſunt eadem, atque ea quæ interrogantur accentu. ſcripto non iam ambigua oratio eſt. Quod uero ait, neque enim ambiguum eſt id, quod exiſtit ex diſtinctione; non puto eſſe dictum ut eo probetur, hanc fallacem concluſionem ex ambiguitate non exiſtere. Veriſſimus enim modus reprehenſionum, quæ ex ambiguitate ducuntur, eſt in quo nullum nomen ambiguum eſt, ſed in ipſa oratione ineſt ambiguitas, ut in hoc, liceat me nunc interimere in quo nullum uerbum ambiguum eſt, ſed oratio. quamobrem hæc uerba non ſunt dicta quaſi id probent. Videtur enim hic philoſophus dicere, ſi cum diſtinguitur oratio, eius partes ambiguæ ſunt, eam etiam orationem eſſe ambiguam, quaſi ambigua omnia partes etiam ambiguas habeant: quod falſum eſt. Cum enim ut ante dixi, quatuor modi ſint ex quibus eliciuntur captiones quæ ex homonymia & ambiguitate oriuntur, primus eſt cum oratio aut nomen multa ſignificat, qui & homonymiæ & ambiguitati æque communis eſt; alter cum ſoliti ſumus ita dicere, qui ipſe quoq; utriuſque communis eſt: tertius quando uerba coniuncta multa ſignificant, diſtincta unum, qui eſt proprius ſoli ambiguitati; quartus qui eſt tertio contrarius, quando uerba coniuncta, unum; diſtincta, multa declarant; qui plerunque

primum

primum modum efficit, & ſecundum etiam, ſed raro: cum inquam quatuor proprii modi ſint in quibus ambiguitas uerſatur cum nullum nomen ambiguum ſit, non arbitror hæc uerba, neque enim ambiguum eſt id, quod exiſtit ex diſtinctione, eſſe ab philoſopho adiuncta, quaſi dicat, ſi diſtincta uerba ſint ambigua, exiſtere ex ambiguitate captionem. cum enim ambiguum non eſt, ex ambiguitate certe non eſt. ſed quod ait, eſt huiuſmodi. cum oratio coniuncta ſit ambigua, diſtincta uero, non ſit, efficitur ut fallax concluſio ſit ex coniunctione. Eademq; ratione hæc, uidiſti ne triremes nunc quæ ſunt in Piræo ex Sicilia? ex coniunctione oritur. Aliud enim ſignificatur, ſi triremes a Piræo diſtinctæ ſint, aliud ſi coniunctæ. ſi enim diſtinctæ ſint, declaratur, te ex Piræo nunc uidiſſe triremes quæ ſint in Sicilia; ſi coniunctæ, ſignificatur, te nunc ex Sicilia uidiſſe triremes quæ ſunt in Piræo. In iis uero quæ ait, ſed quemadmodum in ſcripto idem eſt uerbum, ſi iiſdem literis ſcriptum ſit, deeſt hoc totum, non eſt ambiguum. quod ait eſt huiuſmodi. in ſcripto idem nomen aut eadem nomina ambigua non ſunt, cum iiſdem literis ſcripta ſunt, & iiſdem accentibus & ſpiritibus notata: ut uel ambo ſint aſpirata, uel ambo lenia, uel ambo uocalibus longis; aut iis quæ & longæ & breues eſſe poſſunt, ſcripta. nam ἦχος id eſt ſonus, & ἠχος non ſunt uerba ambigua. cum uero non iiſdem literis, ſed diuerſis ſcripta ſint, ambigua erunt. ut ex iis, κλῆμα & κλίμα perſpici poteſt. κλῆμα enim ſignificat uitem, κλίμα uero, orbis terræ partem, ut quod dici ſolet κλίμα διὰ ῥόδου, aut κλίμα διὰ Βορυσθένους. literas enim notas appellauit, ac forte etiam accentus, aut potius & literas & accentus. Cum enim prolata & explicata hiſce nominibus, hoc eſt τοῦ κλήματος καὶ κλίματος, non ſunt eadem, ut iudicarentur eorum ſignificationes alterum eorum ſcriptum eſt per η literam natura longam, alterum per ι literam tum longam tum breuem. Quod uero ait, in uoce autem non ſunt eadem nomina, erit clarius, ſi pro eo dicatur, nam coniunctio ſcripta, non eadem eſt. dixit enim in uoce non eſſe eadem nomina, ut iudicaret quamobrem notæ aliquid efficiant. quod uero ait, quapropter reprehenſio ea, quæ ex diſtinctione eſt, non ambigua eſt, idem eſt, ac ſi dicat, quapropter neque captio ambigua eſt, neque ex ambiguitate exiſtit: quia uerba ipſa diſtincta, inter ſe ambigua non ſunt. coniuncti enim pars diſtincta non eſt ambigua. His autem uerbis, neque enim idem efficit, oculis uidere uerberari aliquem, quod oculis uerberari aliquem uidere. diſſoluit & explicat captionem, qua dicitur, an quo uidiſti tu hunc uerberari, eo ipſe uerberatus eſt? quod ait, tale eſt. Non idem eſt dicere, oculis uerberari aliquem uidere, quod oculis uidere aliquem uerberari flagello. Videmus enim oculis & non auribus aut naribus uerberari aliquem. cædimus autem aut cædimur loris, non oculis. oculi enim non ſunt lora, ut quis eis cædatur.

ET EVTHYDEMI illa oratio, Vidiſti'ne triremes nunc quæ ſunt in Piræo ex Sicilia? eodem modo diluenda erit. Itemq; illa, fieri'ne poteſt, ut ſutor bonus ſit malus? poteſt autem fieri, ut aliquis bonus ſutor ſit malus: malus igitur ſutor. Et illa, an bonarum artium bonæ ſint notitiæ, mali autem bona eſt notitia, malum igitur eſt bona notitia. atqui malum & notitia eſt & malum: malum igitur, notitia mala eſt. Item illa, an uerum eſt, nunc te natum eſſe? nunc igitur natus es. Niſi forte aliud declarat, cum diſtinctum eſt, nunc enim uerum eſt, te natum eſſe: ſed te, nunc natum eſſe, haud uerum eſt.

Vt declaretur genus captionis quod ex coniunctione, & diſtinctione oritur, non unum exemplum, ſed multa ponuntur ut etiam ipſe indicauit, cum locutus eſt de illis, qui uolunt omnes argumentationes eſſe ex coniunctione & diſtinctione. qualis eſt etiam ea Euthydemi oratio, quæ ita concluditur, an uidiſti nunc triremes quæ ſunt in Piræo cum ſis in Sicilia? hæc enim captionis concluſio eſt ex coniunctione, & ambigua eſt, & uerbum εἶδες, hoc eſt uidiſti, accentu acuto non circunflexo notandum eſt. Hanc autem orationem proponit Euthydemus in Piræo, cum Athenienſium triremes in Siciliam eſſent delatæ. ita enim efficitur captio. Num tu nunc in Piræo es? etiam. Vidiſti ne triremes quæ in Sicilia ſunt? etiam. Vidiſti ne tu nunc triremes quæ ſunt in Piræo cum ſis in Sicilia? captio ex coniunctione eſt. non enim ſum nunc in Piræo. ac ſi uidi nunc triremes eſſe in Sicilia, neceſſe eſt me eſſe in Sicilia cum in Piræo ſim: & triremes quæ ſunt in Sicilia, in Piræo eſſe. Euthydemus enim concluſit, eum qui nunc eſt in Piræo, eſſe etiam in Sicilia: & quæ triremes ſunt nunc in Sicilia, eaſdem eſſe nunc in Piræo. Itemq;, ergo licet ſutorem bonum eſſe malum? hoc quoque ἀγαθὸν acuendum eſt. concluſio enim eſt captionis, quæ ex coniunctione orta ambigua eſt. uel enim bonus quidem eſt & probus, ſed malus ſutor & imperitus, uel peritus quidem & bonus ſutor, atque in arte laudatus, malus uero & ſceleſtus homo. in quo facta eſt ita quodammodo captio, Num Simon bonus eſt? etiam. num Simon ſutor malus eſt? etiam. igitur Simon bonus ſutor, malus eſt. ipſe uero ambas interrogationes monſtrauit, cum dixit, poteſt autem fieri ut aliquis bonus ſutor ſit malus. atque his uerbis, poteſt autem fieri ut aliquis bonus,

declarauit hunc,num Simon bonus eſt? his uero,ſutor malus, hanc, num Simon ſutor malus eſt? quam quidem captionem in libro qui περὶ ἑρμηνείας inſcribitur, quodammodo explicauit atque diſſoluit. cum ait,non omnia quæ ſeparatim dicuntur,coniunctè etiam dici poſſe,neque enim ſi ſutor ſit & bonus, continuo ſutor bonus erit. Quod uero ait,malus igitur ſutor,eſt explicatio captionis.quaſi dicat,eſt uir quidem bonus,at malus ſutor,ſed non malus homo,& bonus ſutor. Hæc fallacia poteſt etiam fieri hoc modo. Fieri ne poteſt,ut bonus ſutor ſit malus? hoc eſt,fieri ne poteſt ut quis ſit bonus ſutor, & homo malus? certe. eſt aliquis qui cum uir bonus ſit,malus eſt ſutor.deinde inducendum eſt,quaſi concludas, ergo erit bonus ſutor malus.id eſt,ergo erit uir quidem bonus,ſed malus ſutor, ſed huius contrarium fuerat propoſitum. In eo uero quod ait,an bonarum artium bonæ ſint notitiæ? duo ſunt uitia. unum, quia argumentatio concluſa eſt in ſecunda figura ex duobus aientibus.alterum, quia non concludit quod ex iis quæ poſita ſunt concludēdum uidetur; ſed aliud quidquam.id quod perſpicuum erit hoc modo. An bonarum artium bonæ ſunt notitiæ? certe. deinde inducito, mali autem bona eſt notitia. Vides duas propoſitiones aientes habere medium terminum notitiam.ſed licet nihil ualeat ad concludendum hæc coniugatio,tamen ex eo quod illi inducunt,non efficitur hoc,malum igitur eſt bona notitia: ſed hoc,mali igitur eſt bona ſcientia.quod ipſe declarauit, cum ait, malorum autem ſunt bonæ ſcientiæ, quaſi dicat,ex his quæ poſita ſunt non concluditur malum eſſe bonam notitiam,ſed mali aut malorum bonam eſſe ſcientiam. Quod autem ait,atqui malum & notitia eſt & malum: poteſt intelligi dictum eſſe a ſophiſtis,qui uelint abſurdi aliquid inducere.quaſi dicant,malum igitur eſt bona notitia: atqui malum eſt, quod eſt abſurdum.quod addit,malum igitur notitia mala eſt,confirmat a ſophiſtis dici, notitias etiam eſſe malas,& non ſolum bonas eſſe notitias, ſed etiam malas. Poſſunt hæc etiam ita,uti diximus,intelligi. Poſſunt etiam capi, ut dicta ſint explicandæ captionis gratia,quaſi dicat Ariſtoteles, primum quidem malum non eſt notitia.quod ſi quis ponat malum etiam eſſe notitiam,erit mala notitia. Ex iis quæ rogata ſunt,non concluditur eſſe bonam notitiam, ſed malorum bonam eſſe ſcientiam. quod minime abſurdum eſt: poteſt enim aliquis eſſe malus & ſceleroſus,& tamen eſſe arithmeticus,quæ ſcientia bona eſt. Hæc autem,an uerum eſt dicere nunc te natum eſſe? eſt huiuſmodi fallacia; an tu natus es? etiam. an uerum eſt dicere nunc, te natum eſſe? etiam: nunc igitur natus es.aliud enim ſignificat,nunc,diſtinctum a uerbo dicere,aliud,coniunctum.ſi uero quis de lunæ defectione nunc facta interroget ex diſtinctione ſumetur hoc modo. An nunc facta eſt defectio.

AN VT potes, & quæ potes, ſic & ea facies? cum autem non canis fidibus, canere fidibus potes: tunc igitur cum non canis fidibus, fidibus canis. niſi forte non eam uim habet, ut tum cum non canit fidibus, canat: ſed ut faciat, cum id non facit. Hoc autem quidam aliter diluunt. Dicunt enim, non ſi quia dederit alterum facere ut poteſt, iccirco effici ut is qui non canit fidibus, fidibus canat. Neque enim datum eſſe omnino ut poſſit, eum eſſe facturum, neque idem ualere,ut poteſt omnino quod ut poteſt facere. Sed eos non recte diſſoluere huic apparet, quod cum omnium rationum, in quibus eſt idem uitium, eadem ſit explicatio, hæc ipſa non ad omnes, neque ad eas,quæ omnino proponuntur,accommodabitur: ſed ad eum, qui rogat modo, non ad argumentationem.

Hoc eſt etiam exemplum captionis,quæ ex coniunctione oritur.ſophiſtæ enim ita rogabant. An ut potes,& quæ potes,ita & ea facies? etiam.cum autem non canis fidibus,canere ne fidibus potes? etiam.caneres igitur fidibus non canens. Ipſe uero cum propoſuiſſet captionem,& ueram eius explicationem adiunxiſſet,uidelicet te non poſſe ſimul fidibus canere,& non canere, ſed poſſe potentia fidibus canere; & captionem eſſe ex coniunctione: reprehendit eos qui eam ita non explicant;neque aiunt concluſionem hanc falſam ex coniunctione exiſtere:ſed ex alio quodam genere naſci.& dicunt, non quod poteſt facere omnino,hoc etiam poteſt neceſſario.nam ſi poſſe & neceſſe eſſe idem ualent, certe dicendum eſt, hoc modo non canens fidibus, canes: quia potes canere. poſſibile uero,neceſſarium eſt, omne neceſſarium, eſt,omne enim neceſſarium,eſt.quemadmodum omne impoſſibile, non eſt: ſi inquam idem ualet, inquiunt, poſſibile & neceſſarium, & neceſſarium, eſt,quia conceſſum eſt poſſe fidibus canere,conceſſum eſt etiam,canere fidibus cum non canit. Sed cum idem non ualeat,neque etiam conceſſum eſt,canere fidibus. Neque enim inquit,conceſſum eſt neceſſario facere;hoc eſt fidibus canere. cum dixerit poſſe facere & fidibus canere.neque enim neceſſarium & poſſibile idem ualent.quod intelligitur ex eo quod ait,neque idem ualere,ut poteſt omnino,quod ut poteſt facere. Sed perſpicuum eſt eos non recte diſſoluere. nam ſi captio ex eo oritur quod id quod fieri poteſt & quod neceſſarium eſt idem ualere capiantur, de-

bet

bet argumentationis,quæ ex eodem exiſtit eſſe eadem expiicatio.hoc eſt,eſſe eadem explicatio omnium earum argumentationum , quæ huic ſimiles ſunt , hoc eſt quæ propter coniunctionem,ut nos dicimus, decipiunt ; & non propter id quod fieri poteſt & neceſſarium ; ut illi dicunt ; uerum expiicatio neque in illis uaiet ; neque in hac etiam , ſi ita quæratur , an ut concedis & ponis , & quæ concedis & ponis, ita etiam ea facies ? cum non canis fidibus,concedis ne & ponis fidibus canere ? etiam , igitur cum non canis fidibus , fidibus canis.hic enim Ariſtotelis ſolutiones uaient,illorum autem,non item . Nihil enim prohibet,iterum uerba commemorare,& ea explicare ad hunc modum . Neque enim inquit,ii qui non recte ſoluunt aiunt omnino datum eſſe ut poſſit , eum eſſe facturum.hoc eſt non datum eſſe in omnibus ſignificationibus,quas habet uerbum poteſt,eum poſſe fidibus canere , & iam poſſe canere cum non canit:ſed hoc,ut poteſt canere fidibus,canet,declarat poſſe eum nunc fidibus non canentem , poſtea canere. hoc autem,omnino poteſt canere fidibus declarat eum,tum, cum fidibus non canit , iam canere . ita falſum eſt dicere poſſe eum fidibus carere tum , cum non canit . ita enim eſſet aiiquis uno tempore canens & non canens fidibus:quamobrem Ariſtoteles ait eos non recte expiicare.ſi enim quis ita argumentationem proponat,an ut concedis & ponis,& quæ concedis & ponis,ita & ea facies ? cum uero non canis fidibus,concedis & ponis te canere ? certe.igitur non canens fidibus canis.ſiquis inquam ita rogauerit:accommodata erit Ariſtoteiis expiicatio:quæ ait falſam concluſionem eſſe ex coniunctione . aliorum autem,non conueniet.Ac falſam quidem concluſionem eſſe ex coniunctione , perſpicuum eſt . non enim erat concludendum,igitur non canens fidibus,canis,ſed ſic , igitur non canens fidibus concedis & ponis te fidibus canere.hoc autem impoſſibiie non eſt.

EX ACCENTV autem nullæ extant orationes , neque in ſcripto neque in uoce , niſi admodum paucæ . Eiuſmodi eſt hæc , an οὗ habitas eſt domus? eſt ergo οὐ habitas , negatio illius , habitas , dixiſti autem οὗ habitas domum eſſe , domus igitur negatio eſt . Perſpicuum eſt quo modo id explicari debeat . idem enim ſignificat graui ſono prolatum aliquid & circunflexo.

Nunc repetit id , quod initio dixit : non multas fieri ex accentu falſas concluſiones, neque in ſcripto neque in uoce . niſi quod ſupra dixit , non faciie eſſe diaiecticis argumentationes facere de iis, quæ ſcripto non conſtant . in iis uero quæ ſcripta non ſunt , nuilo modo poſſe , præter admodum paucas. cuiuſmodi eſt hæc , an οὗ habitas eſt domus ? etiam . an οὐ habitas , eſt negatio illius , habitas ? etiam . domus igitur eſt negatio . fallacia ex accentu eſt. cum enim in prima propoſitione datum eſſet οὗ habitas circunflexo accentu notatum , quod ubi , ſignificat ; in ſecunda uero non ita , ſed hoc pacto οὐ , quod non , ſignificat , effecta eſt fallax concluſio.

PERSPICVVM etiam eſt , quo modo occurrendum eſt illis reprehenſionibus quæ ex eo naſcuntur , quod quæ non ſunt eadem , eadem eſſe dicunt: quandoquidem categoriarum genera tenemus . Num alter interrogatus , reſpondendo conceſſit non ineſſe aliquid eorum , quæ naturam rei declarant , alter autem docuit aliquid conuenire eorum , quæ cum aliquo conferuntur , aut quæ quanta ſunt , cum propter dicendi genus rei naturam ſignificare uideantur . ut in hac oratione , fieri ne poſſit , ut aliquid ſimul quis & faciat & fecerit ? Atqui fieri poteſt , ut aliquis quid ſimul & uideat , & eadem etiam ex parte uiderit . Rurſus , an pati aliquid ſit aliquid facere ? ergo ſecatur , uritur , ſentitur , eadem ratione dicuntur : eaq; omnia quid pati declarant . Quid , dicere , currere , uidere , eodem'ne modo inter ſe affecta eſſe dicuntur ? Atqui uidere , ſentire , quid eſt : ita ſimul & quid patitur , & facit . Quod ſiquis in ſuperiore oratione det fieri non poſſe , ut idem ſimul & faciat & fecerit , ut autem uideat & uiderit fieri poſſe ; is nondum reprehenſus erit , dum modo uidere , non facere quid , ſed pati dicat . ea enim deſideratur interrogatio . Sed ab audientibus exiſtimatur dediſſe tum , cum ſecare facere quid , & ſecuiſſe feciſſe conceſſerit , etiam ea omnia quæ eodem modo dicuntur . nam quod reliquum eſt , auditor

præponit. quaſi eandem habeat rationem cum non habeat, ſed propter formam dicendi habere uideatur, Idemq́; hic uſu uenit quod in ambiguis. illic enim is quæ uim uerborum ignorat, rem putat negatam eſſe, non uerbum: cum quæſtio etiam illa reliqua ſit, an ambiguum una ex parte, quam intelligat concedat. ſi enim hoc modo det, coarguetur.

Loquitur hoc loco Ariſtoteles de reprehenſionibus, quæ oriuntur ex forma uerbi. perſpicuum igitur inquit eſt, quomodo eis occurrendum ſit: quandoquidem ſtatutum eſt a nobis eſſe decem ſumma genera. Atque is qui reſpondet, interrogatur, an Socrates, qui ſubſtantia eſt, ſit de iis quæ cum aliquo conferuntur, abnuit. hoc enim declarat id quod ait, non ineſſe aliquid eorum, hoc eſt nouem generum, quæ naturam rei atque uim declarant: at is qui interrogat, docet eſſe aut ſubſtantiam aut quantum, aut ex iis, quæ cum aliquo conferuntur, aut aliquid aliud, quod ſubſtantia eſſe exiſtimetur. ut ſi roget, an Socrates ſit pater? iſq; qui reſpondet, id concedat, cum non putet ſe dicere Socratem eſſe accidens & de numero eorum, quæ cum aliquo conferuntur, ſed habere filium: ille continuo concludit, Socratem eſſe patrem, huncq; eſſe de iis quæ cum aliquo conferuntur, idq; eſſe accidens, & Socratem eſſe accidens. hæc fallax concluſio fit hoc modo. An Socrates pater eſt? certe. an pater eſt de iis quæ cum aliquo conferuntur? eſt: Socrates igitur eſt de iis quæ cum aliquo comparantur, Socrates igitur eſt accidens. Cætera autem exempla quæ ponit, non ſunt exempla reprehenſionis quæ concludat, & doceat ſubſtantiam eſſe accidens, aut accidens eſſe ſubſtantiam. ſed quæ probet affectionem eſſe ſub actione. Interrogāt enim ſophiſtæ, idem ne ſit facere, quod feciſſe. quod ſi is qui reſpondet, negauerit, præſertim cum non idem uere ſit, ſiquidem feciſſe de iis quæ iam facta ſunt, dicitur: facere autem, de iis quæ nunc faciunt: denuo interrogant, an fieri poſſit ut idem uideat & uiderit: quod uerum uidetur eſſe. nihil enim abſurdum eſt, quod quis prius uiderit, id nunc etiam uidere. atqui propter genus dicendi, & pronunciandi uidetur idem eſſe facere quod uidere, & feciſſe quod uidiſſe. uel non poteſt idem uidere, & uidiſſe: uel ſi idem poteſt, alia etiam poterunt. Itemq; interrogant, an pati aliquid ſit aliquid facere? quod ſi is qui reſpondet, non concedat, aiunt: quoniam eodem modo dicitur ſecari, uri, ſentiri, redigentur ad pati, atqui, ſecare, dicere, currere eodem modo pronunciantur: igitur ad uerbum facere rediguntur. ſed uidere eſt pati, & ad pati reuocatur. Quocirca ait Ariſtoteles, ſiquis det fieri non poſſe ut idem ſimul & faciat & fecerit; fieri autem poſſe, ut uideat, ac uiderit, & ut uno uerbo finiam, ſiquis hæc omnia concedat, nondum erit reprehenſus, propterea quod actu non ſit interrogatus, quid putet de uerbo uidere, an ad pati referatur. Et tamen auditor imperitus, putat eum qui reſpondet, illud conceſſiſſe tum, cum idem eſſe, dicere, currere, uidere, & ſecare conceſſit. conceſſit etiam, ſecare eſſe facere. niſi quia is qui reſpondet, dicet, ſe conceſſiſſe hæc eſſe eadem propter formam uerborum. quamobrem qui reſpondet, non eſt reprehenſus. Quod ſi putet, uidere eſſe facere, reprehenſus erit. Atque etiam interrogari debet is qui reſpondet, an exiſtimet uidere eſſe facere. ſed tum ab audientibus exiſtimatur dediſſe, cum interrogatus eſt, ſi ſecare eſſe facere, & ſecuiſſe feciſſe, & quædam alia generis eiuſdem conceſſit. Auditor enim ſtatim addit idem eſſe uidere quod facere, ſed uidere & facere non ſimili modo dicuntur, dici tamen propter pronunciationem uidentur. Ait etiam in reprehenſionibus quæ ex forma orationis eueniunt idem uſu uenire, quod in homonymis uſu uenit. Quemadmodum enim in illis, ſophiſta non negat rem quam affirmauit is, qui reſpondet, ſed idem nomen, & non rem: ita etiam hoc loco ſophiſta ſumens uidere, & ſecare, & currere, tanquam ſimilia ratione prolationis, decipit, & ait uidere eſſe facere. quæ quidem reprehenſio non uera eſt. Sed is qui uere reprehenſurus eſt, debet, ut fit in homonymis, ita etiam in his facere: & interrogare, an uidere ſit facere? Iam uero illud, an fieri poſſit, ut quis idem ſimul faciat, & fecerit, iterum ſumendum eſt, & de eo diluendum. fit enim hoc modo fallax concluſio. Fieri ne poteſt ut quis idem ſimul faciat, & fecerit? non. atqui poteſt ſimul uidere, & uidiſſe: quare & facere, & feciſſe. ex forma orationis hoc oritur. uidere enim eſt pati facere uero, eſt agere. non enim neceſſe eſt, ut quæ diuerſo accidunt, reliquo etiam accidant: Eiuſmodi eſt hæc etiam captio. Quod ego ſum, tu non es; ego homo ſum, tu igitur non es homo. hic enim ego & tu de indiuiduis dicuntur, homo non dicitur de indiuiduis. facta uero falſa concluſio eſt, quia non aliquo pro aliquo uſi ſumus. hoc autem aliquid de indiuidua ſubſtantia dicitur, ut in categoriis dictum eſt. Videtur autem, inquit ibi, ſubſtantia omnis hoc aliquid declarare. de uniuerſali autem ſubſtantia non dicitur, licet ſimili forma orationis pronunciari uideatur. Hac etiam ratione diſſoluitur & explicatur captio, qua dicitur, non eſſe motum in eo quod mouetur. nam ſi motus eſt actio eius quod moueri poteſt quatenus mobile eſt, ut tertio phyſicorum eſt demonſtratum; perſpicuum eſt eum eſſe in eo quod mouetur. Huic occurrunt ſophiſtæ, & aiunt, non ne dicimus, aſpicit aſpicitur aſpectus, audit, auditur auditio? atqui aſpectus in eo eſt qui aſpicit, & auditio in eo qui audit, & motus igitur in eo qui mouet. ex forma uerbi eſt hæc falſa concluſio. omnino enim aſpicere, & ſentire ſunt pati, & non facere.

Similes

SIMILES ſunt his, quæ ſequuntur, ſi quis quod habebat, poſt non habeat, id ne amiſit? iſto enim pacto qui unum modo calculum amiſerit, decem calculos non habebit. An quod quis non habet, prius autem habuit, id amiſit? neque enim neceſſe eſt, quantum uel quot non habuerit quis, cum tot amiſiſſe. Ergo naturæ quæſtionem ad quantitatis tranſtulit. decem enim quanta ſunt. Quod ſi initio ita interrogaſſet, quot non habet quis, cum prius haberet, an tot amiſit? nemo dediſſet, ſed uel tot, uel aliquid eorum.

Hæc fallacia, fit hoc modo. An quod quis habebat & non habet, amiſit? etiam. atqui is qui habebat decem calculos, & unum amiſit, iam non habet decem. quod ſi non habet decem, habebat autem decem, amiſit igitur decem, quod abſurdum eſt. nam abſonum dictu eſt eum qui unum calculum amiſit, decem amiſiſſe, quam fallaciam quidam uolentes explicare, aiunt non eſſe abſurdum, ſi dicatur, eum decem amiſiſſe calculos; cum non amplius habeat decem uno amiſſo, qui cum cæteris nouem denarium numerum efficiebant. atque hoc quidem modo illi uidentur explicare fallaciam, ſed eos non recte diſſoluere perſpicuum eſt. huiuſmodi enim explicatio in homine ualet illa quidem, ſed in re non ualet. ac ueram explicationem, quæ ad rem pertineat, deinceps tradidit nobis Ariſtoteles cum ait, an quod quis non habet, prius autem habuit, id amiſit? quaſi dicat, quod prius quis habebat, poſtea non habet, id eum neceſſario amiſiſſe: ſed tamen non neceſſe eſt eum amiſiſſe quot uel quanta non habet. neque enim ſi nunc non habeat decem, cum prius decem habuerit, decem amittat neceſſe eſt: ſed quædam, ut tria, ut quinque, aut aliquam eorum partem: decem uero non amittat. Hanc autem fallacem concluſiunculam ex forma dictionis exiſtere, ex hoc perſpici poteſt, quod numerus eſt quantitas, & decas, qualitas. Ex quo fit ut de tribus ſolum & omnino de ſpeciebus in qualitate quærens, quantitatem concluſerit. qui enim decadem habebat prius, non habet decada. habet enim nouem. non enim neceſſe eſt eum qui decem non habet, decem unitates amiſiſſe. ita poſita qualitatis quæſtione concluſa eſt quantitas. ergo eſt ex forma uerbi hæc fallacia. quod etiam ex eo intelligi licet, cum enim de decade facta eſſet interrogatio, quæ decas eſt qualitas, (ſpecies enim ſunt qualitates ſubſtantiæ participes) concluſum eſt, quot, hoc eſt quæſtione orta de qualitate concluſa eſt quantitas. Quod ſi inquit, ſophiſta non ita interroget ut ante dixi, ſed hoc modo, an ſi quis poſtea tot non habeat, quot prius habuit, totidem ne amiſerit? ut ſi quis non habeat decem, cum prius haberet decem, an amiſerit decem; nemo dabit, ſed uel tot, uel aliquid eorum. hoc eſt dicet, eum non decem, ſed tot, utpote tria, aut aliquam partem ex decem, amiſiſſe.

ET DARE quis poteſt quod non habet. non enim tantum modo unum calculum habuit. niſi forte non quod non habuit, ſed quatenus unum non habuit, dedit. tantummodo enim nec quid ſignificat, nec tale uel tantum quid, ſed cum alio confertur, ut ſignificet non cum alio. Vt ergo ſi quæſiuiſſet, num quis dat quod non habeat, nec ille dediſſet: rurſusq; interrogaſſet, num quis quod non habet cito, cito det: quo dato ille hoc concluſiſſet, id aliquem dare quod non habeat; tum perſpicuum fuiſſet, nullam eſſe concluſionem. quoniam cito dare, non eſt aliquid dare, ſed dare hoc modo. Et aliquo modo dare aliquid quis poteſt, quo modo non habeat, ut libenter habeat, & det inuitus.

Hæc fallax concluſio eſt huiuſmodi. An quis daret id, quod non habet? non. hic uero non habuit unum ſolum calculum, & unum dedit. dedit igitur quod non habebat. cum enim unum non haberet, unum dedit: dabit igitur quis id, quod non habet. explicatio eſt, non dediſſe eum quod non habebat. nam cum multos haberet calculos, unum etiam habebat. ita non dedit quod non habebat, (unum enim habebat) ſed quatenus non habebat, cum unum ſolum non haberet, unum ſolum dedit. ut enim ſolum, nec hoc aliquid, id eſt ſubſtantiam ſignificat, neque qualitatem, cum nihil horum ſignificet: ſed, ut ita dicam, relationem relationis expertem: ut non cum alio, ſed per ſe ſignificet, ita etiam, non ſolum, declarat quod cum alio eſt. Ipſe uero declarans & explicans antedictam falſam concluſionem, aliud exemplum adiungit hoc modo. An quod quis non habet, dat? non. an quis cito dabit, quod cito habeat? etiam: dabit igitur aliquis quod non habeat. quam fallacem concluſiuncu-

iam extricans & diſcutiens ait, quoniam cito dare non eſt aliquid dare, ſed dare hoc modo. quod idem ualet, ac ſi dicatur, hoc uerbum cito declarat rationem dandi, hoc eſt quo modo det, & non quod habet, aut quod non habet.

EIVSDEM generis hæ omnes ſunt: An ea manu, quam quis non habet, uerberet? Aut eo ne oculo quis uideat, quem non habet? non enim unum modo habet. Ac nonnulli quidem has captiones ita diſcutiunt, ut dicant, eum qui plures habeat, unum etiam modo oculum, & quiduis aliud habere. Alij, quo modo quid quis habeat, eo etiam accepiſſe. Dediſſe enim aliquem unum tantummodo calculum, & alterum ab illo unum ſolum accepiſſe calculum. Sunt etiam qui initio diſputationis interrogationem ita refellant, ut quod quiſpiam non acceperit, id eum habere poſſe fateantur: uelut eum qui uinum dulce acceperit, eo corrupto in acceptione, acetum habere. Sed hi omnes, ut ſupra diximus, non ad argumentationem, ſed ad hominem explicationem accommodant: præſertim cum ſi uera eſſet hæc explicatio, is qui contrarium daret, non poſſet diſſoluere. id quod in alijs fit. ut ſi unum uerum eſt, alterum falſum, & plane, eodemq; modo quis utrunque dici concedat, explicatio non concludet: ſi uero non concludet, nulla erit explicatio. Quapropter in iis captionibus, quæ expoſitæ ſunt, etiam ſi concedantur omnia non tamen ratiocinationem effici dicimus.

Horum uerborum hæc eſt ſententia. An ea manu, quam quis non habet, uerberat? aut eo ne oculo quis uidet, quem non habet? aut fieri ne poteſt ut quod quis non accepit habeat? quæ interiecta intermedia ſunt, explicationes captionum ſunt, quas nonnulli adhibuerunt: quas non rectas eſſe Ariſtoteles docet. Concluduntur captiones de eo qui duas habeat manus, duosq; oculos, & plures calculos uno ad hunc modum. An quis uerberet ea manu, quam non habet? hic autem non unam ſolam manum habet, ſed duas, uerberat uero una: ea ne igitur quam non habet uerberat. cum enim non unam ſolum habeat, una ſola uerberat. explicatio eſt, eum non uerberare, ea, quam non habet, ſed ut non habet. unam enim ſolam cum non habeat, una ſola uerberat. Rurſus an eo oculo, quem non habet, quis uidet? non. Is non unum ſolum habet oculum, & uno ſolo uidet. at hoc non eſt falſum. fieri enim poteſt ut quis alterum oculum tanta lippitudine affectum habeat, ut eo nihil uideat, alterum ualentem quo uideat. Præterea fieri ne poteſt ut quod quis non accepit, id habeat? hic uero cum ſumpſit unum ſolum calculum ab altero (nam cum alter unum ſolum daret, hic etiam unum ſolum accepit.) unum quidem ſumpſit, ſed unum non habet, cum alios cum eo inſuper habeat. habet igitur quod non accepit. Id explicatur hoc modo. habet quidem quem accepit calculum, & præterea alios. Nonnulli uero ita explicant, ut dicant habere eum unum oculum, unamq; manum. cum enim una manu uerberet, unoq; oculo uideat, ad has actiones, hoc eſt ad uidendum, & uerberandum, ſatis eſſe habere unam manum, & unum oculum. quibus enim utitur cum agit quid, ea etiam habet, ad actionem, quam agit eo tempore. Quod uero ait, & quiduis aliud habere, qui plures habeat, dixit propter eum qui plures calculos uno habeat. unum enim inquiunt, calculum ex acceptione habet, cum enim unum ab altero acceperit, etiam ab hoc unum habet. Quod uero ait, Alii, quo modo quis quid habeat, eo etiam accepiſſe, eſt huiuſmodi, is qui unum ſumpſit, ex eo quod unum accepit, unum habet. Quod uero addit, dediſſe enim aliquem unum tantum modo calculum, confirmat eum qui unum calculum ab altero accepit, non unum ſolum habere. ſi enim inquiunt, unum ſolum hic dedit, etiam is qui accepit; unum accepit. Quod autem ait, ſunt etiam qui initio diſputationis interrogationem ita refellant, eſt huiuſmodi. Qui antedictas captiones diſſoluunt, partim concluſioni occurrunt, partim propoſitioni, ut rogantibus ſophiſtis, an ueriſimile ſit aliquem uerberare ea manu, quam non habeat? non; is uero cum non unam manum, ſed duas habeat, una uerberauit, igitur ea manu, quam non habet, uerberauit, præſertim cum illam ſolam non haberet. nonnulli inquam occurrunt concluſioni, & aiunt, eum habere unam quæ facit, nonnulli, propoſitioni, & eam ueram eſſe aiunt. Cum igitur inquit, non uerberare falſum ſit, uerum ſit uerberare ea manu, quam non habet: quod ſophiſtæ ut abſurdum & impoſſibile concludi uolunt, quod ſi uerum eſt, diſſolui non poteſt, ſub explicationem tamen cadit. Nos uero contra ſophiſtam dicemus, eum qui reſpondet, conceſſiſſe uerberare ea quam quis non habet manu, non quæ omnino non ſit, ſed læua. dixit enim uerberare dextra quam dextram non habet ſiniſtram;

ſtram:aut Socratis manu.Quod uero ſubiungit, præſertim cum ſi hæc uera eſſet explicatio, is qui contrarium daret, non poſſet diſſoluere. idem ualet, ac ſi diceret. ſi enim hæ explicationes ueræ eſſent, & ad rem accommodatæ, ſi quis daret contrarium, non poſſet captiones diſſoluere. quæ enim ſunt contraria eorum quæ poſita ſunt,uera erunt. itaque uera erunt illa quoque,quæ ex iis quæ poſita ſunt concluduntur: quo nam uero modo contraria poterunt explicari? nam ſi quis dicat, an quis ea manu quam non habet, uerberet? iſq; qui reſpondet, dicat, etiam. deinde is qui interrogat, inducat, ſic, atqui Alcibiades non habet Socratis manum, & uerberat, Alcibiades igitur uerberat Socratis manu, quam non habet: id quanam ratione ab illorum explicatione diluetur? igitur ſi uera eſt, inquit,explicatio, & ad rem & non ad hominem refertur, is qui contrarium dat,diſſoluere non poteſt.Contrarium enim eius quod datum eſt, ſi ex eo quod datum eſt falſum erat,neceſſario uerum erit.contrarium enim eius falſi ex quo falſum efficitur, uerum eſt. atqui contrario dato fit explicatio: non igitur ex eo fit falſum, aut potius reprehenſio. Ac explicari quidem & diſſolui poſſe etiam ſi contrarium huius, poteſt uerberare ea manu,quam non habet,datum ſit,perſpicuum eſt. Diſſoluemus enim ſi dicamus id ortum eſſe ex eo quod non eadem eodem modo dicuntur. cum enim ille daret eum uerberare ea manu non quam non habet, ſed ea quam quaſi non habet, tu concluſiſti eum uerberare manu quam non habet, Itemq; ſi dicerem eum uerberare manu dextra, quam dextram non habet læuam,etiam ita explicarem, dextra enim manus læua non eſt. Quocirca is qui concedit aliquem uerberare ea manu quam non habet, non concedit eum uerberare manu aliena, quam omnino non habere conceſſit, ſed ea uerberare dixit, quam hoc modo habet, hoc non habet: & tamen omnino habet, præſertim cum partem eius habeat. hoc autem modo non habet, quia ſiniſtram non habet dextram. ita igitur captionem diſſoluemus. Poterit & fallacia hæc alio modo explicari,ut dicatur aliquem uerberare quempiam, non ſua manu, ſed aliena, ut ſiquis patris manum capiat, patremq; paterna manu uerberet. Multa igitur ſunt uitia argumentationis. & tamen non cuiuſuis uitii explicatio, rei quoque explicatio eſt:ſed ea demum eſt explicatio,cum refutatur uitium,ex quo falſum ortum eſt,& effectum.ut in hac argumentatione. Socrates ſedet,qui ſedet ſcribit,Socrates igitur ſcribit, hoc falſum eſt. Hoc loco non effectum eſt falſum ex eo quod Socrates ſedeat,licet forte falſum ſit eum ſedere,ſed ex quo dictum eſt, eum qui ſedet ſcribere. Sed de hoc hactenus.Prædictæ uero falſæ concluſiones ex eis uitioſæ ſunt, quæ ultimo loco ſunt dictæ: Vltimo autem loco dicta ſunt hæc.Is non habet unam ſolam manum, una autem uerberat, & illud, is non habet unum ſolum calculum, unum autem ſolum dedit: atque illud, is autem decem habens calculos & unum amittens non habet decem, & reliqua. quamobrem is qui eos explanabit, diſſoluet,ſed non is qui dicit, poſſe multis modis dici. itemq; illud, fieri poteſt, ut quod quis non accepit,id habeat: & cætera generis eiuſdem. Nam ſi eſſet ea uera explicatio, is qui daret contrarium, non poſſet diſſoluere. ſiquidem inquit, ea eſſet uera explicatio eius, quod quis non accepit,id habet,habet autem multos calculos,& unum ſolum ab alio accepit,ſi inquam ea eſſet huius explicatio unum habere,quia unum etiam accepit,certe ſi ille daret contrarium,non poſſet diluere. Data enim affirmatione hac,quod quis accepit, id habet:quod ex ea concluditur,falſum eſt,& diſſolui poteſt: quod uero efficitur ex hac negatione poſita, quod quis non accepit, id habet; uerum erit,& inextricabile. atqui etiam hac poſita quod efficitur, falſum eſt. quod ex hoc perſpicuum eſt.utrum quod quis accepit,id habet? non.deinde dicendum eſt.atqui hic a te unum calculum accepit,eumq; habet, igitur quod accepit, habet, & non habet, quod non accepit.atqui habet etiam alios calculos,quos abs te non accepit. de quibus uere dicetur, eum habere quæ non accepit.quamobrem hæc ſolutio non ad rem, ſed ad eum qui loquitur, refertur. Explicatio enim quam adhibet Ariſtoteles,eſt ea qua dicitur,non idem eſſe, quod accepit, & ut non accepit. Sumpto enim hoc pro eodem facta eſt falſa concluſio.Cum enim det is qui reſpondet, habere eum quod accepit; non concluſit, quod non accepit,id habet,quod eſt repugnantia illius, quod accepit, id habet; ſed id,ut non accepit,id habet.quod etiam eſt repugnantia illius, ut accepit, id habet. Quamobrem huius,quod accepit, negatio eſt hæc, quod non accepit. huius uero, ut accepit,hæc,ut non accepit. Cum enim ſumpſiſſet hoc,quod accepit,id habet,concluſit hanc,ut non accepit,negationem huius ut accepit.in quo ſumpſit pro eiſdem hæc duo,quod accepit, & ut accepit: atque ita fallacem concluſionem effecit. Quod ſi facta eſt fallax concluſio, ex eo quod ſumpſit pro eiſdem hæc quod accepit habet, & ut accepit,habet; certe patet eius ueram explicationem eſſe eam,qua dicitur,quæ non eodem modo uel dicuntur, uel ſunt, ea ſumpta eſſe,tanquam eodem modo uel dicantur,uel ſint. Vel cum ait, præſertim cum ſi hoc uera eſſet explicatio, is qui contrarium daret,non poſſet diſſoluere. ſignificat, ſi enim eſt, ut uos dicitis,& non,ut ego &c.Ego enim dico non idem eſſe,accepit, quod ut accepit.Itaque ſi falſum eſt, quod ego aio,& non ex eo facta eſt falſa concluſio,ſi detur contrarium,quod eſt,idem eſſe,(dicere enim idem eſſe,accepit & ut accepit,contrarium eſt huic,non idem eſſe)ſi inquam contrarium detur, uera erit concluſio.nunc uero cum datum ſit,idem eſſe,accepit,& ut accepit,concluſio multo magis falſa eſt. Sed hac de re dicendum eſt de integro,quia obſcure de ea commemoratum eſt. ſi ex iis orietur fallax concluſio, dato contrario, diſſolui non poſſet.ſi ex iis eſſet, hæc falſa eſſent.nam ex quibus falſum efficitur, ea falſa ſunt. ita fieret,ut contraria inter ſe uera eſſe neceſſe eſſet.quæ enim falſis ſunt contraria, uera ſunt

omnino.atqui quod ex ueris efficitur uerum eſt,& diſſolui non poteſt.nunc uero quod ex contrariis fit, & falſum eſt, & explicari poteſt. igitur non ex eo falſum fit: neque hæc in cauſa ſunt, cur efficiatur fallacia. neque enim diſſolui poſſet, inquit, ſi ex iis efficeretur falſum. id quod in aliis fit. & quæ nam ſint alia induxit his uerbis. ut ſi unum quidem eſt, alterum non eſt. quæ uerba aliter etiam leguntur ſic, ut ſi hoc eſt, hoc non eſt, quæ idem ſignificant, quod ſuperiora. quaſi dicat Ariſtoteles, ut in aliis in quibus contrarium uerum eſt, ſublatis falſis, & poſitis ueris, quod efficitur uerum eſt & indiſſolubile; ita etiam in iis, de quibus agimus uſu uenit, ſi captiones ex iis fiunt quæ poſita ſunt, quæ falſa ſunt, poſitis contrariis & ueris,certe uera etiam erunt quæ efficientur, & diſſolui non poterunt,at nunc & falſa ſunt, & diſſolui non queunt. igitur non ex iis quæ poſita ſunt prius, ſed ex iis quæ poſtremo poſita ſunt, efficiuntur falſæ concluſiones. Quod uero ait, ut ſi unum eſt,alterum non eſt, idem ualet, ac ſi dicat, ut ſi unum uerum eſt,alterum falſum.poſito uero, quod ipſe eſſe dixit, diſſolui non poterit. Quæ cum dixerit,addit,& plane quis dici concedat,explicatio non concludet. quaſi dicat. Horum explicatio mala & uitioſa eſt, hæc autem, uera.propterea quod ſi omnino dici concedat, hoc eſt,ſi ea quæ eodem modo non dicuntur,eodem modo dici concedat,concludet & reprehendet:ſi non concedat,non concludet.ſi non concludet,nulla erat explicatio.in quo ſubaudiendum eſt,quam illi uitioſe explicantes introducunt. ſed ſolutio erit quam ipſe adhibuit. Quod uero ait, quapropter in iis captionibus, quæ expoſitæ ſunt, etiam ſi detur omnia non tamen fiet ratiocinatio.idem eſt ac ſi dicat, in reprehenſionibus & fallacibus concluſionibus ante dictis, etſi omnia ea conceduntur,uidelicet uerberare ea manu, quam quis non habet,uidere eo oculo quem non habet, tamen ii neque concludunt, neque reprehenſionem faciunt.ex quo conficitur,ut neque etiam recte explicent captionem,atque diſſoluant.

ATQVE hæ etiam orationes ſunt eiuſdem generis, idne quod ſcriptum eſt, aliquis ſcripſerit? ſcriptum autem eſt nunc ſedere te, quæ falſa eſt oratio: uera autem erat cum ſcriberetur: ſimul igitur ſcribebatur uera falſaq́; oratio. Nam ueram, falſam'ue orationem dicere, uel opinionem eſſe, non rem, ſed rei qualitatem declarat. Eadem enim etiam in opinione manet oratio. Et, an quod diſcit quiſpiam, id eſt quod diſcit? diſcit autem quis celeriter id quod tarde percipitur. Non enim qui id dederit, aliquid eum, ſed quodam modo diſcere conceſſerit. Et illa, id ne quod aliquis ambulat, calcat? ambulat autem totum diem. ſed non rem ambulare illum conceſſerit, ſed tempus, cum pergit.

Fallax hæc concluſio eſt huiuſmodi.An quod ſcriptum eſt,id aliquis ſcripſit? etiam, ſcripta eſt enim oratio,nunc ſedere te,quæ falſa eſt: quia uel moueris, uel ſtas. & uera eſt hæc oratio,eam eſſe ſcriptam. igitur eadem & uera & falſa eſt oratio.Hanc falſam concluſionem explicat Ariſtoteles hoc modo, Tu inquit,ſophiſta cum de quantitate quæreres, qualitatem concluſiſti. interrogaſti enim,id ne,quod ſcriptum eſt aliquis ſcripſerit? ego uero cum interrogationi tuæ aſſentirer, & de oratione quæ ad quantitatem pertinet, annuerem:tu potentia quantitatis quæſtionem ad qualitatis tranſtuliſti.quaſi dicat Ariſtoteles cum ait, nam ueram falſam ue orationem dicere uel opinionem eſſe non rem,ſed rei qualitatem declarat: cum quæſtionem poſuiſti, an quod ſcriptum eſt, aliquis ſcripſerit? in ſola quantitate hanc poſuiſti, præſertim cum de oratione aut ſyllaba,aut uerbo,quæ ad quantitatem ut ſupra uidimus referuntur, interrogaueris: cum uero concluſiſti, in qualitate effecta eſt concluſio. Verum enim & falſum ad qualitatem pertinent. Quod uero ait, an quod diſcit quiſpiam, id eſt quod diſcit? ita conficitur, an quod quis diſcit,id eſt quod diſcit? etiam. diſcit autem quis celeriter quod tarde percipitur. igitur celeriter eſt tarde, cui fallaciæ occurrit Ariſtoteles hoc modo. Sophiſtæ inquit, interrogant de quantitate, & qualitatem concludunt. Rogando enim an quod diſcit quiſpiam, id ſit quod diſcit? declaratur genus diſcendi,uidelicet quo modo diſcat,cito'ne an aliter:non autem declaratur res quæ percipitur,& ita qualitas concluditur.

NEC CVM poculum bibit, rem quæ eſt poculum, bibit, ſed ex poculo. Itemq́; illa, an quod aliquis ſcit, id'uel inueniendo ſcit, uel diſcendo? eorum autem quæ ſcit, aliud inuenit, aliud ab alio didicit: quorum neutro utrunque continetur. An tum omnia, tum non omnia.

Hæc fallax concluſio eſt huiuſmodi. An quod quis bibit,id bibit? aut talis,an quod quis ebibit, id ebibit.

ebibit. etiam. ebibit autem poculum, poculum igitur ipſum ebibit. explicatio eſt, non bibiſſe poculum, ſed quod ebibit aut bibit, ex poculo bibere. Huiuſmodi eſt etiam hæc. An quod aliquis ſcit, id uel inueniendo ſcit, uel diſcendo? certe. eorum autem quæ ſcit, aliud inuenit, aliud ab alio didicit. utrunque autem neque didicit, neque inuenit; igitur neſcit. Nam ſi ſcit uel quæ inuenit, uel quæ ab alio didicit, & duo non didicit, cum unum non duo didicerit. neque etiam duo inuenit, ſed unum: efficitur, ut ſi neque inuenerit duo, neque didicerit, nihil ſciat. ſed ſcit etiam. Ariſtoteles captionis explicationem indicauit his uerbis: An tum omnia, tum non omnia? Dicit autem, tum omnia, hoc eſt qualitatem, tum non omnia, hoc eſt non qualitatem, ſed quantitatem. quorum autem hoc eſt, illud non eſt, ea ad quantitatem referuntur. Cum enim quæſtio poſita eſſet, de eo quod aliquis ſcit, concluſio facta etiam eſt de quot ſcit. Illa etiam uerba an tum omnia, tum non omnia? aliter intelligi poſſunt, ut uidelicet fieri poſſit ut de una aliqua diſciplina dicatur omnia, ſcilicet dici poſſe, & me inueniſſe & ab alio didiciſſe: in aliqua non omnia, ſed uel ſolum modo me inueniſſe, uel ab alio didiciſſe.

ILLA ETIAM, qua efficitur eſſe quendam tertium hominem præter ipſum hominem, & homines ſingulos: homo enim & quicquid commune eſt, non rem quampiam, ſed qualitatem, uel comparationem, uel modum, uel tale aliquid ſignificat. Eadem eſt eius ratio qua quæritur, Coriſcus & Coriſcus muſicus ijdem ſint, an ne diuerſi? hic enim rem declarat, ille qualitatem. itaque non eſt eadem expoſitio. nam enumeratio tertij hominis non facit hominem quendam tertium: ſed ſi concedatur, ut ſinguli homines, ſic tertium hominem aliquam rem declarare. Neque enim ſi Callias & homo quid ſignificet, idcirco homo etiam tertius. Nec quicquam intereſt, id ne aliquis quod exponitur, non rem ſignificare, ſed qualitatem dixerit: Nam præter multos unus quidam ueluti homo futurus eſt. Illud igitur perſpicuum eſt, non eſſe dandum id quod communiter in omnibus dicitur declarare aliquid, ſed uel quantitatem, uel qualitatem, uel relationem, uel aliquid aliud eiuſdem generis. Omnino argumentationum omnium captiones, quæ ex uerbo erunt, ſemper ex contrario eius, unde captio orta eſt, diluentur. Veluti ſi ex coniunctione exiſtet, diſtinctione explicabitur: ſin ex diſtinctione, coniunctione.

Argumentatio, qua ſophiſtæ utuntur ad concludendum hominem eſſe tertium, eſt huiuſmodi. Aiunt enim homo deambulat, neque hominis ideam dicimus deambulare, ſiquidem ea eſt immobilis: neque aliquem ex ſingulis. quonam enim modo dicemus deambulare eum, quem non cognoſcimus? hominem enim ſcimus deambulare, quis autem præcipue ſit, de quo ſermo habetur, neſcimus. alium igitur præter hos tertium hominem deambulare dicimus. igitur erit tertius homo, de quo dicitur uerbum deambulare. Explicatio eſt, hominem & quicquid commune eſt, non rem ſed qualitatem ſignificare. eſt enim ſimilitudo hominum ſingulorum. Quonam tandem modo hoc ipſum in ſingulis, conſideratum & habens in his exiſtentiam, erit ſubſtantia, & aliud præterea quicquam? non eſt igitur tertius homo. Hoc autem, Eadem eſt eius non qua quæritur, Coriſcus, & Coriſcus muſicus iidem ſunt an diuerſi? dictum eſt, ut confirmetur non eſſe tertium hominem. & ita illatum eſt, quaſi dicatur, quemadmodum enim Coriſcus muſicus diuerſus a Coriſco non eſt per ſe, neque propriam exiſtentiam habet, (hoc enim ſignificat id quod ait, itaque non eſt eadem expoſitio, quia non ſubſtantia eſt, ſed qualitas) ita neque homo deambulat. licet diuerſus ſit Socrates a Platone, & a cæteris ſingulis: ut etiam muſicus Coriſcus per ſe diuerſus erit à Coriſco. Ac ne quis forte putet etiam introduci eſſentiam tertii hominis ex eo quod cum dicunt hominem deambulare, docent eum diuerſum eſſe a ſingulis, a Socrate, à Platone, & cæteris aliis, ait, enumerationem tertii hominis non facere hominem quendam tertium; quaſi dicat. enumerare ſingulos homines ac dicere eum eſſe ab illis diuerſum, non facit tertium hominem: ſed dare ac concedere eſſe hoc quippiam, hoc eſt ſubſtantiam. Eſt enim in more poſitum Ariſtoteli ut ſubſtantiam indiuiduam declarans dicat hoc quippiam, Non eſſe autem hoc quod dicitur quodq; commune eſt ſubſtantiam, confirmat ex eo, quod ſubiungit. Neque enim inquit, ſi Callias & homo quid ſignificet, iccirco homo & tertius, hoc eſt, neque enim ſi Callias ſit ſubſtantia, homo etiam erit ſubſtantia. Quod autem ait, Nec quicquam intereſt, id ne aliquis quod enumeratur, non rem & ſubſtantiam ſignificare, ſed qualitatem dixerit; idem eſt, ac ſi dicatur. Nam quamuis id quod enumeratur & commune eſt non ſubſtantiam ſed qualitatem ſignificet, di-

uerſumq́; eſt a ſingulis, tamen non eſt per ſe, ſed in illis. quocirca ait non eſſe dandum, eſſe quendam tertium hominem diuerſum. Quod enim communiter in omnibus dicitur, non ſubſtantia illud quidem, ſed qualitas eſt.

RVRSVS ſi ex accentu acuto naſcetur, in graui erit explicatio: contraq́; ſi ex graui, in acuto erit. ſi uero homonymum uerbum eam effecerit, contrarium uerbum erit proferendum. ut ſi uſu ueniat, ut animatum eſſe quid dicas, ille autem neget eſſe, profecto patet id eſſe animatum. ſin inanimatum eſſe quid dederis, alter autem contra, animatum eſſe concludat; tibi dicendum erit, te inanimatum intellexiſſe; ſimilis eſt ambiguorum ratio. Si autem ex ſimilitudine uerbi oriatur, a contrario petenda erit explicatio. ut in hac, id ne det aliquis quod non habeat? an non quod habet, ſed quemadmodum non habet; ueluti unum modo calculum. Et ſi quæratur: An quod ſcientia quis comprehendit, id uel inueniendo, uel diſcendo comprehenderit? reſpondendum eſt, non quæ ſciat. Et, an quod pergit calcat? reſpondendum, non eo tempore cum calcat. quod eodem modo de cæteris iudicandum eſt.

Cum dixerit captiones ſemper explicari ex contrario, ueluti ſi ex coniunctione exiſtent, tu adhibita diſtinctione eas explicabis: & contra. eadem ratio eſt cæterarum omnium quæ ex uerbo ſunt. quæ quidem quo modo explicari debeant, nunc docet. ait enim ſi ex accentu acuto ſit captio, in graui explicationem fore: cuiuſmodi eſt illa, οὐ putreſcit in unda: ſi ille accentu acuto uerbum οὐ notans te fallat, tu dicito notandum eſſe circunflexo. Ariſtoteles enim circunflexum accentum ubiq; grauem appellat. ſi uero homonymum uerbum fallaciam effecerit, tu contrarium uerbum proferendo occurrere fallaciæ debebis. ut ſi ex homonymia pro inanimato cõcludatur animatum, explicandum erit dicendo, nos non id conceſsiſſe quod inanimatum ſignificat, ſed quod declarat animatum. ſi enim roget, an docens eſt animatum? tu uero dicas, etiam: deinde pergat, liber autem docet, liber igitur eſt animatus, dicendum erit, nos non dixiſſe id quod inanimatum eſt docere, ſed doctorem. ita quoque faciendum eſt, ſi quæratur, an quod docet, animatum eſt. tu dicas, non. poſtea dicat, Plato docet, igitur quod docet animatum eſt. dic te intellexiſſe de libro. Eodem modo procedendum eſt in iis, quæ ex forma uerbi oriuntur. ut ſophiſta non concludens dicit, id ne quiſpiam det quod non habet? tu dicito, non quod non habet, ſed quemadmodum non habet. Hæc enim quod non habet, & quemadmodum non habet, ut ante dixi, contrario nomine opponuntur, Quod uero ait, non quæ ſciat, ita intelligendum eſt, quaſi dicat, quod ſcit didicit, aut inuenit: ſed non didicit quæ ſcit. hoc enim fuit etiam rogatum. Non enim dixit is qui interrogat, quæ quis ſciuit, didicit aut inuenit, ſed in ſingulari, hoc modo. Quod quis ſcit, didicit aut inuenit.

QVOD autem attinet ad eas captiones, quæ ex accidentibus naſcuntur, una omnium explicatio eſt. Nam quoniam nondum a quoquam expoſitum eſt, quando in re ipſa uere dicatur, id quod accidentibus conuenit, & in nonnullis uidetur dici, idq́; confirmant, qui hanc explicationem inuenerunt, alia autem ſunt, in quibus non neceſſario effici aſſerunt; nobis certe dicendum eſt æq; de omnibus, id non neceſſario effici, & quale proferamus habere debemus. Hæ autem orationes ex accidente omnes oriuntur. Scis ne quid ex te ſim quæſiturus? Noſtin' eum, qui ad nos uenit? aut eum, qui opertus eſt? An ſtatua opus tuum eſt? an tuus canis pater? an admodum pauca, pauca ſunt? Perſpicuum eſt enim in his omnibus, non neceſſe eſſe quæ in accidenti uere dicantur, ea etiam in re intelligi: præſertim cum eas tantummodo res, quæ ſubſtantia non differunt, omnia eadem cadere uideantur. Aliud autem eſt bonum, bonum eſſe, & interrogandum: & eum qui accedat opertus, accedere, & Coriſcum eſſe. Quocirca non ſi Coriſcum noui, & eum qui accedit ignoro, eundem & noui, & ignoro. Nec ſi hoc opus eſt, & meum eſt, idcirco meum eſt opus: ſed

uel

uel poſſeſſio, uel res, uel quiduis aliud. Quod idem in cæteris fit captionibus. Nonnulli autem hæc, diſtinctione interrogationis ſoluunt: fieri enim poſſe aiunt, ut idem & noſcatur, & ignoretur: ſed non eadem ex parte. Itaque cum qui uiuit, ignorare ſe, & Coriſcum noſcere cum dicunt, idem ſe, & noſſe, & ignorare fatentur: ſed alia atque alia ratione. Atque primum quemadmodum iam diximus, omnibus captionibus, quæ ex eodem uitio oriuntur, eadem adbibenda eſt correctio cui hoc loco non erit locus: ſi quis eandem enunciationem ſumat, in qua non cognoſco uerbum, ſed ſum, aut aliqua affectio ponatur; ut ſi hic pater ſit, & ſit tuus. Vt enim in quibuſdam hoc uere dicatur, fieriq; poſſit, ut idem noſcatur, & ignoretur, at non hoc loco. Nihilq; prohibet, multa uitia in eadem ineſſe argumentatione: ſed non omnis uitij declaratio explicatio eſt, quippe cum aliquis poſſit docere falſum concluſum eſſe, & unde concluſum ſit, non docere, ueluti Zenonis argumentatione, qua efficiebatur non eſſe motum. Itaque ſiquis det operam, ut Zenonem ad impoſſibile compellat, errabit, etiam ſi millies concludat: neque enim hæc explicatio eſt; cum ſit explicatio explanatio cauſæ cur falſa ſit ratiocinatio.

Nunc tranſit ad fallaces concluſiones quæ ex accidente oriuntur, & quomodo explicandæ ac diluendæ ſint, nos docet. ait enim omnium fallacium concluſionum quæ ex accidentibus naſcuntur unam eſſe explicationem, in quo uituperat eos qui his captionibus ſolutionem quandam adhibere uoluerunt, quæ neque omnibus accommodari poteſt, neque ad omnes captiones explicandas ualet. Nam quo niam inquit, nondum a quoquam expoſitum eſt, quando in re ipſa uere dicatur &c. quod ait eſt tale. Sunt quædam ex iis, quæ accidenti conueniunt, quæ uere dicuntur etiam de ſubiecto accidentis, ideſt rei ipſius: quædam uero accidenti conueniunt illa quidem, ſed rei non conueniunt. nam diſſyllabum dicitur de albo, atque etiam de quodam equo, cui accidat album, uere dicetur. uſque adeo ut hæ propoſitiones uere dari poſſint, An hic equus eſt? etiam. an albus eſt? etiam. hic igitur eſt albus. Quid, album non ne biſyllabum? etiam. equus igitur eſt biſyllabus: in hoc enim uere dicitur, id quod de accidente dicitur diſſyllabum uidelicet de albo dictum de equo etiam dicitur. de Socrate non uere dicetur. propterea quod, & ſi Socrates eſt albus, & albus eſt duarum ſyllabarum nomen, iam Socrates erit duarum ſyllabarum. Quæ cum ita ſe habeant, neque adhuc quiſquam expoſuerit, utrum dicendum ſit ea quæ accidenti iniunt, rei ne etiam, hoc eſt ſubiecto conueniant, nec ne: nobis dicendum eſt de omnibus, non neceſſe eſſe, ut quod accidenti conuenit, rei etiam conueniat, ſed in quibuſdam effici, in quibuſdam non item, & propterea habere debemus, quid uel quale proferamus, ut in Minoe Platonis ſcriptum eſt; ibi enim ſunt hæc fere uerba, quid eſt lex apud nos? ecquam legem rogas? captiones uero quas in medium adducit ſunt huiuſmodi, ſcis ne quid ex te ſim quæſiturus? non. noſtin' uirtutem eſſe bonum? etiam. hoc ex te ſum quæſiturus: noſti igitur quid quæſiturus ſim abs te. Explicatur hoc modo, non idem eſt uirtutem eſſe bonum, quod quæſiturus ſum an ſit bonum, ſed uirtuti quæ bona eſt, accidit ut de ea futura ſit interrogatio, an ſit in bonis. Rurſus, 'Noſtin' eum qui ad nos uenit, & opertus eſt? non: deinde detrahendo id quo tegitur, dicendum eſt, Noſtin' hunc? etiam: eundem igitur nouiſti, & non nouiſti. Itemq;, An ſtatua opus eſt? certe. an tua eſt? certe: ſtatua igitur tuum opus eſt. atque non eſt, cum ſit opus Phidiæ. Ad hoc, an canis pater eſt? eſt; an tuus eſt? eſt: canis igitur tuus eſt pater. Et, an admodum pauca, pauca ſunt? etiam: atqui centum cum decem millibus comparata admodum pauca ſunt, centum igitur pauca ſunt. ſed ſunt etiam multa. Perſpicuum autem eſt, has omnes fallaces concluſiones ex accidenti explicari, atque diſſolui. Eadem enim ſolis iis conueniunt, quæ ſubſtantia non differunt. ſubſtantia non differunt equus & bos. his igitur eadem æque conueniunt. Has fallaces concluſiones alii aliter explicant, quod genus explicationis Ariſtoteles reiicit, quia, ut ante diximus, non ualeat ad diluendas omnes captiones quæ ex eadem cauſa oriuntur. Primum enim ut ſupra docuimus nonnulli ſoluunt captionem quæ ex accidente ſit, hoc modo, nihil abſurdum eſſe, Coriſcum noſcere, & non noſcere, quadam enim ex parte noſcimus, quadam minime noſcimus, & non eadem ex parte. quam quidem explicationem non ueram Ariſtoteles refellens ait, omnibus captionibus quæ ex eodem uitio oriuntur, eandem adhibendam eſſe explicationem ut ante dictum eſt. Ex eodem uitio captiones omnes oriuntur, quæ ex ambiguo naſcuntur. itemq; quæ ex coniunctione. atque ex ambiguitate, non ex eodem, ex quo illæ, quæ ex coniunctione ſumuntur: ſed ex alio fiunt. Ait igitur, ſi uera eſt explicatio eorum, qui ita captiones, quæ ex accidente

oriuntur, explicant, eam ad omnes captiones quæ ex accidente naſcuntur diluendas accommodatam fore: ſed non eſſe accommodatam ad omnes diſſoluendas, ita eos non recte diluere. earum enim captionum, quæ ex eadem cauſa fiunt, eadem eſſe debet explicatio. Docet autem quomodo illorum explicatio non ſit apta atque idonea. Etenim inquit, ſi auferamus, a captione uerbum cognoſco, ut dicatur an cognoſcis, & introducamus uerbum eſt, ut non dicatur, an cognoſcis hunc opertum, & an cognoſcis hunc qui ad nos uenit? ſed dicatur, An hic tuus eſt? certe in hoc non conueniet eorum explicatio. Propoſitionem hoc loco enunciationem uocat. Fallax autem concluſio hoc modo conficitur, Proponatur exempli cauſa Glauco Platonis frater; qui quidem Glauco non modo Platonis frater fuit, ſed pater etiam, ſiquidem habuit ipſe filios, ſi uero Plato ſit interrogatus, (Ponamus nunc eum interrogari) ita eum aliquis certandi cupidius interrogabit. Num Glauco tuus eſt o Plato? etiam. num Glauco pater eſt? etiam. Glauco igitur o Plato pater tuus eſt: in qua captione quo nam modo erit locus explicationi, quam illi inuenerunt? aiunt enim dicendum eſſe hunc noſſe, hunc non noſſe. at Plato utrunque nouerat, & Glauconem eſſe patrem, & ipſius Platonis eſſe aliquid. ex quo conficitur, ut ea explicatio, quam nonnulli attulerunt non conueniat omnibus captionibus, quæ ex accidente naſcuntur. Quamuis enim in quibuſdam uerum ſit dicere, eundem noui, & non noui, alia atque alia ratione: tamen hoc loco id dici nō poteſt. Multa attamen ſunt ratiocinationis uitia attamē non cuiuſuis uitii declaratio eſt rei explicatio; quod etiam paulo ante docuimus: ſed ea demum explicatio eſt qua declaratur cauſa, ex qua falſum efficitur, ut in hac intelligi poteſt. Socrates ſedet, qui ſedet ſcribit, Socrates igitur ſcribit. hoc falſum quod hoc loco efficitur, nemo dicet ex eo fieri quod ponatur, ſedere Socratem, quamuis etiam fortaſſe falſum ſit ſedere Socratem: ſed ex eo quod poſitum ſit, eum qui ſedeat ſcribere. quamobrem non ſatis eſt ad hanc captionem explicandam, oſtendere falſum eſſe quod concluſum eſt: ſed & modum, & cauſam ex qua falſum eſt effectum docere oportet. Nam ſi in ſecunda figura ex duabus aientibus concludat quis hominem eſſe equum, non ſatis eſt docere hoc falſum eſſe, ſed cauſa etiam falſi oſtendenda eſt. falſum uidelicet eſſe concluſum, quia huiuſmodi propoſitionum coniugatio in ea figura non fiat. cuius etiam rei ipſe exemplum ponit. & quod ait eſt huiuſmodi, Zeno negauit eſſe motum. ſiquis igitur inquit, operam det, ut concludat & doceat Zenonis argumentationem qua motum tollit, falſam eſſe, quia impoſsibile concludat poſita Zenonis propoſitione, errabit: neque enim falſam concluſionem explicauerit. Nam ſi dicat, ego o Zeno motum eſſe aſſero, ſi hoc falſum eſt, uerum eſt quod tu ais, non eſſe motum; ſit hoc, & ponatur non eſſe motum, neque moueri: ſed ſi id non eſt, neq; etiam erit unde fiat, ut aliquid moueatur. id ſi ita eſt, neque ſol ab oriente in occidentem, neque ex occidente in orientem mouebitur. ſi nō moueatur, neque dies neque noctes erunt ullæ. quod impoſsibile eſt. hoc ſi fieri non poteſt, falſa eſt tua propoſitio ex qua impoſsibile conſecutum eſt. certe is qui ita ratiocinatus ſit, licet millies ſyllogiſtice & uere concluſerit, & probauerit fieri non poſſe quin ſit motus ex eo quod Zenonis propoſitionem ad impoſsibile deduxit, non ſoluit & explicauit Zenonis captionem: ſed is demum explicauit, qui dixit, Zenonem ſumere infinita actu. & cætera omnia, quæcunque Ariſtoteles ſexto Phyſicorum conſcripſit, & nos in noſtris commentariis, quos in eos libros edidimus, literarum monimentis conſignauimus.

ERGO ſi non concluſerit quiduis, aut etiam uerum aut falſum conetur concludere, illius explanatio explicatio eſt. Quanquam autem illud explicandi genus in quibuſdam nihil prohibet ualere, tamen in his, quæ ſupra allata ſunt, non ualet omnino. Nam Coriſcum, quia Coriſcus eſt, nouit: eumq; qui uenit, quia uenit. Et fieri poteſt ut idem noſcatur & ignoretur. ueluti albus eſſe noſcetur, & muſicus eſſe ignorabitur. ſic enim eundem quis & nouit, & non nouit: ſed non eadem ratione, cum autem qui uenit & Coriſcum, & quia uenit, & quia Coriſcus eſt nouit. Simili in errore uerſantur ij, qui omnia in numeris, multa & pauca refellunt. Cum enim concluſio non ſequatur, tamen id dicere prætermittunt; & uerum concluſum eſſe concedunt, uel multa, uel pauca eſſe omnia, quod peccatum eſt.

Quod his uerbis ait, eſt huiuſmodi. ſiue uerum, ſiue falſum ſit id quod ex modo non ratiocinatiuo concluditur, eius declaratio explicatio eſt. Nihil enim concluditur ex duabus ſingularibus, & ex duabus affirmationibus in ſecunda figura. itemq; nihil concludit, qui utitur homonymis, & ambiguis: & ſiquid ſumat huius generis. ex quo conficitur, ut qui doceat ex aliquo horum fieri captionem, id eam explicare dicatur. Quanquam inquit, in quibuſdam nihil prohibet explicare argumentationem de-

monſtrando

monſtrando aliquod incommodum ſequi: ſed in his de quibus agimus, id non eſt ſatis. Vel id eſt quod præcipue dicit: Nihil prohibet quin in quibuſdam dicamus nos idem noſcere, & ignorare. alia tamen atque alia ratione, at in Coriſco qui uenit, id non ſatis eſt. is enim qui reſpondet, nouit eum qui uenit, quia uenit, & Coriſcum, quia Coriſcus eſt. Iam uero qui diſſoluunt falſam concluſionem, qua efficitur centum eſſe & multa & pauca, ex eo quod omnia in numeris ſint multa uel pauca, in eodem errore uerſantur, in quo diximus uerſari eos, qui aliquem incommodo afficerent, uel qui explicationem cuiuslibet uitii adhibent, & non eius, ex quo falſum efficitur. Ita quemadmodum illi errabant, ut diximus, ita quoque hi errabunt. & quod eorum peccatum ſit explanat. Cum enim non dicant contra eum qui contendit, ſe non concludere. id dicere omittunt, eumq́ concludere aiunt, & item omnem numerum & magnum & paruum eſſe aſſerunt. quod ſi faciunt, quonam modo non errant? Ac quod ait, eiuſmodi eſt, quaſi dicat, ſi enim dicere prætermittunt contra eum qui contra diſputat, ſe non concludere repugnantiam: ſi inquam id omittentes dicunt uerum eſſe quod concluditur, & tale, ut non ſit impoſsibile, (omnis enim numerus & magnus & paruus eſt) in errore uerſantur.

SVNT etiam qui ex duplici argumenta explicent. ut dicant tuum eſſe patrem, aut filium, aut ſeruum. Atqui ſi ex eo quod multis modis dicitur captio naſci uideretur, profecto uel uerbum, uel ipſa oratio multorum propria eſſe deberet. & hunc eſſe huius filium ſi filij ſit dominus, nemo proprie dicit. Sed ex accidenti eſt hæc compoſitio. Eſt ne hic tuus? etiam. eſt autem hic filius, hic igitur tuus eſt filius. quod accidit ut hic eſſet & tuus & filius, ſed non filius tuus. Eadem eſt ratio illius qua aliquid malorum bonum eſſe oſtenditur, prudentiam enim malorum eſſe ſcientiam. Aliquid autem eſſe aliquorum non dicitur multis modis, ſed poſſeſsio. quod ſi forte dicatur, quoniam hominem animalium eſſe dicimus, ſed non poſſeſsionem: ac ſiquid ad mala quaſi illorum gignendi caſu ſit referatur, propterea malorum eſt, non tamen id in malis. id ex eo quod quodammodo eſt, omnino uidetur. Quanquam fieri poteſt fortaſſe, ut bonum malorum ſit duobus modis, non in ſuperiore oratione: ſed ſi quis ſit ſeruus probus improbi. immo uero ne ſic quidem erit. Non enim ſi bonum ſit, & huius ſit, quia huius ſimul ſit bonum. Quin, ne illud quidem hominem eſſe animantium multis modis dicitur. Neque ſi quid interdum detracta aliqua parte ſignificamus, id multis modis dicitur: quippe cum pronunciato dimidiato uerſu, ueluti, Muſa mihi memora, ſi dicamus, da mihi Iliada, ſignificemus.

Antequam ad uerborum explanationem aggredior, hæc præponam, has fallaces concluſiunculas, quas nunc Ariſtoteles exponit, ad doctos & intelligentes eſſe prolatas. Nunc autem, hic huius ſeruus eſt, hoc modo concluditur. An hic filius eſt? etiam: an hic huius eſt? etiam: hic igitur huius eſt filius. ſed eſt etiam ſeruus. nam ſi is qui reſpondet non norit hunc eſſe Glauconis ſeruum & non filium ille uero interrogat, an hic filius eſt? etiam, an hic Glauconis eſt? etiam, hic igitur Glauconis eſt filius; ſed etiam ſeruus, hoc eſt, non filius: ſi inquam hæc non norit is qui reſpondet, dicere poterit contra eum qui interrogat, unde nam pateat hunc eſſe Glauconis ſeruum, & non filium. ex quo fit, ut ad intelligentes ſint factæ interrogationes. Quæ cum ita ſit, Ariſtoteles ait quoſdam diſſoluere has fallacie duplici; hoc eſt homonymia, & ambiguitate. Dicunt enim hanc enunciationem, an hic huius eſt, eſſe ambiguam & poſſe intelligi hunc eſſe ſeruum & filium. Itemq́ hanc, hic eſt huius filius, eſſe ambiguam uel eſſe Glauconis filium, uel eius a quo ſit genitus. quos Ariſtoteles ait non recte diſſoluere quod non ſit ambiguum id, an hic eſt huius? aut id, an hic eſt huius filius? Cum igitur, ut diximus, contra intelligentem adhibetur hæc interrogatio, an hic Glauconis ſeruus & non filius ſit, quo modo erit ambiguum apud eum eſſe hunc huius? nam qui concedit hunc huius eſſe, idem dedit ac ſi dediſſet, hunc eſſe huius ſeruum: quocirca hunc eſſe huius ambiguum apud eum non erit. Ac ualde ſanè diligenter ex eo uerſu quem exempli gratia adiungit, hanc captionem non eſſe ex ambiguo demonſtrauit. quemadmodum enim ſiquis pronunciato dimidiato uerſu dicat da mihi, Muſa mihi memora, is qui audit, non intelliget Iliada poema, neque dimidium Iliados dabit, ſed dimidiatum uerſum, quia ſcit Muſa mihi memora dimidiatum eſſe uerſum, & non dimidium poematis, cum Ilias non dicatur uerſus, ſed ordo ipſe Ilias nominatur: ſi enim Ilias & ordo ipſe uerſus appellaretur, tunc eſſet ambiguum ſi diceretur,

da mihi dimidiatum uerſum,cum uero Ilias non dicatur uerſus,ſed ipſe ordo ita uocetur, non eſt ambiguum : ita etiam in illis uſu uenit. Nam ſi dicatur tuus eſt pater, aut filius, idem eſt ac ſi dicas, tuus igitur o Glauco hic filius: & Glauco o ſerue tuus eſt pater. quas captiones Ariſtoteles explicat hoc modo. ſi inquit, ex ambiguo eſſet fallax concluſio, nomen & oratio proprie dicerentur de iis, de quibus dicuntur. canis enim cum de multis dicatur, proprie de terreſtri, deq; cœleſti dicitur. at pater de ſeruo de quo conceſſum eſt ut dicatur tuus : non uere dicitur. nam qui dixit, certe tuus eſt, uerbum tuus, ad ſeruum retulit : cum non dicatur pater ſerui pater, ex quo fit non eſſe ambiguam orationem : quia ambiguum proprie de iis dicitur omnibus, de quibus ſeruus de quo uerbum tuus datum eſt non uere dicitur, ſi ad patrem referatur. Quod uero ait, & hunc eſſe huius filium legendum eſt continuata ſerie hoc modo, hunc eſſe huius filium nemo proprie dicet. ſi enim filius proprie ad dominum refertur tunc etiam ea quæ id indicarent, uidelicet hunc eſſe huius, eſſent ambigua, ſignificarent enim filium & domini & patris eſſe filium & patrem & ſerui & filii patrem. ſed quia filius non dicitur domini filius ſed patris, neque etiam quod filium & patrem ſignificat, hoc eſt, hunc eſſe huius, ambiguum erit. ſerui & domini eſt eadem ratio, non dici autem duobus modis perſpicuum eſt ex eo, quod nemo proprie dicit ſeruum huius eſſe filium, ſi nouit ſeruum eſſe & non filium: & ut concludam breui, quod ait hunc huius eſſe filium, & hunc huius eſſe ſeruum, nemo proprie dicit. Nonnulli autem aiunt hanc captionem eſſe ex homonymia, aut ambiguitate (ſunt enim hæc duplicia) uerum, ut oſtenſum eſt ex accidenti oritur. Sophiſma autem, quod de prudentia commemorat, eſt huiuſmodi. Eſt ne ſcientia malorum? etiam: mala enim ſub ſcientiam cadunt, atqui prudentia ſcientia eſt, prudentia igitur malorum eſt, prudentia igitur eſt aliquod malum. quod ſophiſma a nonnullis ambiguo explicari dicit. ambiguum enim eſſe aiunt ſi dicatur, hoc eſſe horum. cui explicationi, ut pote quæ uera non ſit occurrit philoſophus hoc modo. Aliquid autem inquit, eſſe aliquorum non multis modis dicitur, ſed poſſeſſio. quaſi dicat, quemadmodum enim hic ager Athenienſium non dicitur multis modis, ſed poſſeſſio uel ſeruus, ut dictum eſt, ita neque etiam, uirtutem eſſe malorum, multis modis dicitur. conſtat enim inter omnes uirtutem non eſſe ullum malum. neque quiſquam proprie loquitur qui eam in malis ponit: ſed ita uirtus malorum dicitur, ut ſcientia eorum, quæ ſcientia comprehendi poſſunt. quamobrem fit, ut hæc etiam captio ſit ex accidente, & nõ ex ambiguo: quia enim prudentia aliquorum eſt, iis autem accidit eſſe malis, propterea dicitur malorum prudentia. In eo uero quod ait, quod ſi forte multis modis dicatur, quoniam hominem animalium eſſe dicimus, ſed non poſſeſſionem. deeſt hoc totum, peccatum in eo eſt. erit autem perfecta ad hunc modum oratio. ſiquis dicat, aliquid eſſe aliquorum, aut hunc eſſe huius, multis modis dici, quia oratio qua dicitur, hominem eſſe animalium, multis modis dicitur, is non rectæ dicet. & cauſam, quamobrem is non recte dicat, breuiter eſt perſecutus his uerbis, ſed non poſſeſſionem. quæ idem ualent, ac ſi dixiſſet, non enim dicitur poſſeſſio. Tota autem uerborum ſententia eſt huiuſmodi. Si enim homo uno modo dicatur animalium quia animalium eſt. (omne enim animal eſt non eorum quæ non ſunt animalia, ſed eorum quæ animalia ſunt:) alio modo dicatur animalium, ut Piræus, potius autem Tynægra Athenienſium. (hæc enim Athenienſium dicuntur, ut poſſeſſiones.) tum certe hoc, & hoc huius, aut aliquid aliquorum ambigue multis modis diceretur : ſed quoniam homo animalium non dicitur multis modis (nemo enim audiens, accipiet hominem animalium eſſe animalium ut poſſeſſionem. ſed quia animal ſit, cum uero proprie dicatur homo animalium ut animalium poſſeſſio,) profecto neque qui hæc dixerit, proprie loquetur. Quoniam igitur homo animalium non dicitur multis modis, neque etiam id, quod ipſum ſignificat, aliquid aliquorum, ambiguum erit, ita neque etiam ambiguum erit illud, quo ſignificatur ſeruus & dominus. & quamobrem non ſit, dictum eſt a nobis prius. Quod uero ait, ac ſiquid ad mala quaſi illorum gignendi caſu ſit, referatur &c. idem eſt atque hoc. Ac ſiquid ad mala referatur in genitiuo caſu quemadmodum dicitur prudentia malorum, dicetur quidem, ſed non ideo dicetur malorum prudentia quia mala ſit, ſed quia ſit malorum ſcientia. prudens enim ſcit mala. Quibus quidem ſit rebus, ut captiones eæ, quæ paulo ante ſunt commemoratæ non ex ambiguo, ſed ex accidentibus oriantur. Id autem quod ex iis quæ quodammodo & omnino dicuntur, efficitur, ex accidente effici dixerunt. cum enim quodammodo hoc ſit huius, ut ſeruus, domini, & omnino de omnibus de quibus hoc eſſe huius, dici poteſt, pronunciari cenſent. Et tamen inquit fieri poteſt, ut aliquod bonum ſit malorum ut fortitudo. quæ cum omnino bona ſit, tamen propter uulnera quæ in pugna accipiuntur, mala eſſe quibuſdam uidetur, quamobrem ipſe uerbum ſortaſſe, adiunxit. quocirca oratio qua dicitur, fortitudinem eſſe malorum, ambigua eſt. ſignificat enim uel malum quiddam eſſe fortitudinem, uel fortitudinem eſſe malorum ſcientiam. Verum etiam ſi fieri poſſit, ut aliqua oratio qua dicatur aliquod bonum eſſe malorum, ſit ambigua, ut de fortitudine, de diuitiis de ualetudine, deq; aliis quibuſdam, uſu uenire poteſt, tamen eam, qua dicetur, prudentiam eſſe malorum, nunquam eſſe ambiguam dicemus. Quæ cum dixiſſet Ariſtoteles adhibet orationem quæ uidetur eſſe ambigua, & non eſt tamen ut paulo poſt docebit. oratio ea quæ ambigua eſſe uidetur, eſt huiuſmodi, ſed ſiquis ſit ſeruus probus improbi. Quæ uerba leguntur etiam aliter hoc modo, ſed ſiquis ſeruus ſit bono nomine improbi. Quod ait eſt huiuſmodi

iuſmodi

iuſmodi. ſiquis ſit bonus ſeruus,uel ſi ſit aliquis ſeruus,cuius nomen ſit Bonus, & ſeruiat improbo: dicatq; aliquis bonum improbi,ea oratio ambigua uidebitur. Nam quum plerique ſerui mali dicantur, facit,ut id ambiguum eſſe uideatur.ut dicatur,uel bonum eſſe improbũ,uel ſeruum eſſe improbi. quod cum poſuiſſet Ariſtoteles negat,ut ante dixi,ambiguam orationem eſſe.neque enim inquit,ſi bonus ſeruus improbi dicatur,etiam bonus improbi dicetur. Verbum autem,ſimul,addidit,quaſi dicat,non duo ſimul,bonum improbi,ſed tria, bonum ſeruum improbi, (hæc erant de quibus quærebatur) intelligere debemus. atque hæc eſt uerborum ſententia ſi legantur primo modo. At ſi uerba legantur ſecundo modo, in quo eſt nomen appoſitum, eorum ſententia erit hæc. Non enim ſi ſerui nomen ſit bonus,ut non uocetur Nicocles, aut Plato, aut Hipponicus, aut alio quodam nomine, ſed bonus, quo nomine uir olympiorũ uictor nominabatur: iam bonum improbi erit ambiguum.ut ſignificet bonum eſſe nomen mali ſerui, aut mali domini: ſed uno modo dicetur. quare ex accidenti oritur. Non enim ſi eidem accidit ut bonus appelletur, & malus ſit, iam bonus mali erit. ut neque etiam ſi prudentia ſit ſcientia,ſcientiæ autem accidit,ut ſit cognitio malorum,prudentia malorum erit. non enim quæcunque dicuntur de eo quod enunciatur,ea etiam de ſubiecto enunciari dicentur omnia. Ex quo fit,ut ſi accidat ſeruo,ut bonus nominetur,& ſit improbi,non accidet ut ſit bonus improbi. Sed ut ſit bonus ſeruus improbi domini. Quin, ne illud quidem inquit, hominem eſſe animantium multis modis dicitur.Cum perobſcure cauſas expoſuiſſet, quibus non recte uidentur loqui, qui dicunt, Hoc huius, dici multis modis, rurſus cauſam exponit his uerbis. Quin, ne illud quidem hominem eſſe animantium multis modis dicitur, quemadmodum etiam ſeruum bonum improbi eſſe non dicitur multis modis. Neque enim inquit ſiquid interdum detracta parte aliqua ſignificamus; id multis dicitur modis. quod ait, eſt, neque enim quicquid per ſe ſumptum,definitum & notum eſt,& de aliquo dicitur, multis modis dicitur. non enim ſi accidat alicui ut tuus ſit, & ſit etiam filius, iam erit filius tuus. neque enim quæ eidem accidunt, ſunt eadem inter ſe. præſertim cum ne ſi Coriſcus quidem & muſicus & albus ſit, iam muſicus & albus idem ſint. ſi enim omnia quæ ex accidente dicuntur,de re quadam, & inter ſe,& cum ſubiecto eſſent eadem, tunc profecto hæc oratio, hic tuus eſt,&,hic eſt huius,multis modis diceretur: quia nihil intereſſet ſiue de filio, ſiue de ſeruo uerbum tuus intelligeretur. quia & ſeruus & filius de eodem dicti iidem eſſent.uerum non iidem, ſed diuerſi ſunt,quo nam igitur modo dici poteſt,omne quod per ſe ſumptum ſit, ut unum ſolum ſignificet,eſſe ambiguum?nam ſi eſſet,quoniam hoc,Muſa mihi memora,detracta & tacita aliqua parte certo ſcimus eſſe dimidium uerſus, & non Iliados, qui diceret, da mihi, Muſa mihi memora, qui eſt dimidiatus uerſus, ambigue loqueretur. Verum hoc, Muſa mihi memora,per ſe ſumptum,non eſt ambiguum. quia perſpicuum eſt cuius ſit dimidium. ita oratio quæ id ſignificat, ambigua non eſt. Hoc ſi ita eſt, neque ea quæ dicis, an hic tuus eſt? ambigua eſt.propterea quod clarum eſt, quo nam modo hic ſit huius. quocirca, hoc huius eſſe, non dicitur multis modis: cum detracta aliqua parte, quæ quid ſit liquido patet; eam hac appellatione nominamus: appellationem dico, hoc huius eſſe. Neque enim qui ſumit Platonem, & Ariſtonem per ſe,& interrogat, an hic huius ſit? idem dicit,ac ſi dicat, an Plato ſit Ariſtonis filius? & huiuſmodi interrogatio ambigua non eſt: quia perſpicuum eſt quo modo ea quæ ſumpta ſunt, affecta inter ſe ſint. Itemq; quod ait, neque enim ſiquid interdum detracta aliqua parte ſignificamus, eſt huiuſmodi, neque enim hoc eſt huius, multis modis dicitur, ſi interdum detracta aliqua parte ſignificamus hac appellatione, hoc huius eſſe. Etenim ſi dicamus, da mihi dimidiatum uerſum, Muſa mihi memora, id ſignificamus dicendo hoc huius. ſi enim ambiguum eſt, (hoc autem ſubaudiendum eſt) ſi dicamus, da mihi hoc huius, hoc eſt huius libri dimidiatum uerſum, ut Muſa mihi memora, Iliada ſignificamus; hoc eſt ſignificamus, ut det nobis dimidium Iliados: ſed non id ſignificamus. ſed diſtinctio adhibenda eſt, ut cum dictum ſit, da mihi, diſtinguendum ſit, deinde adiungendum, Iliada ſignificamus. quorum uerborum hic eſt ſenſus, pronunciato dimidiato uerſu, ueluti Muſa mihi memora, Iliada ſignificamus. Ait autem, ſi omnis oratio qua dicitur hoc eſſe huius, ambigua eſt,etiam hæc da mihi dimidiatum uerſum ambigua eſt. hocq; ſi dicamus, ut nobis dimidium Iliados det, ſignificabimus.

CAPTIONES autem, quæ ex eo quod proprie dicitur naſcuntur, quod aliquid aut aliqua ex parte, aut alicubi, aut quodammodo, aut cum aliquo collatum & non omnino,diſſoluemus,ſi ex cotraria oratione ſpectabimus, eorum ne quippiam in concluſione uideatur. Contraria enim & aduerſa, & aientia, & negantia, in eodem omnino eſſe non poſſunt, cum interea utrunque quadam ex parte, aut quodam modo, aut cum aliquo collatum, aut hoc quadam ex parte, illud omnino non prohibet. Itaque ſi unum quadam ex parte, alterum omnino in eandem rem cadat, nondum reprehenſio eſt. Idque ex contraria oratione in concluſione ſpectandum erit.

Quæ ſint captiones quæ ex eo quod proprie dicitur, naſcuntur, declarauit cum dixit, quod aliquid aut aliqua ex parte, aut alicubi, aut quodam modo. quaſcunque enim quadam ex parte aut alicubi aut quodammodo ueras eſſe aut non eſſe aiunt, & omnino ueras eſſe uel falſas aut conuenire, aut non conuenire uolunt, ex eo naſci cenſent quod proprie dicitur. Omnino enim unum & idem ſimul & album & non album eſſe non poteſt. quadam autem ex parte, poteſt: ueluti oculus, qui partim albus, partim non albus eſt. Ac morbus quidem & infirmitas corporis ſi ad eum qui ſepulchra deprædatur, & ad furem referatur, erit habenda in bonis, omnino autem in bonis non erit. Itemq́; quod non eſt, quodammodo eſt. quia eſt opinabile. omnino uero non eſt. Quod uero ait, itaque ſi unum quadam ex parte, alterum omnino in eandem rem cadat, nondum reprehenſio eſt. poteſt etiam intelligi in Aethiope. nam ſi Aethiops propter carnis extremitatem omnino niger eſt, dentibus autem albis eſt, certe qui eum album & non album eſſe concludet, non reprehendet. Poteſt etiam intelligi de eo quod non eſt omnino. Nam ſi omnino non eſt, ſed quadam ex parte, quale eſt opinabile, de quo non ut ſit, ſed ut non ſit, opinio eſt, ſi eſſe, & non eſſe concludatur, non erit reprehenſio.

HAE AVTEM inſunt in his orationibus. fieri'ne poßit, ut id ſit quod non eſt: eſt autem aliquid quod non eſt. Similiter quod eſt, non erit: non enim aliquid eorum, quæ ſunt, futurum eſt. fieri'ne poßit, ut idem ſimul ſancte iuret, & peieret? fieri'ne poßit, ut idem ſimul eidem & credat, & non credat? ſed aliud eſt eſſe aliquid, & eſſe idem, & quod non eſt, non ſi quiſpiam eſt, etiam omnino eſt: nec ſi quis aliquid ſe iuret facturum, aut aliqua ex parte, recte iurat neceſſario. Etenim qui ſe peieraturum iurauit, ſancte iurat ille quidem. peierans in hac re tantummodo, tamen ſancte non iurat. Nec qui non habet fidem credit, ſed quadam ex parte credit.

Captiones hæ ſunt huiuſmodi fieri'ne poteſt ut id ſit quod non eſt? non. An quod non eſt, opinabile eſt? etiam. igitur, eſt id quod non eſt, quod uero ait, eſt autem aliquid quod non eſt, idem eſt, ac ſi dicat, quod autem non eſt, eſt aliquid, ueluti opinabile. Præterea quod eſt non eſſe ita concludunt. ſi id quod eſt, extat, uel homo eſt, uel equus, uel bos, aut aliud huiuſmodi. ſed nihil horum eſt, quare nihil eſt, igitur non eſt id quod eſt. & fieri ne poteſt, ut idem ſimul ſancte iuret, & peieret? hic uero iurauit ſe peieraturum, quamobrem ſancte iurauit. uerum enim dicit cum facit id, quod ſe facturum iurauit, cum enim iurauerit ſe peieraturum, peierauit. ita idem ſimul ſancte iurat, & peierat. Itemq́; fieri poteſt, ut idem ſimul eidem & credat, & non credat? non. atque hic credit Geometræ latus ſub menſuram non cadere, non credit autem poſſe menſura definiri, & credit ſolem maiorem eſſe terra, non credit autem minorem eſſe, ita idem ſimul credit, & non credit. Cum uero Philoſophus captiones has breuiter expoſuiſſet, eaſdem explicat atque diſſoluit. ſed aliud eſt inquit, eſſe aliquid, & eſſe idem: hoc eſt non eſt idem ſi dicatur, quod non eſt eſſe aliquid, ueluti opinabile: & eſſe omnino. Nam ſi eſſe aliquid & eſſe omnino idem eſſet, certe quod non eſt eſſet, quoniam autem diuerſum eſt, id quod non eſt ens, non erit ens. Explicat autem clare captionem hanc, fieri ne poteſt, ut idem ſancte iuret, & peieret; cum ait, in hac re tantummodo, tamen ſancte non iurat. quaſi dicat, omnino autem ſancte non iurat, ſed in eo ſolum, quod cum iurauerit ſe peieraturum peierauit. Ex quo fit ut non omnino; ſed in eo tantum ſancte iurauerit, quod ſe peieraturum iurauit. quocirca in hoc ſolum, & non omnino ſancte iurat. quamobrem is qui peierat, non omnino, ſed quadam ex parte ſancte iurat. neque is qui non credit, omnino credit ſed aliquid credit. omnino autem credit is, qui uero credit, in quo etiam credere uero dicitur: qui enim ueritati credit, & uera credit, uere credit. falſa autem non credit. & aliud quidem eſt id quod credit, & aliud quod non credit.

SIMILIS eſt etiam ratio illius, mentiri eundem ſimul, & uerum dicere. Sed quia non facile perſpici poteſt, det ne quiſpiam mentiri plane alterum, & uere dicere, id difficile uidetur: cum interim non prohibeat eundem & omnino mendacem eſſe, & quadam ex parte ueracem: aut aliqua in re: & ueracem aliquem & non ueracem. Eodem modo de ijs quæ ex comparatione, & ex eo quod quadam ex parte, & aliquando fit, oriuntur, iudicandum eſt. Omnes enim hæ captiones ex eo naſcuntur,

tur,

tur, ſint ne ualetudo & diuitiæ in bonis: atqui inſipienti, & ei qui non recte utitur, non ſunt bono: in bonis igitur ſunt & non in bonis. An ualere & poſſe in ciuitate bonum eſt? Incidere autem poteſt tempus cum etiam non ſatius ſit: idem igitur eidem bonum, & non bonum. An nihil prohibet id quod omnino ſit bonum alicui non eſſe bonum? ſit ue id malum quod prudens nolit? bonum autem prudens non uult amittere: malum igitur id quod bonum. aliud eſt enim bonum malum eſſe dicere, & bonum repudiare.

Captio qua efficitur eundem ſimul mentiri & uerum dicere, ex iis concluditur, quibus contraria æqualiter conueniunt. ea ſunt, quorum dimidium album eſt, dimidium nigrum. ut ex oculo cognoſci poteſt. captio hæc fit hoc modo. Fieri ne poteſt ut idem ſimul mentiatur, & uerum dicat? non. deinde infer, atqui is qui oculum album dicit, uerum ſimul & falſum pronunciat. ſiquidem oculus ſimul eſt albus & non albus. Cuius fallaciæ eandem eſſe explicationem affirmat. ſed quia non facile perſpici poteſt, ac præſertim in iis, quibus contraria ſimili modo conueniunt, utrum dicendum ſit aliquem mentiri an uerum dicere, ideo difficile eſt. cum interim nihil impedimento ſit, quin idem omnino mendax ſit, quadam ex parte uerax. quod in Aethiope, atque eo quod non eſt, uſu uenire poteſt. Nam qui Aethiopem nigrum dicit eſſe, is & omnino uerus, & quadam ex parte mendax eſt. qui uero Aethiopem album aſſerit, omnino mendax eſt, & partim etiam uerax. Quod uero ait, aut aliqua in re intelligendum eſt de eo, in quo dimidium album eſt, dimidium non eſt. Hic enim neque omnino eſt uerax, & quadam ex parte falſus neque etiam contra, omnino mendax, & quadam ex parte uerax. ſed re aliqua, hoc eſt, æque uerax & mendax. Poſſunt etiam hæc uerba aut aliqua in re ita accipi, ut idem ſignificent. Qui enim quadam ex parte falſum aut uerum dicit, quodammodo uerus eſt & falſus, non omnino. Quod uero ait, & ueracem aliquem & non ueracem, idem eſt ac ſi dicat, & ueracem aliquem quodammodo, ueracem autem non omnino: qui enim in re quapiam uerum dicit, is aliqua ex parte, & non omnino, eſt uerus. Hæc captio poteſt etiam proponi hoc modo. Fieri ne poteſt ut idem ſimul mentiatur, & uerum dicat? non. atque is qui dicit, ego mentior, ſimul mentitur & uerum dicit. falſum igitur eſt, quod dicitur, fieri non poſſe eundem ſimul uerum, & falſum dicere. Cæterum falſæ concluſiones, quæ ſequuntur, claræ ſunt, & quamplurima eorum omnium exempla in libris topicorum comperiuntur.

SIMILIS eſt etiam furis ratio. Non enim ſi fur malus ſit, & accipere malum, propterea ille uult malum, ſed bonum. accipere enim bonum eſt, & morbus malum, at morbum reſpuere, non eſt. An ius magis expetendum ſit, quam iniuria? & facere iuſte, quam iniuſte? at mori iniuſte magis expetendum eſt. An ſua quemq; tenere equum eſt? quæ autem aliquis de ſua ſententia iudicarit, ſi falſa ſint, ex lege rata ne ſunt? idem igitur iuſtum, & non iuſtum. Itemq; illa, uter iudicandus eſt, is ne qui ea, quæ iuſta ſunt commemorat in iudicio, an is, qui iniuſta? Atqui æquum eſt eum, qui iniuriam accepit, ea quæ paſſus eſt accommodate exponere: quæ eadem iniuſta ſunt. Non enim ſi quid pati iniuria expetendum eſt, icciroco iniuria præſtat pati quam iure. ſed iure pati præſtat omnino, aliquid autem nihil prohibet iniuria pati præſtare, quam iure. Itemq; tenere ſua quenque iuſtum eſt, & aliena iniquum: & tamen iudicium hoc iuſtum eſſe nihil prohibet, ut ſi factum ſit iudicis ſententia. Non enim ſi quid iuſtum eſt, aut aliquo modo iuſtum, propterea omnino iuſtum eſt. Itemq; nihil prohibet, eorum quæ iniuſta ſunt, iuſtam eſſe expoſitionem. Neque enim ſi qua æquum eſt commemorare, ea etiam iuſta eſſe neceſſe eſt. ſicuti nec ſi qua utile eſt dicere, idcirco utilia ſunt. Quod eodem modo de rebus iuſtis iudicandum eſt. Quocirca non ſi ea quæ dicuntur iniuſta ſunt, is qui res iniuſtas commemorat, uincit: ea enim dicit quæ & iuſtum eſt dicere, & iniquum ferre omnino.

Vt clara atque perſpicua fiat explicatio ea, quam Ariſtoteles adhibet, captionem ipſam prius exponam. Fallax autem concluſio hæc ita conficitur. Vult ne aliquis ſui ipſius malum: non furari eſt ne malum? eſt; uult ne fur furari? etiam. ſuimet igitur malum uult. Accipere autem hoc loco pro furari intelligendum eſt cum ait, non enim ſi fur malus ſit, & accipere malum eſt. Furari autem malum eſſe, ſophiſtæ confirmabant docentes malum eſſe furem. Ac furem quidem malum eſſe docebant ex eius definitione, quam Ariſtoteles furis rationem hoc loco appellauit. ſi enim fur, inquiunt eſt, qui aliena clam uult accipere: idque malum eſt, etiam fur eſt malus. ita furari quoque malum eſt quare fur uult ſuum malum. quam fallacem concluſionem explicans Ariſtoteles, addidit hæc ipſa uerba. Non enim inquit, ſi fur malus ſit, & accipere malum eſt. quaſi dicat, non enim ſi fur malus ſit, etiam furari uult ut malum, ſed ut bonum. Quicquid enim aliquis expetit, id tanquam bonum expetit, licet ſit malum; quocirca fur non ut malum ille quidem, ſed ut bonum furari uult. quamobrem non ſuum uult malum. Accipere autem res alienas non eſſe malum ei qui accipit, neque dare operam ut ea ſumat tanquam mala, ſed tanquam eius bona confirmat ex depulſione maiorum. quaſi dicat, quemadmodum depellere morbum, qui malus eſt, non eſt malum, ita accipere alienas pecunias, non malum eſt ei qui accipit. Quorum enim depulſio eſt in malis, ut in Topicis diximus, eorum acceptio eſt in bonis, ſed depulſio pecuniarum in malis habetur, acceptio igitur in bonis numeranda eſt. igitur furari bonum eſt. huic reſpondendum eſt, num acceptio omnis eſt bona, ſed hæc, aut illa? Fallax autem conclusio, quæ ſequitur, eſt huiuſmodi. ſi mori iniuſte magis expetendum eſt quam iuſte mori, quemadmodum etiam Socrates contra eum dixit qui dicebat, iniuſte moreris o Socrates, tu igitur inquit, iuſte me mori uelles? qui enim iuſte moritur, is tanquam homicida, aut ſceleſtus, & facinoroſus id patitur: qui uero iniuſte patitur, is eſt uir iuſtus. qualis erat Socrates: ſi inquam iniuſte mori præſtat quam iure, aiunt ſophiſtæ, etiam iniuſta ſunt iuſtis anteponenda. Huius captionis explicationẽ ipſe paulo poſt afferet. eam uero, qua efficitur idem eſſe iuſtum & non iuſtum, non multo poſt clare proponam. ſed ue uerba explicentur, operæprecium erit, commemorare ea quæ Ariſtoteles quinto de moribus libro ſcripta reliquit, cum diſputat aliud eſſe id quod natura iuſtum eſt, aliud quod ex iudicis ſententia iuſtum dicitur. aliud quod lex ſtatuit. quamobrem fit ut idem iuſtum & iniuſtum eſſe poſſit. Quod enim lege iuſtum eſt, non neceſſe eſt. & ait, ut ſi factum ſit iudicis ſententia. ſed contingit, ut natura iniuſtum ſit, quia uero factum eſt, ut leges ſanxerunt, ſit iuſtum. quod etiam Callicles in Platonis Gorgia aduerſus Socratem uſurpauit, ſiquis inquit, id dicat, quod cum lege conſentiat, tu de eo quod accommodatum naturæ eſt interrogas; ſin ea quæ naturæ congruant, de iis quæ legi ſunt conſentanea; & ita ueteratorem te in diſputando præbes. itaque cum iuſtum tripartito diuidatur, efficitur, ut hinc multæ occaſiones fallacium concluſionum Sophiſtis ſuppeditẽtur. ut ex hoc cognoſci poteſt. An ſua quemq; tenere iuſtum eſt, & in iuſtum, aliena? uel ex hoc. An interdum dicimus iuſtum eſſe, & iuſtum iudicium. in quo iuſtum pro iuſti ſumptum eſt. quaſi nihil differat, debet ne unuſquiſque habere ea, quæ ei ſententia iudicis decreta ſunt? etiam. non ne iniuſtum eſt, & iniuſtum iudicium, quod cenſet aliena habere eum, qui eorum dominus non eſt? etiam. deinde concluditur, ſed hic habet pecuniam, quam ab hoc accepit, & eam uel ex lege, uel ex iudicis ſententia accepit, (hoc.n.totum deeſt) ſi igitur eam uel ex lege, uel ex ſententia iudicis accepit, ſua habet. ſua.n. quemq; habere, iuſtum eſſe ſtatutum eſt. ſi iuſte habet, iuſtum eſt iudicium, ſiquidem ex lege habet. ſi uero ſunt pecuniæ eius a quo ſunt ablatæ, iudicium in iuſtum eſt. ita idem iudicium & iuſtum eſt, & iniuſtum. ueluti ſiquis ſycophanta domum aut agrum, quem poſſidebat Plato acceperit, fructumq; qui Platonis, eſſe deberet, ipſe tulerit: dixeritq; non eſſe Platonis, ſed ſuum; iudex uero cenſuerit Platonem iurare, & ita fieri & agri & domus poſſeſſorem: Plato propter iuriſiurandi religionem permiſerit ut ſycophanta & agrum & domum habeat; ſycophanta quidem ſua habet, quia quæ quis lege accepit, ut ſua accepit, & ſua habere iuſtum eſt; efficietur ut iuſtum quidem ſit iudicium, ſed iniuſtum natura. quia natura iuſtum eſt, non eſſe adigendum Platonem ad iuſiurandum: ſed æquum eſt, ut ille ſceleratus ſycophanta de poſſeſſione deiiciatur & ſua Platoni reddantur. quocirca idem iudicium & iuſtum & iniuſtum eſt. & idem iuſtum eſt atque non iuſtum. Atque hæc quidem eſt captionis expoſitio. Quod uero ait, ex lege rata ſunt, additum eſt, quia lex erat, qua cauebatur, iudicum ſententiam ratam eſſe. Quæ enim quis de ſua ſententia iudicat, etiam ſi falſum ſit iudicium: tamen ratum eſt lege: idq; licet iniuſtum ſit iudicium, cum interim iudicis ſententia iuſtum ſit: lex iubet ratum eſſe & firmum. Adhuc captiones expoſui, & explicaui. quod ad uerba ipſa philoſophi pertinet, eorum ſenſus eſt huiuſmodi. In iis quæ aliquis ex ſua ſententia iudicauit, etſi falſum & iniuſtum eſt iudicium: tamen id ratum & firmum eſſe lex iubet. Erat enim apud Athenienſes lege cautum, iudicum iudicia rata eſſe. id quod Socrates in Platonis Critone planum fecit, cum ait, quidnam Crito ad hæc aliaq; huiuſmodi dicemus? Permulta enim in hanc ſententiam afferri poſſent, præſertim ab oratore, qui pro antiquata lege ea, qua cauetur ſententias a iudicibus iactas ratas eſſe, cauſam diceret. hæc ille. In eo uero quod ait Ariſtoteles, Itemq; illa, uter iudicandus eſt, uerbum illud iudicandus, pro condemnandus intelligendum eſt. Aiunt enim ſophiſtæ, ecquis condemnandus eſt, is ne qui ea quæ iuſta ſunt in iudicio commemorat, an is qui iniuſta? ſi reſpondeat al-

ter,

ter, condemnandum eſſe eum qui iniuſta commemorat, inferunt de eo, qui paſſus eſt iniuriam, hoc modo, hic autem iniuſta commemorat, quæ enim paſſus eſt, ea ipſe narrat & exponit, quæ paſſus eſt, iniuſta ſunt; quocirca ſi condemnandus eſt is qui iniuſta narrat, hic iniuſta narrat, hic igitur condemnandus eſt. At hic eſt, qui iniuriam accepit, condemnandus igitur eſt is, cui illata eſt iniuria. & abſoluendus is qui iniuſtus eſt, & iniuriam alteri fecit. Quod uero ait, atqui æquum eſt eum qui iniuriam accepit, ea quæ paſſus eſt, accommodate exponere, dictum eſt pro cauſa, quamobrem is qui iniuriam paſſus eſt, iniuſta commemoret. aiunt enim ſophiſtæ iuſtum eſſe, ut is qui iniuriam accepit, narret quæ paſſus eſt: ſed quæ paſſus eſt iniuſta ſunt: iniuſta igitur narrat. Hactenus Ariſtoteles poſuit captiones, deinceps uero earum explicationes declarabit. & quod nunc ait, non enim ſi quid pati iniuria expetendum eſt, idcirco iniuria præſtat pati, quam iure: eſt explicatio captionis, qua efficitur, ſi iniuſte mori magis expetendum eſt quam iuſte, etiam id quod iniuſtum eſt, iuſto eſt optabilius. Ait autem, non ſequi, ut ſic mori iniuſte, aut omnino iniuſte aliquid pati expetendum ſit, omnino etiam quod iniuſte ſit, anteponendum ſit ei, quod fiet iuſte: ſed omnino optabilius eſt quod iuſtum eſt, & quod iuſte ſit. Aliquid autem inquit nihil prohibet iniuria pati præſtare quam iure. id eſt, hoc loco, nihil prohibet iniuria mori præſtare quam iure. neque enim ſi quid interdum, aut cum aliquo collatum optabilius eſt, iam omnino optabilius erit. Quod uero ait, itemq́ tenere ſua quemque iuſtum eſt, & aliena iniquum. eſt explicatio captionis qua dicitur, ſua quemq́ tenere æquum eſſe. Ait enim uerum eſſe ſi dicatur, æquum eſſe ſua quemq́ tenere, & aliena iniquum. & tamen nihil prohibere iuſtum eſſe hoc iudicium, licet falſum ſit, hoc eſt licet ab eo genere iuſti quod naturæ conſentaneum eſt, abhorreat: quandoquidem ex legum conſtitutione ſit factum. Atque etiam multa ſunt, quæ quia cum legibus non conſentiunt, iniuſta eſſe uidentur, & tamen natura iuſta ſunt. & contra, multa ſunt quæ legum ſanctionibus iuſta habentur, natura uero iniuſta ſunt. Non enim inquit, ſi quid iuſtum eſt, aut aliquo modo iuſtum, propterea omnino iuſtum eſt. hoc eſt, neque enim ſi lex dicat hoc eſſe iuſtum, contra uero cenſeat ſophiſta animum aduertens ad id iuſtum quod naturæ congruit: etiam omnino quod cum lege conſentit, iuſtum eſt, & quod ex iudicis ſententia decernitur, eſt iniuſtum: ſed contra etiam contingit. Itemq́ inquit, nihil prohibet, eorum quæ iniuſta ſunt, iuſtam eſſe expoſitionem. Hæc eſt explicatio poſtremæ captionis, qua efficitur, uter condemnandus ſit, is'ne qui iniuſta, an qui iuſta in iudicio commemorat. Explicatio eſt talis. Nihil inquit, prohibet, iniuſta eſſe quæ commemorantur, & æquum eſſe eadem commemorare. quod uero ait, neque enim ſi qua æquum eſt commemorare, ea etiam iuſta eſſe neceſſe eſt. uidetur eſſe contrarium iis quæ antedicta ſunt nobis. ita enim opinor, dicendum erat; non. n. neceſſe eſt iniuſta eſſe. ſiquidem æquum eſt commemorare ea quæ quis iniuria paſſus eſt, & non neceſſe eſt iniqua commemorare. uel his uerbis ſignificat non neceſſe eſſe ut condemnetur is qui iniuſta commemorat. neque enim ſi æquum eſt dicere quæ quis paſſus eſt, neceſſe etiam eſt quæ dicuntur iuſta eſſe. quomodo enim ea iuſta erunt, ſi res iniuſtas ſignificant, uel indicant? ſed, ut apertius rem proponam, quod ait, eſt huiuſmodi, non neceſſe eſt, iniquum eſſe, cum æquum ſit ea dicere. quæ enim quis paſſus eſt, ea iniqua ſunt, & tamen æquum eſt ea dicere. quocirca non condemnandus eſt is qui iniuriam accepit quoniam dicit quæ dictu iuſta ſunt, iniuſta autem, quia ea paſſus eſt. quemadmodum etiam neque ſi utile ſit dicere & exponere quæ ſint mortifera & noxia, ut homines ea uitent; propterea ea erunt utilia. ſunt enim ea natura noxia & mortifera, & inutilia. & tamen ea dicere utile eſt. quod eodem modo de iuſtis iudicandum eſt. Neque enim ſi iuſtum ſit hoc dicere, iam hoc iuſtum ſit neceſſe eſt. quocirca ſi ea, quæ dicit is qui paſſus eſt iniuriam, iuſta ſunt dictu. etiam ſi iniuſta ſint, tamen uictoriam dicenti parient. Ex hoc loco perſpicuum eſt, non omnes qui iniuſta dicunt uincere, ſed eos ſolum qui dicunt res iniuſtas quas paſſi ſunt, quas æquum eſt dicere. Id enim a ſophiſtis concluſum eſt, cum interrogarent hoc modo, an condemnandus eſt is qui iniuſta commemorat in iudicio, an qui iuſta? deinde accipientes ab eo qui reſpondet, condemnandum eſſe eum, qui iniuſta commemorat, & introducentes aliquem affectum iniuria, dicebant, atqui hic iniuſta commemorat. ſiquidem ea quæ paſſus eſt, narrat, ac concludebant, eum qui iniuria affectus eſt, eſſe condemnandum: quod is iniuſta quæ paſſus eſt, commemoret. atqui iuſta etiam commemorat, cum iuſtum ſit ea dicere. poteſt igitur uincere is, qui iniuſta commemorat. cui occurrit Ariſtoteles, & ait, quocirca non ſi ea quæ dicuntur, iniuſta ſunt, is qui res iniuſtas commemorat, uincit: ſed is demum uincit, qui dicit ea quæ dicere æquum eſt, & omnino iniquum pati. ergo hic, qui iniuſta commemorat, quæ æquum eſt dicere, condemnandus non eſt: ſiquidem narrat ea quæ æquum eſt exponere, quæq́ iniquum eſt pati. Ac quod ait, quod de rebus iuſtis eodem modo iudicandum eſt, idem eſt ac ſi diceret, ſimili modo neque ſiquis iuſta commemoret, ea iuſta eſſe neceſſe eſt. neque enim ſi is qui accepit iniuriam cum dicit ſibi eſſe factam iniuriam, iniuſta dicit, (narrat enim iniuſta quæ paſſus eſt) iam is qui fecit iniuriam cum ſe non feciſſe dicit, iuſta commemorat. non facere autem iniuriam iuſtum eſt, is uero id dicit, iuſtum igitur dicit. Sed non ſi iuſta dicit, iam quæ dicit omnino iuſta ſunt, ſiquidem ſunt falſa. Quamobrem ſi is, qui iniuriam accepit, commemorat ea quæ æquum eſt dicere, etiam ſi iniuſta ſint, tamen uictoriam conſequetur: propterea quod æquum eſt narrare quæ commemorat, quia enim eiuſ-

modi ſunt, ut ea commemorare æquum ſit, iuſta ſunt. aliter autem ſunt iniuſta, quia res iniuſtas ſignificant.

IIS autem captionibus quæ ex reprehenſionis definitione exiſtent, occurrendum erit ea ratione, quam ſupra præſcripſimus. concluſione enim collata cum contradictione quemadmodum erit idem, & eadem ex parte, & cum eodem collatum; & eodem modo, eodemq; tempore uidebimus. Quòd ſi initio diſputationis quæratur, non concedendum eſt fieri non poſſe, ut idem ſit duplum & non duplum, ſed dandum eſt, non tum eadem ratione. Id enim eſſet reprehendi ſine controuerſia. Captiones quæ ſunt ex hoc genere ſunt huiuſmodi, Norit ne rem qui quamque rem qualis quæq; eſt nouit, itemq; is qui ignorat? Atque idem qui nouit Coriſcum, quia Coriſcus ſit, eundem quia muſicus, ignorat. eandem igitur rem, & nouit, & ignorat. Et rurſus, an res quatuor cubitorum magnitudine, ea quæ trium eſt, maior ſit? fieri poteſt ex trium cubitorum magnitudine quatuor in longitudinem magnitudo: & quod maius eſt, minore maius eſt. eadem igitur res ſeipſa & maior erit, & minor.

Quæ ſit reprehenſionis definitio, & unaquæque eius definitionis pars, & quæ captiones ex reprehenſionis definitione oriantur, & ipſe Ariſtoteles initio huius operis quam diligentiſsime explanauit, & nos ſatis de unaquaque definitionis parte diximus, easq; ſingulas & diſtinximus, & declarauimus. quare nunc ſuperuacaneum uidetur, eaſdem res iterum percurrere. Conſequens igitur eſt, ut eam partem explanemus, quam intactam huc uſque non illuſtrauimus: ea eſt hæc. Quod ſi inquit, initio diſputationis quæratur &c. quæ quidem uerba confuſa ſunt, & non recte diſpoſita. quæ ſi dicantur hoc modo, clarum erit id quod dicitur. Quod ſiquis initio diſputationis quærat, an fieri non poſsit, ut idem duplum & non duplum ſit, non concedendum erit. Quod ait eſt huiuſmodi. ſi quis inquit, dicat, utrum fieri non poſsit, ut idem duplum & non duplum ſit, non concedendum eſt, fieri non poſſe ſed dicendum eſt, etiam. non tamen eadem ratione: hoc eſt in eadem re. quia ita eſſet uera reprehenſio: ſed in alia atque alia. Quatuor enim & dupla ſunt duorum, & non dupla trium. Captiones uero quæ ſequuntur ita per ſe claræ ſunt, ut nullius expoſitionis indigeant.

EAS uero, quæ ex eo oriuntur, quod initium diſputationis petitur, uel ſumitur, ſi id perſpicuum ſit, dare non debet is qui reſpondendi partes obtinebit: ſed uerum dicere debet, etiam ſi probabile uideatur: ſin obſcurum erit, ignorationem ſuam propter uitium talium diſputationum ad interrogantem, ut qui minime differat, retorquebit. Reprehenſio enim primæ diſputationis petitionem reſpuit. Deinde admonere debebit ſe id dediſſe, non ut eo ad id, quo uſus ſit uteretur, ſed ut eius contrarium argumentando concluderet, aut in reprehenſionibus.

Si perſpicuum ſit peti initium diſputationis, (neque enim ſemper perſpicuum eſt, cum idem non per ſe ſumitur, & cum perſpicuum ſit, & cum non ſit, in ſecundo priorum, & octauo Topicorum dictum eſt diligenter) ſi inquam perſpicuum ſit, non concedendum eſt. ſed dicendum eſt, eum initium diſputationis petere. quamobrem neque ita dandum eſt, neque etiam ſi probabile ſit, ſed uerum dicendum eſt. Quod ait, eſt huiuſmodi, cum tu qui reſpondes, uerum concedis, ille uero alter probabile interrogat eiuſmodi, quod ei conducit ad probandum aliquid contrarium a tuo uero propoſito, (nihil enim prohibet quibuſdam probabilibus probare non eſſe aliter, ut eſſe librum, aut aliquid aliud huius generis.) tu reſpondens etiam ſi id quod interrogat is qui ponit quæſtionem, probabile ſit, concedere tamen non debes. uel cum ait, uerum dicere debet etiam ſi probabile uideatur, ſignificat, etiam ſi uideatur non ſumere id quod initio propoſitum eſt, ſed re uera ſumat, id concedere non debet is qui reſpondet, ſed uerum dicere. hoc eſt, ſed uerum dicendum eſt contra eum qui interrogat. uerum autem quod contra eum qui roget, dici debet, eſt hoc, uideris quidem non ſumere id quod propoſitum eſt initio, ſed re uera petis & ſumis id, quod concludendum eſt. Poſſe autem ſumi id quod initio diſputationis ponitur, & non uideri peti, cum aut nomen & oratio pro nomine, aut nomen pro oratione ad-

ne adhibeatur, dictum eſt, & explicatum a nobis in prioribus analyticis, & octauo topicorum libro. Si igitur perſpicuum ſit initium diſputationis peti, ita reſpondendum eſt, uti diximus: ſin obſcurum ſit, quod huiuſmodi orationes ſint uitioſe interrogatæ, peccatum ad interrogantem retorquendum erit, & dicendum, eum non differere. Cum uero non differat, perſpicuum eſt, eum non reprehendere. quippe cum reprehenſio ſit, cum is qui concludit, contrarium docet, neque petens initium diſputationis, neque id quod cum aliquo collatum ſit, neque quod ad aliud referatur, & cætera omnia quæ in reprehenſionis definitione dicta ſunt nobis. Deinde inquit, is qui reſpondet, dicere debebit. Ego id non dedi ut eo tanquam propoſitione utereris, ſed dedi ut quæſtionem, ut contra eam quæſtionem argumentareris, hoc eſt, ut propoſitionibus ſumptis contrarium argumentando concluderes: tu uero eo uſus es ut propoſitione, & concluſionem effeciſti. Nam ſi ei concedatur, uoluptatem eſſe naturæ conſentaneam, ipſe uero ex hoc concludat uoluptatem meritoriorum puerorum eſſe in bonis, dicendum nobis erit, nos non dediſſe uoluptatem eſſe naturæ congruentem ut propoſitionem, ſed ut quæſtionem. Omnino inquit, ii qui reſpondent, debent efficere contrarium reprehenſionum. cum enim quibuſdam poſitis efficiatur concluſio, concedere inquit, debent ita eſſe, ſed dicere ſe non uelle id demonſtrari, ſed eo, tanquam ex propoſitione, uelle aliud quippiam oſtendi: hoc igitur ſumpto aliud quid ex eo proba, atque demonſtra.

IAM cum eæ incident, quæ a conſequentibus ſumuntur, in ipſa oratione docendum erit duplex eſſe argumentum a conſequentibus. unum cum ex parte totum concluditur, ut ex homine animal, uolunt enim ut hoc ex illo conſequens eſt, ſic illud ex illo eſſe. Alterum ex contrario ſi enim hoc illud ſequitur, illius etiam contrarium alterius contrarium ſequetur. Ex quo ducta eſt Meliſſi argumentatio. ſi enim quod ortum eſt, initium habet, id quod non ortum eſt, uult non habere: ita ſi cœlum ortum non habet, idem termino caret. Non ita eſt, contra enim argumentatio ducitur.

Ratiocinationes quæ a conſequentibus ſumuntur appellat eas quas a conſequente duci ſupra docuimus. Ait autem, in ipſa oratione hoc eſt ratiocinatione docendum eſt captionem, a conſequentibus ſumi, hoc eſt ex eo, quod non reciprocentur ea quæ in argumentatione adhibentur. neque enim ſi hoc ex illo conſequatur, etiam illud ex hoc conſequetur neceſſario, etenim ſi mel ſit flauum, non iam etiam quod flauum eſt, erit mel. Totum autem appellauit conſequens, ut flauum: partem uero, ex quo conſequitur conſequens, ut ex melle. Fit etiam captio a conſequentibus in contrariis neque ſi contrarium ex contrario, etiam ex contrario contrarium conſequetur. ex quo orta eſt Meliſſi argumentatio, qua efficere uult, ſi quod ortum eſt, initium habet, etiam id quod non eſt ortum, quod ipſe ingenitum appellauit principium non habere. ex eo igitur captio effecta eſt, quia non apte uiciſſim retro dicuntur ea, quæ in argumentatione adhibita ſunt: ita enim dicendum erat, ſi quod ortum eſt principium habet, quod non habet principium non ortum eſt. de qua quidem reciprocatione nos multa diximus in noſtris in libros phyſicorum explanationibus. itemq́ cum de hoc genere argumentationum ſupra differerem, non pauca conſcripſi, quæ iterare ſuperuacaneum duco.

IN IIS autem, quæ ex eo concluduntur quod aliquid adiunctum ſit, illud primum uidendum eſt, an eo ſublato quod adiectum eſt, nihilo minus incommodum ſequatur. deinde eo plano facto, dicendum eſt id datum eſſe à nobis, non quod ita uideretur, ſed diſputationis gratia. id autem quomodo uſus eſt, nihil ad diſputationem pertinere.

Appellat ratiocinationes concluſas ex eo quod aliquid adiunctum ſit, eas in quibus id quod cauſa non eſt, pro cauſa ponitur. cuiuſmodi erat ſextum genus captionum earum quæ in rebus eueniunt. Ac quomodo ſublato eo ex quo incommodum effici dicunt, nihilo minus incommodum ſequatur, dictum eſt prius, cum eum locum tractaremus, qui eſt huius captionis proprius. ibi enim ſunt hæc fere uerba, ut inquit, ſi animus idem eſt quod uita, ſi enim interitui ortus eſt contrarius, etiam alicui interitui ortus aliquis contrarius erit: & cætera quæ ſequuntur. quæ nos non debemus iterum exemplis illuſtrare. Quod uero nos admonet, eſt, ut auferamus illud ipſum ex quo efficitur incommodum, & declaremus eo ſublato nihilo ſecius incommodum ſequi. ita ex eo non fieri. Vos autem ſcire uelim hunc modum eſſe eundem cum eo, in quo dicitur non ex eo falſum effici. de quo dictum eſt ſecundo

analyticorum priorum libro.ubi etiam dictum eſt de petendo diſputationis initio. Cum uero dixiſſet declarandum eſſe,addidit,dicendum eſſe, id datum eſſe a nobis, non quod ita uideretur, ſed diſputationis gratia. ne aut difficiles & proterui, aut litium amantes uideamur. cum enim ſciremus id non eſſe utile ad argumentationem, id non eius cauſa dedimus. tu uero eo uſus es, quia ad argumentationem efficiendam ualeat;& quaſi ſit ad argumentationem accommodatum.Quod uero ait,id autem quo modo uſus eſt, nihil ad diſputationem pertinere, perfectum erit hoc modo. Tu uero uſus es ad argumentationem, & tanquam ad quæſtionem commodum & aptum ſit eo, quod ad argumentationem nihil pertinet.

EAE uero quibus ex multis interrogationibus una ſit, initio diſtinguendæ ſunt, præſertim cum ad interrogationem unam ſemel ſit reſpondendum. Itaque nec plura de uno, nec unum in multis, ſed unum ex uno enunciandum, & negandum eſt. Vt autem in homonymis interdum utrique, interdum neutri conuenit, ut eos qui ſemel & omnino ad unum rogatum reſpondent, incommodum nullum ſequatur: ſic in his cum multa uni, uel unum multis conueniunt, aut non conueniunt, cum qui concedet, uerſabiturq́; in hoc errore, nulla ſequetur repugnantia.

Fallaces concluſiones inquit, quibus ex multis interrogationibus una fit, initio diſtinguendæ ſunt, eisq́; occurrendum eſt; ſignificando multas eſſe interrogationes. neque eſt concedendum aut negandum, ſed id ipſum declarandum eſt, eos multas interrogationes pro una adhibere. quod artis & ſcientiæ non eſt, præſertim cum ea demum ſit optima interrogatio quæ una eſt, & unius reſponſionis eſt petitio. Ariſtoteles uero ex iis, quæ addit, declarat, ſæpe accidere ut cum non una & ſimplex ſit interrogatio, qui aliquam ſimplicem reſponſionem dat, non erret. Vt enim inquit, in homonymis interdum utrique, interdum neutri conuenit, &c. In utroque enim Aiace quod nomen homonymum eſt, conuenit Ilium iuiſſe. at cum Therſite ſingulari certamine dimicaſſe neutri conuenit. ita in Aiace licet homonymum ſit, dandum eſt aut etiam, aut non. ueluti num Aiax apud Ilium caſtra poſuit? etiam. Vtrique enim & Thelamonio & Oileo conueniet. Vtrum cum Therſite ſolus pugnauit? non. neuter enim eorum cum Therſite congreſſus eſt. ſed qui fieri poteſt quin hæc non repugnent iis, quæ ſupra dicta ſunt, cum diceretur, licet uera eſſet interrogatio, tamen ſi multis modis diceretur, non eſſe reſpondendum aut etiam, aut non? an hæc illis non repugnent? quæ enim nunc ait, ſunt huiuſmodi. ſiue aias, ſiue neges in iis interrogationibus, quæ dicuntur multis modis, nulla ſit reprehenſio. Cum enim Ilium proficiſci in utroque Aiace, uere dicatur, ſi quis nos roget, utrum Aiax ad Ilium caſtra locauit? ſi reſponderimus etiam, non erit cur reprehendi poſſimus. Itemq́;, utrum cum Therſite manum conſeruit? ſi dixerimus, non, nullum incommodum ſuſcipiemus. Atque id quidem eſſe quod ait, perſpici poteſt ex eo, quod ſequitur. cum ait, ſic in his, cum multa uni, uel unum multis conueniunt,&c. Vnum multis conuenit,ut Aiaci,aut potius Aiacibus ad Ilium proficiſci. multa uero uni conueniunt, ut Coriſco eſſe candidum & muſicum. Quocirca ſi quis nos rogaret, utrum Coriſcus ſit muſicus & candidus? ſi diceremus,etiam;in reprehenſionem nullam incideremus. & tamen peccaremus reſpondendo, etiam. propterea quod in iis quæ dicuntur multis modis non eſt omnino negandum, aut affirmandum.

CVM autem unum eſt, alterum non eſt, aut multa in multis dicuntur, & utraque utriſque conueniunt, contraq́; non conueniunt: tum cauendum eſt cuiuſmodi ſunt orationes, in quibus ſi unum ſit bonum, alterum malum, eſt uerum hoc bonum eſſe & malum. Et rurſus neque bonum neque malum: neque enim utrunque cadit in alterum. Ita idem bonum erit, & malum, & nec bonum nec malum. Et ſi quæq́; res eadem ſecum eſt, & a cæteris diuerſa. hæc autem cum non eadem quæ alia, ſint, ſed ſui ſimilia, & a ſeſe diuerſa, eadem a ſe diuerſa, & ſui ſimilia ſunt. Præterea ſiquid ex bono malum fiat, & ex malo bonum, iam duo erunt, quorum duorum & inæqualium utrunq́; ipſum ſibi æquale erit. Ita eædem res ipſæ ſibi & æquales & inæquales erunt. Atque hæ quidem captiones aliter etiam explicari poſſent. Cum enim plura hæc nomina ambo & omnia ſignificent, ſit, ut non idem dicamus, nomen tamen

affir-

affirmemus, & negemus in quo nulla reprehenſio eſt. ſed illud perſpicuum eſt, ſi qua res una uni conuenire aut non conuenire ſignificetur interrogando, non plura quærentur ex nobis, nos reſpondendo nihil incommodi eſſe ſuſcepturos.

Cum inquit Coriſco conuenit, ut albus ſit & muſicus, aut conuenit multis, ut Ilium nauigent, tum is qui ait uel negat, nullo modo reprehenditur. cum autem inquit, unum conuenit, alterum non conuenit, ut Aiaci ſoli cum Hectore pugnare: aut multa in multis dicuntur ut alterari de cane: ſiquidem & alterari & canis multa declarat: tum nec concedendum eſt, nec abnuendum. Ea autem plura dici de pluribus nunc non dicit, ſed quod ait, clarum erit hoc modo. Fortitudini conuenit bonum, & timori malum. multa de multis bonum & malum, de fortitudine & timore dicuntur. Hoc loco ſiquis interroget, an timor & fortitudo bonum ſint nec ne? non eſt concedendum aut abnuendum, quia ſiue aias ſiue neges falſum dicetur. In quibus enim uerum eſt coniuncte dicere bona & mala eſſe, & nec bona eſſe nec mala, quonam modo in iis uere dici poterit ſeparatim eſſe bona, uel mala? ſi enim inquit bonum eſſet malum, aut malum eſſet bonum, hoc eſt ſi timor eſſet fortitudo, aut fortitudo timor eſſet, certe ii, qui interrogantur, utrum fortitudo & timor ſint in bonis, nec ne? uel omnino affirmare, uel omnino negare deberent. cum uero diuerſa ſint, id fieri nullo modo poteſt. His expoſitis declarat quid incommodi ſequatur eos, qui omnino aut etiam, aut non reſpondent atque adeo ponit ipſam fallacem concluſionem, qua ſophiſtæ utuntur contra eos qui nullo conſilio adhibito aut etiam, aut non dicunt: quæ omnia philoſophus ſignificat cum ait, ita idem bonum erit, & malum, & nec bonum nec malum. quaſi dicat, ſiquis rogatus utrum fortitudo & timor bonum ſint uel malum, dicat eſſe bonum, timor erit bonum & malum: ac malum quidem, quia etiam malum eſt, bonum uero, in eo ipſo quod ille eſſe bonum conceſſit. ſin autem neget, fortitudo erit bonum & malum. ac malum quia ille malum eſſe dixerit: bonum, quia ipſa ſuapte natura eſt bonum. Ita unum & idem, ut fortitudo bonum & malum, & nec bonum, nec malum erit. Quod ſi ita eſt cum res quæq; eadem ſit ipſa & ſui ſimilis, & a cæteris diuerſa, Socrates enim ipſe idem ſecum eſt, & ſui ſimilis, a Platone uero diuerſus, cum inquam res quæq; eadem ſit ipſa ſui ſimilis: ponitur autem fortitudinem bonum eſſe & malum; bonum uero & malum diuerſa ſunt, ſequetur, ut fortitudo ſit ipſa a ſe diuerſa, & ſecum eadem. quod de timiditate eodem modo iudicandum eſt. ita eadem uidelicet timiditas & fortitudo, erunt eædem ipſæ ſecum, & a ſeſe diuerſæ. Quod uero ait, hæc autem cum non eadem quæ alia ſint, ſed ſui ſimilia & a ſe diuerſa, imperfectum eſt, erit autem perſectum hoc modo. Hæc autem cum non eadem quæ alia ſint, & diuerſa: ſed ſui ſimilia & a ſe diuerſa; ſit ut eædem res & a ſe diuerſæ ſint, & ſui ſimiles. Deinde ait quia ex huiuſmodi reſponſione ſit, ut fortitudo quæ eſt bonum, fiat malum, & timiditas, quæ malum eſt bonum fiat, iam duo erunt. ita timiditas duo erit, & bonum & malum, & a ſe diuerſa. bonum enim a malo diuerſum eſt. Itemq; fortitudo. quorum inquit duorum & inæqualium utrunque ipſum ſibi æquale erit. ait etiam hoc abſurdi contingere iis, qui abſolute dicunt aut etiam, aut non; cum uel unum de multis, uel multa de uno dicuntur. Hæc ratio efficitur hoc modo. ſi duo ſint inæqualia, ueluti magnitudo duorum cubitorum, & magnitudo trium cubitorum, perſpicuum eſt utrunq; ſibi eſſe æquale, ſiquidem & magnitudo duorum cubitorum ipſa ſibi par eſt & æqualis. & eodem modo ea quæ tribus e cubitis conſtat. Itaq; ſiquis a nobis quærat, utrum magnitudo trium cubitorum, & magnitudo duorum cubitorum pares ſint nec ne? noſq; etiam, aut non, reſpondeamus: fiet ut eædem ſibi ipſis pares & impares ſint. ſi enim trium cubitorum magnitudo ei quæ duorum eſt, æqualis ſit, certe duorum cubitorum magnitudo erit magnitudo trium cubitorum, ita eadem magnitudo erit ſibimet inæqualis, & ſe ipſa maior & minor: ſiquidem trium cubitorum magnitudo eſt maior duorum cubitorum magnitudine. Captionis explicatio eſt, multa rogata pro uno eſſe adhibita. Ait autem has captiones aliter etiam explicari poſſe. Vt explicari poſſunt ambiguitate. Interrogare enim utrum ambo hæc, aut hæc omnia paria & imparia ſint, ambiguum eſt. poteſt enim hæc interrogatio intelligi, quaſi dicatur, an paria ſint inter ſe, uel ipſa ſibi paria? itemq; an imparia ſibi ipſa ſint, aut inter ſe? ſit inquit, ut eadem dicamus & negemus. In ambiguis inquit, uel multa rogantibus ſit ut eadem, hoc eſt eaſdem res affirmemus & negemus. nomen tamen alii atque alii rei ab ipſo nomine ſignificatæ accommodemus: in quo nulla eſt reprehenſio. Fit enim reprehenſio cum efficitur ut eadem res de una & eadem re ſimul dicitur, & non dicitur ex propoſito eius qui reſpondet. Quod uero addit, ſed illud perſpicuū eſt, ſiqua res una uni conuenire, aut non conuenire ſignificetur interrogando, &c. eſt huiuſmodi. Nihil incommodi accidet, nulla uidelicet fiet reprehenſio, non ſiquis ex multis unam interrogationem faciat, ſed ſi unam rem uni conuenire dixerit: hoc eſt ſi rem unam de una ſubiecta enunciari fecerit. ſi enim is qui reſpondet unum de uno dicat, neutiquam a ſophiſta reprehendetur. Vel ita capi poſſunt illa uerba. Perſpicuum inquit eſt, non ſi una interrogatio de multis fiat, ſed ſi una res de una interrogetur, non fieri reprehenſionem. Cum enim quis rogatus multa pro uno, aut etiam, aut non reſpondeat, non poterit uere reprehendi; ſed ſolum reprehendi uidebitur, cum uero unum de uno dicat, ſi uere

dicat, nulla erit reprehenſio: ſin falſo, erit. atque ea quidem non erit apparens, ſed uera.

QVOD autem attinet ad eas captiones, quæ eo deducunt nos, ut idem iteremus uerbum, illud perſpicuum eſt, non eſſe concedendum per ſe aliquid ſignificare categorias eas, quæ cum aliquo conferuntur. cuiuſmodi eſt duplum, ſi non dicatur ſimpli duplum, propterea quod unum uidetur. nam & decem in ijs, quæ uno dempto decem ſunt, intelliguntur: & uerbum facio, in hoc, non facio, & omnino in negatione affirmatio. ſed tamen non ſiquis dicit quippiam non eſſe album, propterea ipſum album eſſe confirmat. Duplum autem nihil fortaſſe declarat: ſicut nec id, quod in ſimplo intelligitur. quod ſi forte ſignificat, at certe non idem, quod cum ſimpli uerbo coniunctum. Ne ſcientia quidem in ſpecie quid ſignificat: ut cum medicina ſcientia eſſe dicitur, in quo ſcientiæ uocabulum commune eſt, in illo autem ſcientia eius eſt, quod ſub ſcientiam cadit.

Cum docuerit quomodo ſophiſmata explicanda ſint, nunc diſſoluit eas captiones, quæ nos eo deducunt, ut idem ſæpe uerbum iteremus. Ait autem quod attinet ad eas captiones, quæ nos eo deducunt, ut idem uerbum iteremus non eſſe concedendum categorias id eſt nomina, quæ cum aliquo conferuntur, per ſe & ſeparatim pronunciata ſignificare aliquid, hoc eſt, compoſitum quippiam. Veluti ſi duplum ipſum per ſe dicatur, compoſitum & coniunctum non eſt, neque aliud quid ueluti ſimplum ſignificat, propterea quod in eo ineſt. Hoc igitur eſt, quod hoc loco nos docet, & admonet ſi interrogemur, utrum duplum per ſe ſine uerbo ſimpli, & cum uerbo ſimpli coniunctum idem ſignificet idemq́; ſit, nec ne: nos non debere concedere, ſed dicere, aliud eſſe duplum, & aliud eſſe ſimpli duplum. Quamuis enim intelligatur & inſit in duplo ſimplum, tamen aliud eſt ſi uerbum ſimplum addatur, aliud ſi ſileatur. id quod indictione probat hoc modo. Nam & decem inquit, in iis quæ uno dempto decem ſunt, intelliguntur. Hoc eſt, nam & decem intelliguntur dicendo decem excepto uno, nouem enim uno adiuncto decem ſunt cum enim dicimus nouem, non decem, in eo quod hæc non eſſe decem dicimus, intelligimus etiam eſſe decem. quemadmodum etiam in libris de prima philoſophia ſcriptum eſt, affirmationes in propriis negationibus intelliguntur: quoniam qui dicit hoc non hominem eſſe, is dicit etiam hoc non eſſe hominem. ita in non homine intelligitur etiam & comprehenditur homo. Itemq́; in hac oratione hic non facit, intelligitur etiam uerbum facit. Non facere enim eſt priuatio huius uerbi facio. Quæ ſi ita ſunt, ut qui dicat non album; non neceſſario album itidem dicat, licet in non albo album intelligatur, itemq́; qui dicat non decem, non neceſſario decem quoque dicat, quamuis decem in non decem inſint, ita quoque qui dicet non duplum, non neceſſario duplum dicet: & ſi in non duplo duplum intelligitur. Id ſi ita eſt, reciprocando etiam dicendum erit, quemadmodum qui dicit album, is non dicit non album neceſſario, & qui decem profert, non neceſſario non decem pronunciat, ita & qui duplum dicit, non neceſſario dicit etiam non duplum, quod eſt ſimplum: ſimplum enim non eſt duplum. Duplum autem inquit, per ſe nihil fortaſſe declarat. hoc eſt non fortaſſe ſignificat ſimplum. Addidit autem fortaſſe, quia poteſt non ſignificare, re autem uera & actu non poteſt. Ac ſi ſignificet, certe non idem coniunctum, quod ſeparatum ſignificabit. Separatum dico, hoc eſt per ſe, coniunctum uero, hoc eſt cum uerbo ſimpli coniunctum. Quod uero ait, ne ſcientia quidem in ſpecie quid ſignificat. idem eſt ac ſi dicat, ne ſcientia quidem ſignificatur aliqua eius ſpecie & forma, quamuis in eius formis inſit. Veluti ſi medicina eſt quædam ſcientiæ ſpecies, hoc autem declarant ea uerba, quæ addit hoc modo, ut cum medicina ſcientia eſſe dicitur, in quo ſcientiæ uocabulum commune eſt, id eſt, ineſt in medicina: tamen ſcientia, quamuis in ea inſit, non per eam, medicinam dico, ſignificatur. ſiquidem qui dicit medicinam, is ſcientiam non dicit. cuius rei cauſam paucis ſubiunxit hoc modo. In illo autem inquit, ſcientia eius eſt, quod ſub ſcientiam cadit. quaſi dicat, ſcientiam dici de eo quod ſub ſcientiam cadit. medicinam uero de nullo dici. neque enim grammatice alicuius grammatice dicitur, neque ulla alia ſcientia, ſi ſingulas percurras: ut in Categoriis dictum eſt. quamobrem ſi is qui ſcientiam dixerit, alicuius rei ſcientiam ſignificauerit; qui uero medicinam, nullius medicinam declarauerit, certe patet, genus non ſignificari ſpecie. Vel quod ait, ne ſcientia quidem in ſpecie quid ſignificat; idem eſt, ac ſi dicat, ne in ſcientia quidem ineſt, & intelligitur ſpecies. quo loquendi genere uti etiam ſolet Ariſtoteles. Vt igitur is qui ſcientiam dicit, medicinam, quæ ipſa quoque ſub ſcientia eſt, non dicit, ita qui duplum dicit, ſimplum ipſum non dicit.

IN IIS autem enunciatis, quibus alia declarantur, hoc dicendum eſt, non

idem

idem ſignificare per ſe id, quo utimur in declarando, quod in oratione. Nam concauum promiſcue idem in ſimo & in obliquo declarat: coniunctum autem cum iis, ut illud cum naris, hoc cum cruris uerbo coniungatur, nihil prohibet ſignificare. nec intereſt utrum dicas naſum ſimum, an naſum concauum. Præterea in his uerbis non eſt concedenda in recto dicendi ratio. eſt enim falſa, quoniam ſimitas non eſt naſus concauus, ſed naſi quædam quaſi affectio. Quapropter non eſt alienum nares ſimas nares eſſe, quæ narium concauitates habent.

Ad antedictam horum uerborum, ne ſcientia quidem in ſpecie quid ſignificat; explanationem, nullo poſito interuallo addit hæc uerba, in iis autem inquit, enunciatis, quibus alia declarantur, &c. quo quidem loco dicit enunciata ea quæ late patent, & continent, ea quæ ſub ipſis ſunt. Eſt autem hic uerborum contextus imperfectus. ita uero abſolutus reddetur. In iis autem prædicatis & ſubiectis, quibus ſubiectis alia declarantur, hoc eſt definiuntur. (ſimitas enim naſo definitur. ita prædicata ſubiectis declarantur) dicendum eſt, non idem ſeparatim ac per ſe dictum ſignificare id quo utimur in definiendo, quod in oratione. hoc eſt, cum aliquo ſubiecto coniunctum oratione & non nomine explicetur. id quod ualde perſpicuum fecit exemplo concaui. Etenim concauum per ſe dictum promiſcue & ſimum & obliquum ſignificat: coniunctum autem cum aliquo, non idem declarat. Qui enim crus concauum dixerit, is definite crus obliquum ſignificabit: qui uero naſum concauum dixerit, ſimum naſum dixerit. id quod intelligitur ex eo, quod ait, nihil prohibet, ſignificare aliquid definitum, & non confuſum, ac promiſcuum. Vt igitur hoc loco non idem eſt, ſi dicas concauum, & concauum naſum, ita ne idem quidem erit, ſi dicas duplum, & ſimpli duplum. Hæc ſi ita ſunt, ne is quidem qui ſimitatem eſſe narium concauitatem dixerit, bis uerbum narium dixerit. neque is qui dixerit duplum ſimpli duplum, bis ſimpli uerbum dixerit ut ſophiſtæ uolunt. Cum enim ſumant ab iis qui non recte reſpondent, idem eſſe duplum, quod ſimpli duplum, aiunt, quoniam qui duplum dixit, uerbum ſimpli iidem dixit, ſi præterea quis uerbum ſimpli adiunxerit, bis ſimplum pronunciarit, ut duplum ſimpli ſimpli. Itemq; qui ſimitatem dixit, naſum dixit, quocirca ſi dixerimus ſimitatem eſſe naſum concauum: bis uerbum naſi dicemus: propterea quod cum ſimitatem diceremus, naſum quoq; dicebamus, addito autem naſi uocabulo, bis id diximus hoc modo, concauus naſus naſus. Hæc fallacia argumenta explicantur, uti diximus, quia non idem ſignificat coniunctum aliquid, & diſtinctum. Ad hæc uero clarius rem proponit, cum ait, quapropter non eſt alienum nares ſimas nares eſſe, quæ concauitates narium habent. quaſi dicat. Non eſt alienum ſi quis rogatus quid ſint nares ſimmæ, dicat nares eſſe quæ habent concauitatem narium. Quemadmodum enim cum de homine interrogamur quid homo ſit, dicimus, homo eſt animal rationis particeps, non ſimul etiam ſumimus ipſum uerbum hominis, ita ſit etiam in naribus. Nec uero quiſquam putet aliquid abſurdi ab Ariſtotele dici hoc loco, propterea quod bis narium uocabulum ſumere uideatur. ait enim quapropter non eſt alienum nares ſimas nares eſſe, quæ concauitatem narium habent. Sed non bis dicit uerbum narium. eſt enim adhibenda diſtinctio ad illa uerba, nares eſſe, quæ concauitatem habent narium. Cum enim de re quadam interrogemur, eandem rem, non ut partem definitionis, ſed ut eam quæ rogata ſit, reſpondendo aſſumimus. Veluti rogati quid hoc ſit, hoc eſſe id, uel illud dicimus.

QVIBVS autem de cauſis ſolœciſmi fiant, ſupra diximus. quemadmodum autem diſcuti debeant, in ipſis captionibus intelligemus. Omnes enim hæ, ſolœciſmum facere uolunt. An quod uere dicis, id uere eſt? ais autem quippiam eſſe lapidem, eſt igitur quippiam lapidem. Sed dicere lapidem non eſt dicere hoc, ſed hunc, neque id, ſed eum. Quocirca ſi quis roget, an quem nominas, uere hunc eſt? non attice loqui uidebitur: ſicuti nec ſi quis requirat, hiccine eſt quem eſſe ait? utrum autem lignum hic, an ea quæ nec marem nec fœminam ſignificent, dicat, nihil intereſt. Itaque non fit ſolœciſmus ſi dicatur, an quod ais eſſe, id eſt? lignum autem ais eſſe, lignum igitur eſt. Lapis autem & pronomen hic, maris habet inflexionem. Quod ſiquis interroget, ſit ne hic hæc? deinde rurſus, quid? num hic Coriſcus eſt? tum dicat, eſt igitur hic hæc: non concluſerit ſolœciſmum, ne ſi Coriſci quidem nomen fœ-

minam ſignificet: modo id non dederit is, qui contra diſputabit, ſed hoc ante quærendum eſt. Si uero ſit illud, nec ille dederit, certe is nec uere, nec contra eum, qui rogatus eſt, concluſerit. Eodem ergo modo illic lapidem uerbum huius declarare debet. ſin minus, nec alter id dedit ſignificare, non eſt appellanda concluſio; ſed uidetur eſſe, propterea quod diſsimilis caſus nominis ſimilis apparet. Verumne eſt hanc eſſe id quod eam ais eſſe? eſſe autem eam aſpidem ais, eſt igitur hæc aſpidem. An non neceſſe eſt, ſi aſpidem non id ſignificet: ſed aſpis & aſpidem hanc? nec quod ais eſſe, id hic eſt? ais autem eſſe Cleonem, eſt igitur hic Cleonem Non enim hic eſt Cleonem. dictum eſt enim, quem ais hunc eſſe, hic eſt, non hunc. Neque enim attica ſit interrogatio, ſi hoc modo proferatur, ſcin tu hoc? eſt autem lapis: ſcis ergo lapis. Sed non idem ſignificat in interrogatione, ſcin tu lapidem? quod in aſſumptione, eſt autem lapis: ſed in illa eſt accuſandi caſus, in hac recti. An cuius ſcientiam habes, id ſcis? lapidis autem ſcientiam habes: ſcis igitur lapidis. ſed cum dicis, cuius, lapidem in gignendi caſu intelligis; cum autem id, lapidem in accuſandi caſu & maris genere. Datum eſt autem, cuius ſcientiam haberes, ſcire te, non eius. ita non lapidis, ſed lapidem. Atque illud quidem perſpicuum eſt ex iis, quæ diximus, hæc argumenta non concludere ſolœciſmum, ſed uideri concludere: & quemadmodum eis ſit occurrendum.

Quemadmodum ſolæciſmi fieri uideantur, ſupra docuimus. naſcuntur enim ex illo pronomine, hoc, & id pronomen hoc in neutris dicitur, poniturq; uel in recto, uel in accuſandi caſu ex quo fit ut cum a ſophiſta pronuncietur ita, ut rectum caſum ſignificet, deinde ab eodem etiam pronuncietur ut accuſandi caſum declaret: is qui reſpondet ad ſolæciſmum compellatur. quomodo autem diſſolui, explicariq; debeant, ait ex ipſis ratiocinationibus eſſe perſpicuum. ut ex hac argumentatione cerni poteſt. An quod uere dicis, hoc eſt? hoc enim loco pronomen illud hoc in recto caſu eſt ſumptum, & ita ab eo qui reſpondet conceſſum & ſophiſtes in accuſandi caſu concludit hoc modo. ais autem quippiam eſſe lapidem, eſt igitur quippiam lapidem. ſed dicere lapidem non eſt dicere rectum caſum, quod ipſe ſignificauit, cum dicit, hoc, ſed accuſandi caſum, quod ipſe indicauit cum ait, ſed hunc. Itaque ſiquis roget, an quem uere dicis, hunc eſt? eum ſane nemo emendate, ſed barbare loqui dicet. quod etiam in hac oratione uſu uenit, hiccine eſt quam eſſe dicis? lignum autem dixiſti hanc eſſe hic. eſt igitur hanc lignum. quod de illis eodem modo iudicandum eſt. Verbum enim hoc quod iam datum eſt, & in recto caſu pronunciatum, ille ſumit tanquam in accuſandi caſu dictum eſſet. Quocirca ſolœciſmi ex his ſolum fiunt in maris genere, itemq; fœminæ. & ita hæc eſt hoc, ut ſubſtantia eſt animal ſiquidem animal & in recto & in accuſandi caſu reperitur. ſed uideamus iterum eam argumentationem qua dicitur, hiccine eſt, quam eſſe dicis? quemadmodum inquit, is qui dicit, an quam eſſe dicis, eſt hic? non loquitur emendate; ita ne is quidem, qui dicet, an quem uere dicis eſſe, hunc eſt. hic uero utrum dicat lignum, an ea quæ nec marem nec fœminam ſignificant, nihil intereſt. Hæc addidit, quaſi dicat, ſi quis dicat eos qui ita loquuntur pure & emendate loqui, efficietur ut eadem res & marem & fœminam, & neutrum horum ſignificet. Nam ſi quam dicis eſt hic, is autem ipſum lignum dixit, erit hæc lignum hic & hic, hoc hæc, & hoc hæc hic. At in iis quæ maris & fœminæ genere declarantur, permagni intereſt, ac differt hoc ab hæc, uel hic. Itemq; id. In neutris uero, quæ ipſe ſignificauit cum dixit, quæ nec marem nec fœminam ſignificent, hoc & id non differunt. quocirca in illis ſolœciſmi nulli fiunt. Cum enim hæc duo pronomina. Hoc & id rectum caſum, & quartum ſignificent, nullus in eis fieri ſolœciſmus poteſt, ut hoc exemplo clarum fiet; ſiquis nunc nos roget hoc modo, an quod dicis eſſe, id eſt? lignum autem eſſe id dicis, igitur lignum eſt: hic quia lignum neutri generis eſt, & id in recto & item accuſandi caſu pariter collocatur, ut etiam hoc, non fiunt barbara dicendi genera. At in hac oratione. an hic ſit hæc? quid num hic Coriſcus eſt? deinde concluditur, eſt igitur hic hæc. non concluſus eſt ſolœciſmus; quia quartus caſus, aut tertius pro recto non ſunt concluſi. dictum enim eſt, hæc hic, hic Coriſcus, hæc igitur Coriſcus. uiden ut in caſibus non ſit commiſſus ſolœciſmus? & tamen ſolœciſmus eſt. Philoſophus enim in libro qui eſt de memoria, & recordatione ſcriptum reliquit eum denique ſolœciſmum facere, qui res propriis nominibus non appellat. ita qui dicturus eſt Leoſthenem,

ſthenem, & Leodamanta dicat, eum quaſi aliud pro alio dixerit, ſolœciſmum feciſſe aſſerit. Ne ſi Coriſci quidem uerbum fœminam ſignificet. Cum dixerit non recte & attice loqui eum, qui ait, an quam eſſe dicis, hic eſt. ita etiam confirmat barbare loqui eum, qui dicit an quem eſſe uere dicis, hunc eſt? ſi quis enim eos qui ita loquuntur attice hoc eſt recte loqui dixerit, efficietur, ut idem maris, fœminæ, & neutrius genere declaretur. Inducit autem hæc ipſa uerba, ne ſi Coriſcus quidem fœminam ſignificet: quod ſane argumentum ocioſum eſt. & quod ait eſt huiuſmodi. Etiam ſi concederemus Coriſci uerbum fœminam ſignificare ut & hic, & hæc diceretur: id uero non dederit is qui contra diſputabit, non concluſus erit ſolœciſmus. ſed interrogandus eſt is qui reſpondet, ac ſi datum ſit illud quidem, ſed non dicatur, ſit quidem ſolœciſmus, ſed non abſolute, uerum contra eum qui reſpondet. quod ſi neque dicitur, neque datum ſit, certe nec abſolute, nec contra eum qui rogatus eſt, fiet. In eo uero quod ait, eodem ergo modo, deeſt, ante quærendum eſt, ut totum ſit huiuſmodi, eodem ergo modo illic ante quærendum eſt, an dederit lapidem ſignificare uerbum hic. Diſſimiles caſus appellauit rectum & accuſandi caſum. quod ex conſequentibus clarum fecit. quæ quidem omnia clare proponit. Sed in priore hunc, in poſteriore hic, dixit. In prima enim inquit interrogatione, quæ eſt, ſcin tu hoc? uerbum hoc pro hunc datum eſt; in ſecunda autem, pro hic. Sed hic & hunc ſunt diſſimiles caſus. ita concluſum non eſt. Itemq; in captione quæ ſequitur hoc modo, an cuius ſcientiam habes, id ſcis? uerbum id tanquam idem ualeat quod hunc, datum eſt. Datum eſt enim, cuius ſcientiam haberes, id ſcire te, non eius: in quo uerbum id pro hunc ponitur: ſcis igitur lapidem.

INTELLIGENDVM eſt autem facile eſſe perſpicere in quibuſdam argumentis in alijs difficile qua de cauſa, & qua in re auditorem capiant, cum ſæpe eadem hæc ſint quæ illa. Eadem enim argumenta captioſa uocanda ſunt omnia, quæ ex eodem uitio nominantur. Idem autem argumentum captioſum alijs ex uerbo, alijs ex alio uidetur exiſtere: propterea quod cum quicque transfertur, non idem declarare uideatur. Vt ergo captionum earum, quæ ex homonymia oriuntur, quæ ex omnibus maxime ſolent uſurpari, partim cuiuis perſpicuæ ſunt, omneſq; captiones ridiculæ fere in uerbo uerſantur, cuiuſmodi hæ ſunt, uir uehebatur per ſcalas δίφρου. Quo στέλλεσθε ad direptionem, & utra boum ἔμπροσθεν peperit? neutra, ſed pone utraq;: & καθαρὸς boreas? certe non: interfecit enim mendicum & emptorem. An Euarchus? certe non, ſed Apollonides? aliæq; eius generis plurimæ: ſic partim eos etiam qui in captionibus diu multumq; ſunt exercitati fugiunt. Idq; ex eo intelligi poteſt, quod fere uerbis diſſentire ſolent. uelut utrum idem ſignificet in rebus omnibus unum, & id quod eſt, an aliud: nonnulli enim unum & id quod eſt idem declarare exiſtimant. Alii Zenonis & Parmenidis rationem explicant, propterea quod unum et id quod eſt plura ſignificare uideantur. Similiter eæ captiones quæ in accidente, aliiſq; rebus cernuntur, eam uim habent, ut in aliis facilius in aliis difficilius perſpici poſſit & genus ipſum captionis, & ſit nec ne reprehenſio. grauis autem eſt argumentatio quæ eam uim habet, ut animi dubitando in contrarias partes diſtrahantur. hæc enim pungit maxime.

Intelligendum inquit, eſt, ac diligenter animaduertendum, in quibuſdam captionibus facile eſſe cognoſcere ea, quibus decipiuntur ii, qui circumueniuntur a ſophiſtis; in aliis difficile eſſe perſpicere, qua in re decipiatur auditor: & tamen eædem ſint, quæ illæ, in quibus facile eſt cognoſcere. huiuſmodi enim eſt, quod ait, cum ſæpe eadem hæc ſint, quæ illa. omnia enim fallacia argumenta quæ ex homonymia naſcuntur, eadem ſunt inter ſe, perinde atque omnia ea quæ ex ambiguitate oriuntur, omnibus iis quæ ex eodem loco ſumuntur, paria & eadem ſunt. Quod uero ait, eſt hoc. Nonnullæ reprehenſiones, quæ ex homonymia exiſtunt uidentur illæ quidem ex homonymia naſci, quia ſunt ex homonymia; nonnullæ uero ſunt illæ quidem, ſed non uidentur ex homonymia oriri. Idem de iis quæ ex accidente ducuntur, iudicandum eſt. attamen ait eas, quæ ex accidente naſcuntur, eaſdem eſſe nominandas omnes. hoc eſt ex accidente nominari omnes debere: & dici ex accidente ſumptas eſſe; licet ex accidente ductæ non uideantur. Diximus enim paulo ante captiones ex uno uitio exiſte-

re, & ex alio uideri exiſtere. cum eos notaret qui non recte explicant, neque cauſam ex qua ſit captio, declarant. Quod uero ait, cum quicq; transfertur, pro eo dixit, quod eſt, cum quicq; concluditur & inducitur. ut ex hoc perſpici poteſt. An quo tu hunc uidiſti uerberari, eo ipſe uerberatus eſt? & eo ne quo uerberatus eſt, id tu uidiſti? hoc quidem fallax argumentum quantum ad interrogationes pertinet, uidetur eſſe ex ambiguitate; ſed quantum ad concluſionem, ex coniunctione uidetur exiſtere. Vt ergo inquit, captionum earum quæ ex homonymia oriuntur quæ ex omnibus maxime ſolent uſurpari, partim cuiuis perſpicuæ ſunt: &c. huius diuiſionis altera pars affertur paulo infra ab Ariſtotele, cum ait, ſic partim eos etiam qui in captionibus diu multumq; uerſati ſint & exercitati, fallunt ac fugiunt. Cum autem genera captionum earum, quæ in uerbis cernuntur, ſint ſex, homonymia, ambiguitas, coniunctio, diſtinctio, accentus, forma orationis, hæc ipſa fallax concluſio, uir uehebatur per ſcalas δίφρον, ex forma orationis naſcitur. Facit enim ut uir qui maris eſt generis, neutro genere declaretur. ait enim uirum δίφρον per ſcalas uehi. in quo id quod maris eſt generis in neutro genere uſurpat. non eſt enim rectus caſus δίφρον & neutri generis, ſed ὁ δίφρος, hoc eſt, hic currus dicitur. ita fit, ut ex forma uerbi naſcatur. Non enim uſurpatur idem eodem modo, quo uſurpandum eſt; ſed quod maris eſt generis, in genere neutrius ponitur, & quod neutrius eſt, pro maris genere adhibetur. Eſt etiam ex ambiguitate, ac fallacia fiet hoc modo ἅρμα id eſt uehiculum ſignificat δίφρον id eſt currum: uir autem per ſcalas uehebatur δίφρον. uir igitur per ſcalas uehitur ἅρμα. ita uir qui eſt ἅρμα per ſcalas ferebatur. Atque ita quidem hanc fallaciam confici perſpici poteſt ex ea, quæ ex accentu fit hoc modo τὸ κῆρ animum ſignificat, & κὴρ fatum. Agamemnoni autem κὴρ ideſt ad pugnam progredi fatum uidebatur. Agamemnoni igitur animus ad pugnam progrediendi uidebatur. Huius fallaciæ ſimilitudo eſt huiuſmodi. κῆρ animum ſignificat. Agamemnoni autem κὴρ ideſt malum fatum pugnare uidebatur. Agamemnoni igitur κῆρ ideſt animus cupidus uidebatur pugnandi. Vehiculum currum ſignificat, uir autem ferebatur per ſcalas curru, uir igitur ferebatur per ſcalas uehiculum. Atque hoc etiam fallax argumentum, uir uehebatur per ſcalas δίφρον, ex ambiguitate eſſe poteſt. ſignificat enim uel currum latum eſſe humeris a uiro per ſcalas uecto. uel uirum qui uehiculum & currus eſſet per ſcalas uehi. ſed in uerbis id exiſtere perſpicuum eſt. Poteſt quoque ita ſimpliciter concludi. An uir per ſcalas ferebatur? etiam. An currus per ſcalas uehebatur? etiam. uir igitur per ſcalas currum ferebatur. ſed uir non ferebat currum, ſed ferebatur curru. Interrogatur enim id de quodam, qui per ſcalas curru fertur. Vel etiam licet aliquis non uehatur curru per ſcalas, ſed ipſe uir per ſe deſcendat, deinde currus per ſcalas uehatur, nihilo ſecius captioni relinquetur locus. etſi enim uir prima forte diei hora, currus autem quarta per ſcalas fertur; nihil minus ita poni poteſt hæc falſa concluſio. An uir per ſcalas uehebatur? etiam. Quid num currus per ſcalas uehebatur? etiam. uir igitur per ſcalas curru ferebatur; captio eſt ex coniunctione. concludi enim debuerat hoc modo. Vir igitur & currus per ſcalas uehebantur, id quod uere dictum eſſet. Perſpicuum autem eſt, captiones quæ ex coniunctione uel diſtinctione ſunt, in uerbo exiſtere. Hæc uerba leguntur etiam aliter hoc modo, uir uehebatur per ſcalas, diuerſum eſt. quorum ſenſus talis erit. cum dixerit omnes captiones ridiculas in uerbo uerſari, huius rei exemplum adiungit. quaſi dicat hæc enim argumentatio uir uehebatur per ſcalas, non ſimplex eſt, ſed diuerſa eſt, & ambigua. Id uero ex uerbo fit. ambiguam autem eſſe dubiam argumentationem perſpici poteſt ex eo, quod uel ſignificat uirum per ſcalas uehi, uel eum aliquid per ſcalas uehere. Ac fortaſſe hæc erit melior & aptior lectio. Et, quo στέλλεσθε ad direptionem? Hæc captio fieri poteſt hoc modo, quo στέλλεσθε ad direptionem? στέλλεσθαι autem ſignificat mitti. mittimini igitur ad direptionem. Verbum autem στέλλεσθαι ambiguum eſt, ſignificat enim ire ſua ſponte, & ire omnino, in qua ſignificatione dicitur στέλλεσθαι τὴν ὁδὸν, ire uiam & mitti ab aliis uel ab alio. ut rex, Athenienſes, huc nos miſit. Illi uero in hac oratione, quo στέλλεσθε, uerbum στέλλεσθε pro itis dederunt, ut ſit, quo itis? ſophiſta uero in ea ſignificatione accepit, ut mitti ſignificet. ut dicatur, quo mittimini? Hæcq; captio poteſt etiam ex homonymia naſci. & maxime ex ambiguitate orietur. dicitur enim uel quo itis, uel quo ab alio mittimini. Ac fortaſſe etiam ex forma uerbi eſſe poſſet, ut στέλλεσθε pro mittite dicatur & ſophiſtæ uerbum patiendi pro uerbo agendi uſurpent. Illud autem, ἔμπροσθεν ſignificat prius, eſtq; aduerbium tempus ſignificans: & ſignificat etiam anteriorem animalis partem. Iam uero καθαρὸς ſignificat ſalubrem, qua ſignificatione καθαρὸς boreas, ſalubris dicitur. ſignificat etiam caſtum & integrum. quamobrem ſi unus de ſalubri concedat, alter de integro & caſto concludet, nulla fiet concluſio. Quod uero ait, an non Euarchus ſed Apollonides? ex coniunctione exiſtit. Hiccine Euarchus non eſt ſed Apollonides? certe. Euarchus igitur eſt ſed non Apollonides. ex coniunctione enim huius uerbi ſed, fit hæc fallax concluſio. Vel fit etiam hoc modo. An non Euarchus hic eſt, ſed Apollonides? etiam. Euarchus igitur eſt Apollonides. hæc captio propoſita eſt contra Euarchi fratrem. Euarchus enim & eius frater erant Apollonidæ filii; & ipſe quoque Euarchus erat pater. ita igitur Euarchi fratrem interrogabant, an Euarchus tuus eſt, etiam. quid num Euarchus pater eſt? etiam. Euarchus igitur pater tuus eſt, atqui non eſt etiam pater, ſiquidem eſt frater tuus, hæcq; ita efficitur falſa concluſio. Ariſtoteles uero breuitatis ſtudioſus, atque etiam quia ante declarauit captiones, quæ ex accidente naſcun-

te naſcuntur, quorum hæc quoque una eſt, & quia hæ captiones aliis etiam nominibus exponuntur, unam propoſitionem, eamq; mancam poſuit, cætera ſilentio præteriuit. Eſſet enim ea plena & perfecta ſi talis eſſet; an Euarchus tuus eſt? Ipſe uero mancam adhibuit, quia hoc totum, an Euarchus eſt? partim poteſt coniungi cum tuus, partim cum, pater eſt. Quod uero ait, certe non, ſed Apollonides, eſt explicatio captionis, quaſi dicat, non Euarchus ſed Apollonides pater meus eſt. Quin etiam Euarchus accipi poteſt loco exempli nominum homonymorum, eſt enim ambiguum nomẽ, ſignificat enim uel eum, qui bene & recte imperium ſuum adminiſtrat, uel eum qui pulchrum & opulentum tenet imperium. Ac fortaſſe hæc argumentatio de Apollonide facta eſt, qui cum pulchrum haberet imperium, idem tamen recte non gubernabat. Atque etiam ita forte interrogatur. An hic Euarchus eſt? etiam. quid? hic eſt; dialogus Platonis fortaſſe. Eos uero dicere id quod eſt, & unum eſſe homonyma, & multis modis dici, non eſt obſcurum. Parmenides enim id quod eſt eſſe unum dicit. Plato uero uno modo dici unum ſcribit: Ariſtoteli uero utrunq; multis modis dici placet: Zenonis autem & Parmenidis rationem explicare ait, non aliam ſed eandem. Atque ipſe quidem Parmenidis & Meliſſi rationes in libris phyſicorum, Platonis uero in libris de prima philoſophia proprie explicauit; atque diſſoluit. Vt igitur inquit, in quibuſdam argumentationibus antedictis, difficile eſt perſpicere quo modo explicanda ſint, cum in aliquibus facile ſit, in aliis difficile: ſimilis eſt etiam ratio earum reprehenſionum quæ ex accidente ducuntur. Nullæ enim ex iis facile cognoſcuntur eſſe ex accidente: in aliis difficile eſt perſpicere an ex accidente oriantur. Eſt enim difficilis & grauis argumentatio, quæ eam uim habet, ut animus in contrarias partes ambiguus diſtrahatur: ſiquidem hæc ferit, & pungit uel maxime. cuiuſmodi ſunt quartum & ſextum argumentum, quæ in quinta parte libri qui de interpretatione inſcribitur, adhibentur; quibus probare nititur affirmationi magis contrariam eſſe negationem, quam affirmationem ei contrariam. quæ quidem & grauia ſunt, & difficiliter ad concluſionem afficiendam accommodari poſſunt. Itemq; difficilia ſunt & grauia ea, quibus probat non eſſe tempus, quod eius partes præteritum & futurum non ſint; præſens uero non ſit tempus, & cætera huius generis quamplurima.

DVBITATIO autem duplex eſt: quarum altera in diſputationibus dialecticorum uerſatur, cum dubitant quod potiſſimum rogatum ſequantur. altera in litigioſis cernitur, cum in quo captionis genere propoſitum uerſetur, ambigunt. Argumenta autem dialecticorum tum demum ad refellendum difficillima erunt, ſi ex ijs quæ uidentur quam maxime probari id quod maxime probabile eſt, euertent, & confirmabunt. Vna enim cum ſit argumentatio tamen contradicente oratione tranſlata omnes ratiocinationes ſui ſimiles obtinebit. quippe cum futurum ſit ſemper, ut ex probabilibus item probabile infirmet, & confirmet, ut ambigere neceſſe ſit.

Dubitatio inquit eſt in diſputationibus ſyllogiſmo confectis ut aliquo ſublato falſum arguatur, ut ex hoc argumento ſpectari poteſt. Si nullus murus reſpirat quia animal non eſt, certe ſi muri eſſent animantes reſpirarent. quare ſi quid animans eſt, reſpirat. at formicæ, apes, itemq; omnia ea, quæ inſecta appellantur, cum animalia ſint, non reſpirant. non igitur murus non reſpirat quia animal non ſit: quare murus eſt animal, licet non reſpiret. Cauſa autem proxima & uicina, quamobrem murus non reſpiret, non eſt, quia animal non ſit (longinqua enim hæc eſt) ſed quia non habet pulmones. Quæ dicta ſunt, & de dialecticis, & de iis qui ſophiſtico more diſputant communiter dicta ſunt. Cum uero dialectici ex probabilibus ratiocinentur, (horum enim argumentationes, ſyllogiſmo concluſas appellauit) probabilia autem non omnino, neque proprie uera ſunt, ſi utraq; ſumptio ſit probabilis, argumentationem grauem & difficilem facit, cum efficiat, ut ambigatur qua propoſitione ſublata concluſionem etiam euertamus: præſertim cum non cuiuſuis propoſitionis infirmatio id etiam quod concluſum eſt, ſit ſecum euerſura: ut ſæpe dictum eſt nobis: ſed eius demum, ex qua facta eſt concluſio. Atque hæc eſt prima in dialecticis diſputationibus dubitatio. In iis uero quæ certandi ſtudio comparantur, prima eſt ea, qua cogimur dubitare in quo captionis genere propoſitum argumentum uerſetur: hoc eſt quomodo quis reſpondendo in reprehenſionem non incurrat. nam ſi quis roget, an quot quis non habet, cum prius haberet, totidem amiſit? dubium eſſet quonam modo reſpondendum eſſet ne reprehenderetur. ſi enim is qui reſpondet, affirmaret, coargueretur. ſin diceret, non totidem, ſed aliquot eorum, non reprehenderetur. Vel cum ait, cum in quo captionis genere propoſitum argumentum uerſetur, ambigunt, ſignificat; cum ambigunt utrum captio ſit ex homonymia, an ex ambiguitate, an ex accidente, an ex aliquo genere ex iis, quæ ante ſunt expoſita: propterea quod nonnullæ

captiones, ut etiam ſupra docuimus, ex aliquo genere oriri uidentur, & tamen ex eo, non exiſtunt. Argumentum autem dialecticorum difficillimum ad refellendum eſt huiuſmodi. Maxime probabile eſt iuſtitiam eſſe in bonis. & uitioſitatem eſſe in malis. Itemq́ iuſtitiam præſtare iniuſtitiæ. Quod ſi quis ex iis quæ maxime probantur id poſſit refellere, ut Polus & Callicles ſunt conati, concludatq́ utilius & potius eſſe uiolare ius, quam pietatem colere, profecto hæc argumentatio, cum una ſit, concludatq́ præſtare iniuſtum eſſe quam iuſtum, omnes ratiocinationes ſui ſimiles habebit: hoc eſt omnes probabilia infirmantes, æque aptas ad perſuadendum faciet; ac ipſa ſit. Valebit enim ea etiam ad perſuadendum, quæ ex ſimilibus propoſitionibus iniuſtitiam excellere iuſtitiæ, & iniuſtum iuſto anteponendum concludat. Semper enim ex propoſitionibus quæ ſimiles ſunt iis, quibus concluditur præſtare iniuſtum eſſe, quam iuſtum; ſimile probabile infirmabitur. nam quemadmodum probabile eſt, iuſtitiam eſſe in bonis, ita etiam quod iuſte ſit, & iuſtum eſt, in bonis eſſe probabile eſt. quæ omnia ex iis quæ ſimiliter probabilia ſunt, infirmabuntur, ut ante dixi. Quod uero ait, contradicente enunciatione tranſlata, ſignificat, mutata repugnantia ex probabili in eam quæ non probabilis ſit, & ex ea quæ non probatur in eam quæ probetur. ut in iis quæ modo tractamus, cerni poteſt. cum enim probabile ſit, iuſtitiam eſſe in bonis, mutata eſt hæc enunciatio in contrariam, ut dicatur, non eſſe in bonis. itemq́ hæc, iuſtitia eſt in malis, in hanc, iuſtitia non eſt in malis.

AC DIFFICILIS illa quidem maxime eſt, quæ interrogationibus ſimilem facit concluſionem: ſecundo loco ea quæ ex ſimilibus omnibus progreditur, quæ faciet item ut dubium ſit, utrum rogatum negandum ſit, id quod difficile factu eſt. Nam & infirmandum eſt, & tamen utrum ſit, incertum eſt.

Maxime difficilem eam argumentationem eſſe ait, quæ habet propoſitiones probabiles non ſecus quam concluſio ſit, quæ ipſa quoque probabilis eſt: ſiquidem in ea difficillime cerni poteſt, ex utra propoſitione ſit effecta concluſio, in quo genere uerſantur ii, qui animum eſſe immortalem, quæ enunciatio probabilis eſt, probare uolunt ex iis quæ æque probabilia ſunt, hoc modo: ſi enim contraria ex contrariis fiunt, color enim albus ex nigro ſit, & ex albo niger, itemq́ ex calore frigus, & ex frigore calor; & cætera eodem modo: ita mortui ex uiuentibus fiunt, & uiciſſitudine quadam, ex mortuis uiuentes exiſtent. Vita enim morti contrario nomine opponitur, quo quidem loco non ſatis patet, ex qua propoſitione ſit effecta concluſio: utrum ex ea qua dicitur, contraria ex contrariis oriri; an ex ea, qua uitam eſſe morti contrariam aſſeritur. Secundo loco difficilem ait eſſe eam, quæ ex ſimilibus omnibus progreditur. hoc eſt, quæ propoſitiones inter ſe ſimiles, concluſioni uero diſſimiles habet ita, ut concluſio magis quam propoſitiones probabilis ſit. Ac in prima quidem in qua propoſitiones æque probabiles ſunt ac concluſio, non ſatis liquet, utrum ſit concluſum: in hac uero ſecunda, quia perſpicuum eſt concluſionem magis probabilem eſſe propoſitionibus, clarum eſt eſſe concluſum. Non debet enim concluſio probabilior eſſe propoſitionibus, ſed contra propoſitiones eſſe concluſione probabiliores, ſiquidem ex notioribus & probabilioribus ratiocinationes fieri debent. nunc uero cum propoſitiones minus probabiles ſint quam concluſio, & ſimiles inter ſe ſint, perſpicuum, & planum eſt eſſe concluſum aliquid, ex utra uero id effectum ſit, quia ambæ inter ſe ſimiles ſunt, non apparet; in priore autem, propterea quod concluſio ſimilis eſt propoſitionibus, concluſum ſit nec ne, nihil patet. Ait autem planum eſſe in ſecunda, quod oporteat aliquam propoſitionem euerti & tamen utra infirmanda ſit, incertum eſt, quia ambæ æque inter ſe ſimiles ſunt. Ac ſecundus quidem liber eorum, qui de prima philoſophia inſcripti ſunt, plenus eſt earum ratiocinationum, quæ ex propoſitionibus inter ſe ſimilibus & concluſioni diſſimilibus, ſunt factæ.

LITIGIOSARVM ea primum difficillima eſt, quæ cum primum tractata eſt, dubium eſt rem nec ne concluſerit: & utrum in diſtinctione ac falſitate illius conſiſtat explicatio. Deinde ex reliquis ea, cuius explicationem perſpicuum eſt uel in euerſione uel in diſtinctione uerſari: ſed dubium eſt utrius rogati euerſione, aut diſtinctione ſit diſſoluenda: quin etiam utrum in concluſione, an in altero rogato ea ſit. Atque interdum facile eſt argumentum, ex quo nihil effectum eſt tum, cum nimis improbabiles, aut falſæ ſunt aſſumptiones. interdum autem non eſt negligendum. Nam & cum aliquod rogatum deeſt, in quo uis ineſt, ut in eo uerſetur & ex eo ducatur argumentum, neque id aſſumptum eſt, & tum tractatum eſt ar-

gumentum inepta ratiocinatio eſt, & cum aliquid prætermiſſum eſt eorum, quæ extrinſecus ad rem quæ propoſita eſt, confirmandam aſſumuntur, non facile contemni debet; ſed argumentum facile eſt & is qui interrogat non recte interrogauit. Explicatio autem alias ad argumentationem, alias ad eum qui quærit, & ad rogatum, interdum ad neutrum eorum referri poteſt. Eodemq; modo quærere licet & tractare argumentationem tum contra id quod uenit in diſputationem, tum contra eum qui reſpondet, tum contra tempus, cum plus temporis deſiderat explicatio, quam quantum datum ſit ad diſſerendum contra explicationem. Diximus ex quot, quibusq; naſcantur captiones in diſputando, & quemadmodum eum qui mentiatur, indicemus, impellamusq; alterum ut quædam contra opinionem omnium dicat. oſtendimus præterea ex quibus efficiatur ratiocinatio; & quæ nam ſit interrogandi ratio, & quis nam ſit interrogationum ordo, illud etiam docuimus, quis ſit uſus horum argumentorum, diximus de tota ratione reſpondendi, & quemadmodum argumenta captioſa diſſolui debeant. Reliquum eſt, ut de inſtituti noſtri ratione enumerantes, noſtrumq; ſermonem concludentes, pauca dicamus.

Cum dixerit quænam dialecticæ argumentationes difficiles & acutæ ſint, nunc de fallacibus uerba facit. & ait eam primam eſſe difficilem, quæ cum primum tractata eſt, dubium eſt, rem nec ne concluſerit, qualis eſt Parmenidis argumentatio. qua unum eſſe dicit id quod eſt. ea eſt huiuſmodi, quod eſt præter ens, eſt non ens, non ens nihil eſt, unum igitur ens: quæ licet non concludat, non tamen omnino patet. nihil autem concludit, propterea quod, ex iis quæ poſita ſunt, non concluditur unum igitur ens, ſed unum ens eſt. quam argumentationem & fallacem eſſe & captioſam, nihilq; concludere dixit Ariſtoteles in primo phyſicorum libro. Ibi enim ſcriptum eſt, utrunq; & Meliſſum & Parmenidem eſſe litigioſum, Meliſſi tamen rationem eſſe grauiorem: & magis inconditam, nullamq; afferre dubitationem, quaſi innuat Parmenidis argumentatione in aliquam nos dubitationem adduci. Primum igitur in iis quæ certandi ſtudio comparata ſunt, ea eſt grauis & difficilis argumentatio, in qua obſcurum eſt, quo ſublato tollatur etiam id abſurdi quod concluſum ſit. utrum uidelicet tollatur ſublata concluſione, an propoſitionibus. quod ait, & utrum in diſtinctione ac falſitate illius conſiſtat explicatio, idem eſt, ac ſi dicat, utrum explicatio in concluſione, qua falſum concluſum ſit, quod ipſe dixit in falſitate; an in alicuius propoſitionis ademptione, quod ipſe diſtinctione uocauit. Deinde ea difficilis eſt, cuius explicationem in ademptione eſſe perſpicuum eſt: ſed dubium eſt, utrius rogati euerſione ſit diſſoluenda. hoc eſt incertum eſt, utrum rogatum tollendo argumentationem explicemus. quin etiam ambiguum eſt, utrum ea, hoc eſt fallacia ex concluſione exiſtat, an ex aliquo ex rogatis. Quod autem ait, cuius explicationem perſpicuum eſt uel in euerſione, uel in diſtinctione uerſari: idem eſt ac ſi dicat, perſpicuum eſt eſſe ex euerſione. uerbum autem euerſionis eſt interpretatio eius quod dixit in diſtinctione. Primum autem argumentationis difficilis genus a ſecundo differt, quod in ſecundo manifeſtum eſt quid concluſum ſit, licet non ſit perſpicuum, cuius euerſione id etiam quod concluſum eſt euertatur, utrum uidelicet tollatur ſublata concluſione, an aliqua ex propoſitionibus, at in primo ſtatim incertum eſt utrum rem concluſerit, nec ne. & hoc ipſum opus, quod interpretamur, plenum eſt eius, ut fallaciæ ex rogatis fiant. Ac fallacia quidem ex concluſione fit tum, cum non concluſimus id, quod ex iis quæ rogata ſunt efficitur, ſed illud omittimus, & aliud, quod uolumus, concludimus. qualis erat Parmenidis argumentatio, & ea quam Ariſtoteles paulo ante adhibuit. Quorum ſcientiæ ſunt in bonis, eorum notitiæ in bonis ſunt. mali bona eſt notitia. malum igitur eſt bona notitia. id enim non efficitur ex iis quæ poſita ſunt, ſed quia mali bona eſt cognitio. Ait præterea ineptam eſſe ratiocinationem, cum quis non aſſumit quod deeſt. & ex quo futura eſt propoſiti concluſio. ſed id omittat, & ſine eo concludat cuius generis eſt Meliſſi argumentatio qua probare uult id quod eſt unum eſſe, & infinitum. & aliæ præterea multæ. cuiuſmodi eſt illa, non ſubſtantia ſublata non tolli ſubſtantiam, & ex quibus ſublatis aliquid eſt, id ex iis euerti. hic enim propoſitiones deſunt, ut in capite de reſolutione ſyllogiſmorum dictum eſt. Extrinſecus autem deeſſe propoſitiones dicit, quæ ad oſtendendum aliquid eorum quæ ad confirmandam rem propoſitam ualent, ſumuntur. Has enim ſi quis auxilio dignas non putans ſine probatione ſumat & concludat, is certe dicetur prætermittere aliquid eorum, quæ extrinſecus ad ratiocinationem aſſumenda ſunt: licet non dicas non demonſtrandas eſſe fallaces propoſitiones. hæc enim ut dictum eſt, late patent; contra enim differentes di-

cuntur. An etiam contra eos qui more ſophiſtarum interrogant, eorum rogata demonſtranda ſunt, ſiquidem futurum eſt, ut uere reprehendant, ut etiam aiunt. Non enim dicunt ſe fallaciter & ſimulate redarguere, ſed uere. Dicam de eadem re clarius. Cum igitur ait, ac interdum quidem argumentum ex quo nihil effectum eſt, &c. eſt huiuſmodi. Interdum licet appellare eam ratiocinationem quæ rem concludit, ineptam, & dignam quæ negligi, contemniq́ue debeat: interdum id non licet: non enim par eſt eam ineptam appellare, neque dignam, quæ deſpicatui ducatur. Si enim eiuſmodi argumentatio ſit ex probabilibus aut falſis ſumptionibus conflata, tum certe eſt & inepta, & negligenda. Vel cum prætermiſſum ſit aliquod rogatum quod ad rem accommodatum ſit: in quo illa uis inſit, ut in eo uerſetur, & ut ex eo concludatur argumentum, præſertim cum argumentatio id neque aſſumat, neque concludat. Cum uero deſit aliquid eorum quæ extrinſecus aſſumuntur ad confirmandas ambas propoſitiones, quæ in argumentatione ſumptæ ſunt, non facile contemni debet. Sed argumentum non rectum eſt, neque is qui interrogat, ſuo munere præclare fungitur. Neque uero contra id quod uenit in diſputationem, neque contra eum qui reſpondet, ſed contra tempus tractant argumentationem ii, qui proponunt ea, quæ plus temporis deſiderant ad explicandum ita ne ſint, ut proponuntur, an ſecus. quocirca is qui reſpondet, ad tempus dirigere explicationem debebit. Contra autem tempus explicationem accommodabit, ſi reſiſtet ita, ut multo tempore opus ſit ad cernendum utrum uere occurrat: quandoquidem partim uere occurritur, partim occurri quidem uidetur, non tamen occurritur, ut octauo Topicorum libro dictum eſt. Vel ad tempus explicationem diriget, ſi dicat, non concedo hanc, neque concedo, tum quia mihi ea non probatur tum etiam quia uidetur plus temporis poſtulare ad perſpiciendum, utrum uera ſit, nec ne. Cætera quæ ſequuntur clara ſunt, & perſpicua.

PROPOSITVM nobis fuit, uim quandam de omni re propoſita diſſerendi ex ijs quæ maxime probabuntur, inuenire, hoc enim officium eſt dialectices, & eius rationis, quæ periculi faciendi cauſa comparata eſt. Quoniam autem ante confirmauimus, dialecticen propter ſophiſtices, quam ſecuta eſt uicinitatem, non ſolum poſſe probabili, ſed etiam neceſſaria ratione diſſerere: ob eam cauſam non ſolum eius officium in eo poſuimus, ut ea inſtructi argumenta ſumere, ſed etiam ut argumentis reſiſtentes, cauſam diſſerendi ijs afferendis quæ maxime item probabuntur defendere poſſimus. Cuius nos quæ cauſa eſſet diximus. Ob eamq́ rem Socrates quærere ſolebat, non reſpondere: quippe qui nihil ſe ſcire fateretur, quæ quidem facultas ad quas res eſſet utilis, & quibus, quotq́ rebus comparari poſſet, atque unde harum rerum nobis magna ſuppeteret copia, in ſuperioribus demonſtrauimus. Illud etiam expoſuimus, quæ eſſet interrogandi ratio & ordo, quæ reſpondendi, & quo modo explicanda argumenta. Cætera etiam oſtendimus, quæ ad eandem rationem diſſerendi pertinent, denique ut etiam ſupra dictum eſt, de captioſis & fallacibus argumentis diximus. Quæ cum ita ſint, certe hinc inſtituti noſtri ratio commode habebit terminum. Quid autem in ea de qua agitur arte, uſu uenerit, ignorare minime debemus, eorum omnium quæ inueniuntur, partim cum prius ab alijs præcepta & comprehenſa eſſent, & ſingillatim elaborata, opera eorum qui poſterius accepiſſent, progreſſa eſſe longius: partim a prima origine paruam primum progreſſionem facere ſolent, ſed multo utiliorem ea quam aſſequuntur ex his, amplificatione. Cum enim maxima eſt in principio totius rei uis, ut dicitur, tum difficultas maxima. Quo enim maior eſt in eo uis, eo quoniam perexiguum eſt, difficilius cadit ſub aſpectum: hoc autem inuento, facilius eſt reliqua addere, & conducere. quod etiam in libris de ciuili ſcientia contingit; ac fere in cæteris artibus omnibus. Qui enim artes inueneruut, omnino paulum aliquid proceſſerunt: ij autem qui nunc in honore habentur, cum a multis quaſi hæreditario iure, ijs qui uiciſſim propagarunt, accepiſſent, ſic auxerunt. Tiſias quidem primus ſucceſſit, Tiſiæ

Thraſy-

Thraſymachus, Traſymacho Theodorus, multiq; multas partes contulerunt, ut hanc magnam eſſe artem nihil mirum eſſe uideatur. At uero huius artis non partes aliquæ perfectæ erant, initio aliæ erant: ſed ne una quidem omnino ſuberat. Nam eorum qui diſputationes eas, quæ certandi ſtudio inſtituebantur, mercede docebant, ſimilis erat diſciplina Gorgiæ inſtituto. Nam cum orationes alii ad dicendum, alii quæ ad quærendum & interrogandum ualerent, darent ediſcendas, in quas utriq; ſæpe mutuis ſermonibus incidere ſolebant; fiebat, ut diſcipuli celeriter illi quidem ſed ſine arte perciperent, quæ ab illis traderentur, præſertim cum ita demum ſe inſtituere, ac docere exiſtimarent, ſi non artem, ſed ea quæ artis eſſent traderent, ut ſi quis artem ſe traditurum profiteretur, qua pedum dolori mederemur, deinde non artem doceret calceorum conficiendorum, nec unde hæc pararentur traderet, ſuppeditaret autem uaria genera calceorum, is certe ut adiumentum ad uſum afferret, artem tamen non traderet. Et eloquentiæ quidem multa profecto & ueterum præcepta extiterunt, dialectices autem nullum omnino habemus ante aliud, quam longo uſu quærendo multum temporis conſumpſimus. Quod ſi uobis in hæc ipſa intuentibus non uidetur hæc ipſa diſſerendi ratio, ex iis quæ ab initio ſuppetebant, ſatis præclare conſtituta eſſe, præ cæteris artibus quæ hæreditario quodam iure ad tantam amplitudinem elatæ ſunt: hoc profecto unum reliquum eſt uobis, aut iis qui audient, officium, ut ſi qua prætermiſſa ſint, iis qui prætermiſerunt, ueniam detis: & ſi qua inuenta, magnam inuentoribus gratiam habeatis.

Vim quandam diſſerendi appellat locorum tractationem. & quamobrem uis appelletur, in libris Topicorum diximus: cum enim ibi dixiſſet, hoc nobis loco propoſitum eſt uiam atque rationem quandam inuenire, qua & de omni quæſtione propoſita probabili argumentatione poterimus diſſerere, addidit, & nihil repugnans afferemus, ſiquid in diſputationibus defendamus: nunc cauſam, quamobrem ſit dialectices officium, ut non ſolum poſſit diſſerere & ponere quæſtiones ſed propoſitas etiam defendere & concedere, explicauit his uerbis, quoniam autem ante confirmauimus, dialecticen propter ſophiſtices, quam ſecuta eſt uicinitatem, non ſolum poſſe probabili, ſed etiam neceſſaria ratione diſſerere: &c. Antequam hæc uerba explanemus, redigendi in memoriam ſunt nobis antedicti loci. Dictum eſt enim qua ratione falſa deſcribendi ratio ad geometriam affecta eſt, eadem etiam ſophiſticen ad dialecticen eſſe affectam, quemadmodum enim illa a principiis quidem geometricis progreditur, ſed falſas deſcriptiones, & minime neceſſarias facit: ita etiam ſophiſtice ex iis proficiſcitur quæ uidentur probabilia, quæ quidem probabilia ſunt initia dialectices: iisq; utitur ſophiſtice, uel quæ non ſunt probabilia, ſed probabilium ſpeciem præ ſe ferunt, uel probabilia ſunt illa quidem, ſed in forma ipſa argumentationis ineſt uitium: id quod uſu uenit, cum ex duabus ſingularibus propoſitionibus, aut ex duabus aientibus in ſecunda figura concluditur. Quæ ſi ita uera ſunt, recte a philoſopho dictum eſt ſophiſticen eſſe uicinam dialecticæ. Vtraq; enim de rebus omnibus argumentatur, licet inter utranque diſcrimen quale dixi, uerſetur. His ita conſtitutis, quod ait ita intelligendum eſt. Quoniam ſophiſtice uicina eſt dialecticæ, profitetur autem ſophiſtice non ſolum argumentatione probabili ſed neceſſaria poſſe diſſerere: dialecticus enim profitetur ſe neſcire & non intelligere ea quæ ponit & rogat, ſophiſta uero ſcire, & nihil eſſe quod ſibi incognitum putet, quod ſi nouit omnia, & in omnibus continentur etiam ea quæ ponit, & interrogat, certe patet eum noſſe & quæ & qualia ſint ea, quæ rogat. Id quod Gorgias etiam apud Platonem declarauit his uerbis: Vere inquit, o Chærephon loqueris, eadem enim me profiteri nuper dicebam, atque etiam nihil noui mihi a quoquam iam multis annis fuiſſe propoſitum confirmo. quaſi diceret Gorgias, ſe omnium eorum quæcunq; proponerentur, habere cognitionem: nihilq; eſſe, quod ſe lateret. Cum igitur ſophiſtice omnia ſcire profiteatur, ſitque æquius ut is qui ſe ſcire omnia profitetur, interrogetur ipſe, & res explicet, quarum notitia eſt inſtructus, quam ut roget ipſe & ponat quæſtionem, apparet eſſe etiam officium dialectices interrogare, ſed etiam interrogari, & diſputationem defendere, atque hoc quidem potius. ſi enim eſt potius officium ſophiſticæ proponere argumentationem, utpote quæ omnium habere ſcientiam dicat, uicinaq; eſt dialecticæ, certe erit etiam artis diſſerendi officium, argumentis reſiſtere, & propoſitum tueri. Ob hanc ergo cauſam

ſibi dixrit, eſſe dialectices officium, ut non ſolum poſſit argumenta ſumere, ſed etiam proponere. In eo uero quod ait, cuius nos quæ cauſa eſſet diximus deeſt uerbum, modo ut dicatur, cuius nos modo quæ cauſa eſſet diximus. dicta enim eſt cauſa non illic, ſed hoc ipſo in loco: quamobrem officium dialecticæ ſit, ut diſſerendi cauſam poſſit defendere. Non eſſe autem dialecticæ officium, ut ipſa ui ſua atque primo propoſitam defendat diſputationem, ſed propter ſophiſtices quam ſecuta eſt, uicinitatem: declarauit nobis exemplo Socratis, qui ſe nihil ſcire dicebat quaſi dialecticus uiam eorum quæ interrogat, ignoret. isq; qui tanquam ignarus interrogat, non neceſſe eſt, propoſitam diſputationem tueatur, ſed ſumat potius, ac diſſerat. in Topicis oſtenſum eſſe ait (Topica enim ſignificat cum dicit in ſuperioribus demonſtrauimus) ad quas res eſſet utilis & quibus quoq; rebus comparari poſſet hæc interrogandi & propoſitum defendendi ratio. Vel quod ait in ſuperioribus, ſignificat ea quæ nunc dicta ſunt, eſt enim hoc loco dictum, ex quibus captiones oriantur, & ad quot quasq; res inſpicere debeat is qui quæſtionem poſiturus & defenſurus eſt, ac reſponſurus: cætera clara ſunt. In iis uero quæ ait, partim cum ab aliis percepta & comprehenſa eſſent prius elaborata ſingillatim, diſtinctio adhibenda eſt inter prius, & elaborata, & quæ ſequuntur. Quod ait, eſt huiuſmodi. Poſteri accipientes ea quæ prius a quibuſdam inuenta ſunt, deinceps paulatim laboribus uigiliis & cogitationibus ſingulis partibus addentes ad ſummam amplitudinem extulerunt. quod in primo minore libro τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ dictum eſt. Quod uero ait, ſed multo utiliorem ea quam aſſequuntur ex his, amplificatione. idem eſt ac ſi dicat. Prima rei alicuius inuentio licet imperfectum inuentum ſit, tamen multo utilior eſt ea amplificatione & perfectione, quam poſtea conſequitur. quandoquidem ſi non inuenta unquam fuiſſet, ne incrementum quidem ſumpſiſſet unquam. Eſt cuiuſuis, ut in metaphyſicis ait, aliquo inuento reliqua addere: at initio inuenire, non cuiuſuis hominis. Cum enim maxima eſt in principio totius rei uis, tum eius magnitudo minima eſt. cuius rei exempla ſunt quamplurima. Acinus enim fici & ſi quantum ad magnitudinem pertinet, eſt minimus, tamen eius uis eſt maxima, ſiquidem ex eo ficus proficiſcitur arbor tam magna & tam procera. quem quidem acinum ſiquis initio cognouiſſet, tantam & talem arborem ex eo futuram non modo non crediſſet, ſed ne ſomniaſſet quidem. eo tamen principio inuento multa noſtra opera paulatim aperta ſunt. in ea uidelicet ui ineſſe ſtipitem ramos, folia, uirgulta, & nodos, itemq; naturæ & ſeminis rationes in ea corporis expertes conſiſtere: neque enim cum horum omnium tanta multitudo ſit, in ea cuius magnitudo minima eſt, poſſent conſidere. At uero inquit huius. Artem hic appellat, uel Topica, uel totam artem ratiocinandi ac diſſerendi. maxime uero mercede docere ait ſophiſtas, quippe qui ſimulatione ſapientiæ diuitias pararent. Quodnam uero ſit Gorgiæ inſtitutum cui ſimilem ait eſſe ſophiſticen, ſcire poterũt qui Platonis dialogum, qui Gorgias inſcribitur, perlegerint. Sophiſtas autem eas orationes docere ait, in quas mutuos incidere ſermones norunt. ii uel ex homonymia, uel ex ambiguitate, uel etiam ex aliis ſumuntur, quæ ſequuntur ſatis patent. Putabant enim ſe docere, cum non artem ſed ea quæ artis eſſe traderent. Ars enim eſt omnis ratiocinationes efficiendi ratio, qua uera quoque reprehenſio continetur, quam qui tradit, is & artem tradit, & docet, at deductiones & falſæ concluſiones, genera uidelicet fallaciarum quibus utebantur, & quæ docebant ſophiſtæ non ſunt appellanda artis nomine, ſed artis eſſe & ab arte proficiſci dicendum. Etenim qui uim & ſcientiam habet ratiocinationes efficiendi, is etiam captiones ſciet conficere. Quemadmodum enim qui recte deſcribendi & curandi artem ſcit, is maxime nouit & non recte deſcribere, & morbum inſerre; ita qui ex arte & ſcientia ueras concluſiones efficere ſcit, is fallaces etiam nouit componere. Ita ſit, ut fallaciter concludere, & uitioſum argumentorum genus, in quo ſophiſtæ ſuum ſtudium collocabant & docebant cæteros, non ſit ars, ſed artis uis quædam. Itemq; qui ex diuiſione ratiocinari docebant, & diuidendi rationem tradebant ſuis, ii profecto non artem (eſt.n. diuidendi ratio, ut dictum eſt primo priorum libro cum philoſophus de propoſitionum copia loqueretur, quaſi infirma quædam, & debilis ratiocinatio) ſed quæ artis eſſent tradebant. Qui enim ratiocinandi & demonſtrandi artem habet, is etiam neceſſaria ratione concludere quod diuiſione ſumptum ſit, non ignorabit. Ita quoque affecti ſunt ii, qui aliquid inductione concludunt. Quod uero ait, ſatis præclare conſtituta eſſe, illud ſatis præclare adiungit firma quadam animi confiſione. cæteræ enim artes neque initio, neque a primis eorum inuentoribus perfectæ ſunt; ſed ab iis qui poſterius eas acceperunt: at logica primum ab Ariſtotele inuenta ita perfecta & ad tantam amplitudinem elata eſt, ut ei non modo magnam gratiam, ut ipſe ait, ſed etiam quammaximam fieri a nobis poſſit, habere debeamus.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, Ioan. Gryphius excudebat, ſumptibus Lodouici Auancii & fratrum:
Anno à Chriſti incarnatione, M D L V I I.